




Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

102584







GESTA ET STATUTA SYNODI DIOECESANAE,

quam

anno Domini 1896

constituit et celebravit

Michael Napotnik,

Princeps-Episcopus Lavantinus.

Praepositus ecclesiae s. Mauritii et s. Magdalenae Frisaci in Carinthia, caes. et reg. Capellanus aulicus, Imperii austriaci Senatus Comitiorumque Ducatus Styriae Sodalis Perpetuus, s. Theologiae Doctor, Collegii Doctorum theologiae facultatis in Universitate scientiarum Vindobonensi Membrum, Numismate bellico Condecoratus etc. etc.



Marburgi, 1897.

Sumptibus Pr. Ep. Ordinariatus Lavantini.

Typis typographiae s. Cyrilli.

102584

102584



FZC 5084/1951

Dicta Doctorum.

1.

Quid agimus hodie, fratres in Domino dilectissimi? Ad quid hunc in locum convenimus? Videor aliquos respondentes audire: Facimus, quod iam a multis annis facere consuevimus. Sancta profecto et laudabilis consuetudo haec est, ab ipsis apostolorum primordiis ad haec usque tempora Spiritu sancto dictante ac promovente deducta: et utinam sic nunquam, ex quo primum induci coepit, intermissa fuisset, quae sicuti adeo efficax et potens fuit medium ad augendam, promovendam ac stabiliendam ecclesiasticam omnem disciplinam, sic eius intermissio origo fuit atque principium tantae ruinae ac perniciiei spiritualis.

(S. Caroli Borromaei, Concio I. ad clericum in synodo dioecesana XI., habita anno 1584. — Acta eccles. Mediolan. Bergomi, 1738. Tom. II. Part. VII. pag. 1165).

2.

In synodo dioecesana omnia tamquam in speculo uno intuitu videri, examinari, revideri, corrigi emendarique possunt; ubi sacerdotum cum Praelato suo cor unum et anima una invenitur, ibi fraus, ibi dolus et deceptio exulat; cum quod oculus unus nequit, plures simul videre queant, assistente potissimum Deo, cordium et cogitationum universarum scrutatore.

(Jod. Hildebrand in Synodo Sedun. anno 1626. Cap. 12. § 1. — Iosephi Hartzheim, Concilia. Tom. IX. pag. 401).

3.

In episcopali synodo non est iurisdictio propria et legislativa distincta a iurisdictione episcopi, quia inferiores, qui in synodo cum episcopo conveniunt, non habent iurisdictionem propriam, episcopalem aut legislativam, sicut episcopi convenientes in concilio

provinciali, et ideo inferiores clerici, cum episcopo convenientes, non habent potestatem conferendi illi synodo specialem iurisdictionem ab episcopali distinctam et quasi ex natura rei resultantem a tali conventionem et consensione omnium.

(Suarez, De legibus. Lib. VI. cap. 15).

4.

Quid plura? Ad celebrandam episcopalium synodorum maximam utilitatem abunde foret illarum acta pervolvere.

Notissimae sunt dioecesanae synodi habitae et a sancto Carolo Borromaeo archiepiscopo Mediolanensi et a sancto Thuribio archiepiscopo Limano et a sanctae memoriae Benedicto XIII., cum Beneventanae praeerat ecclesiae, ut alias innumeras praetereamus, quae fere ubique post Tridentinum coactae sunt . . . Quae Tridentinum praecesserunt . . . quamplurimae leguntur antiquae synodi dioecesanae per Italiam, Galliam, Germaniam et Hispaniam celebratae. Iam autem si quis eorum omnium statuta et decreta vel cursim pervolvat, illa deprehendet summa sapientia et prudentia referta, loco et tempori opportune accommodata atque aptissima ad clericos continendos in officio et depravatos populi mores reformandos; ac propterea fateri cogetur, dioecesanis synodos validum esse fulcrum ad nutantem in dioecesi disciplinam sustinendam.

(Benedicti XIV., De synodo dioecesana.
Lib. 1. cap. 2 de synodi dioecesanae
utilitate num. 4. — Romae, 1755. Pag. 7).

5.

Iure tibi laetandum in Domino est, quod eius auspice gratia legitimam cleri synodum, quam iamdiu cogere optaras, cogere tandem potueris feliciterque perficere. Nos quoque tecum et cum clero tuo laetitiam coniungimus, quippe de ea re agitur, quae, ut per se ipsa est in munere episcopali gravissima, et valde potest ad salutaria cleri populi incrementa. Nos item proxime attingit, qui universi christiani gregis habemus curam concreditam.

(Leo PP. XIII. venerabili fratri Friderico
Episcopo Cerviensi die 15. Ianuarii
1893. — Friderici Foschi, Episcopi
Cerviensi, Synodus dioecesana. Romae,
1893. Part. prim. pag. XXXVIII).



EDICTUM

indictionis secundae Synodi dioecesisanae

Lavantinae.



MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus
et s. Theologiae Doctor,

cuncto clero venerabili ac dilecto salutem benedictionem-
que a Domino et omne bonum!

i duo ex vobis consenserint super terram," ait Dominus ac Redemptor noster Iesus Christus, „*de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*“ (Matth. 18, 19. 20). Cui promissioni dominicae firma fide et fiducia invicta stantes, in eo versamur, ut consulto Reverendissimo Capitulo nostro cathedrali secundam Synodum dioecesanam Lavantinam divina gratia adiutrice indicamus et convocemus.¹

¹ Praesens „Edictum indictionis“ in folio periodico dioecesano „Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diöcese“ V. de die 1. mensis Augusti 1896 Nr. 2240 promulgabatur.

Origines synodorum dioecesanarum concilium provinciae Viennensis, anno 1858 celebratum, perspicue explicat: «Quum inter episcopum et sacerdotes,» inquit, «quos in commisso grege pascendo adiutores habet, intimus nexus intercedere debeat, ex antiquissimis ecclesiae temporibus antistites suae dioecesis clericos, praesertim in animarum cura laborantes, frequenter congregaverunt, ut eos salutaribus monitis instruerent, desideria patefacta paterne exciperent, corrigenda corrigerent, et quae dioecesis rebus prodesse, decernerent et promulgarent.»¹

In alma nostra dioecesi Lavantina a priscis temporibus synodi dioecesanae celebrari consueverunt, ut de moribus moderandis, de abusibus tollendis et excessibus corrigendis deque omnibus, quibus animarum salus promoveri posset, negotiis in honorem Domini ordinandis deliberaretur et constitueretur. Ex historicis monumentis clare constat, iam anno 1418 ante festum s. Jacobi apostoli, annis 1456 et 1549 ante diem 18. mensis Februarii celebratas esse synodos dioecesis Lavantinae, cuius ultimae acta et statuta unacum statutis caeterarum dioecesium provinciae Salisburgensis eodem anno in librum collecta sunt.²

Testantibus libris parochialibus ab anno 1657 usque ad annum 1790 per Styriam celebratae sunt plurimae synodi dioecesanae et quidem in diversis civitatibus. Haud raro binae quotannis synodi, verna et autumnalis, convocabantur, sicut Alteserra observat: «Nec semel, sed iterum in anno vocari synodum episcopalem, antiqui iuris fuit.»³ Sensim sensimque vero hominum iniuria temporumque iniquitate usus synodorum exolevit.

¹ Acta et decreta concilii provinciae Viennensis. Vindobonae, 1859. Cap. XI. pag. 80.

² Floriani Dalham, Concilia Salisburgensia provincialia et dioecesana. Augustae apud Vindelicos, 1788. Pagg. 170, 237 et 330 sq.

³ Tract. de iurisdiet. eccles. Lib. II. c. 9.

Post sat longam annorum seriem et finibus dioecesis anno 1786 et anno 1857 noviter circumscriptis primam Synodum Lavantinam anno 1883 congregari fecit praemature denatus princeps-episcopus Jacobus Maximilianus, vir piae memoriae felicissimaeque recordationis. Gesta et constituta huius Synodi eodem anno 1883 in lucem prodierunt Marburgi.¹

Postquam Deo favente et assistente canonicam totius peramplae dioecesis visitationem et episcopalem inspectionem atque circuitionem peregrimus, praesenti epistola edictali secundam Synodum Lavantinam anno dilabenti celebrandam indicimus et convocamus, ut ita proprio desiderio cedamus nec non Vestris votis, fratres et filii in Christo dilecti, obsecundemus atque temporum locorumque indigentis respondeamus.

Hoc edicto synodali satisfacere nitimur pervetusto ecclesiae, dilectae matris et magistrae nostrae, mandato, quod sacrosanctum concilium Tridentinum renovavit verbis notissimis: »Synodi quoque dioecesanae quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse.»²

A providentissima hacce concilii Tridentini sanctione prouti etiam ab aliis sacris canonibus utilitas synodi episcopalis sat superque evincitur. Synodum perbonam et salutarem rem esse, ut Dei gloria animarumque salus promoveatur ac stabiliatur, historice notum exploratumque

¹ Acta et statuta Synodi dioecesanae Lavantinae sub auspiciis Celsissimi, Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Domini Jacobi Maximiliani, Principis-Episcopi, Solio Pontificio Assistantis, Suae caes. ac reg. Apostolicae Maiestatis Consilarii intimi etc. etc. Doctoris ss. Theologiae, anno Domini MDCCCLXXXIII celebratae. Marburgi. Sumptibus Pr. Ep. Ordinariatus Lavantini. Typis Joannis Leon. 1883. 8º. Pagg. 86.

² Sess. XXIV. cap. 2. de reform.

est. Ubi pietas et disciplina floreret, frequentes fuisse conventus synodales; ubi cessarent, pietatis studia et disciplinae vigorem emarcuisse, historia ecclesiastica attestatur. «Salus ecclesiae», animadvertit synodus Coloniensis, anno 1549 habita, «terror hostium eius et fidei catholicae stabilimentum sunt synodi, quas etiam rectissime corporis nervos dixerimus.»¹

S. Carolus Borromaeus, Dei spiritum habens, ad nostram rem apposite adnotat: «Est generalis quaedam visitatio synodus; alias enim per annum particulares quasdam ecclesias dumtaxat visitamus, hic vero generatim sacerdotes omnes et clericos ac in ipsis suo etiam modo populos eis commissos.»² Et episcopi, in concilio provinciae Pragensis anno 1860 congregati, synodi praxim instaurare toto corde peroptabant, cum persuasissimum sibi haberent, nihil frequenti animarum recognitione et synodorum celebratione veteri disciplinae constituendae et saluti tum cleri tum populi sibi concrediti promovendae accommodatius esse. In synodo dioecesana episcopus clerum sibi commissum iterum recognoscit, tum paterna illum charitate simul universum complectitur, tum salutaribus monitis instruit, tum quae pro recta universae dioeceseos administratione necessaria cognoverit, generatim statuit, sancit atque decernit.³

Nostris potissimum diebus, quibus rerum adiuncta tot ac tantas subiere vices, synodum dioecesanam perutilem atque relative necessariam evasisse, nemo est, qui addubitet, quodsi quieto animo consideraverit, quantopere necessitas urgeat, episcopum clero suo arctissime uniri, ut viribus unitis regnum Dei defendatur, custodiatur, excolatur et amplificetur, ut retundantur assultus et insultus, quos portae inferi indesinenter pertentant. «Nulla cura,

¹ Josephi Hartzheim, Concil. Germ. Tom. VI. pag. 548.

² Concilio in synod. dioec. XI. Act. eccl. Mediol. p. VII. vol. III. col. 559. Mediolani, 1892.

³ Acta et decreta concilii provinciae Pragensis. Pragae, 1863. Pag. 207 sq.

episcopo maior neque uberior.» scribit sanctissimus Pater noster Leo XIII. die 3. Martii 1891 ad archiepiscopos et episcopos imperii austriaci, «illa est, quemadmodum disciplina et rectio clericorum sacris in seminariis ad Tridentinas exigenda normas, quibusnam praecipue rebus alenda in eis pietas et generosa virtus, quaenam maioribus doctrinis, ut congruenter temporibus floreant, incitamenta adiicienda, in omnique clero quaenam ad ampliora animorum lucra sint providenda.»

Quae quum ita sint, superfluum ducimus et supersedemus, uberiori verborum et argumentorum apparatu utilitatem synodi dioecesanae eiusque salubritatem momentumque adumbrare. Profecto, institutum, quod sancta ecclesia, nostra mater amata, et summi Pontifices adeo urgent; quod vigilantissimi ecclesiae pastores episcopi in suis dioecesibus prosperrimo cum successu semper adhibuerunt; quod doctissimi et celeberrimi viri ecclesiastici omnium aevorum tantopere commendant; institutum, inquam, haereditarium tot saeculorum, sanctum et salutare sit oportet.

Persuasum autem habemus et confidimus, Vos, fratres filiique dilecti, probe nosse veram doctrinam ecclesiae catholicae de synodo dioecesana, quippe quae a celebratissimo Papa Benedicto XIV. definitur «legitima congregatio ab episcopo coacta ex presbyteris et clericis suae dioecesis aliisque, qui ad eam accedere tenentur, in qua de his, quae curae pastoralis incumbunt, agendum et deliberandum.»¹ Vos porro minime ignorare, indubium mihi est, veram doctrinam de iuribus clero competentibus et non competentibus, de votis et suffragiis emittendis aliisque rebus in conventu synodali pertractandis. Maximi momenti pro re nostra est celeberrima constitutio «Auctorem fidei» de die 28. Augusti 1794, per quam a Papa Pio VI. damnatae sunt pro-

¹ De Synodo dioecesana. Lib. I. c. 1. num. 4. pag. 4. Romae, 1755. — Synodus ex Graeco interpretatur comitatus vel coetus. (Can. 1. § 7. Dist. XV).

positiones 85 pseudosynodi Pistoriensis, contractae anno 1786.¹

Ut sana principia de synodo congreganda in memoriam Vobis revocetis, commendamus omnibus assiduam et attentam lectionem classici operis Papae Benedicti XIV. de synodo dioecessana lib. XIII. Quod attinet scripta, in quibus de synodo episcopali recta principia traduntur, laudari merentur inter caetera, quae sequuntur:

Dr. J. Amberger, Der Clerus auf der Diöcesansynode. Regensburg, 1849.

Dr. Jos. Fessler, Ueber die Provincial-Concilien und Diöcesansynoden. Innsbrück, 1849.

Georg Phillips, Die Diöcesansynode. Freiburg in Breisgau, 1849.

Vincenz Maxim. Sattler, Die Diöcesansynoden. Regensburg, 1849.

Cuncta haec opuscula superat vastum opus, cui titulus: Aloys Schmid, Die Bisthumsynode. I. Band (pagg. 404). Regensburg, 1850; II. Bandes 1. Abtheilung (pagg. 234), 2. Abtheil. (pagg. 319). Regensburg, 1851.

Novissimis diebus in lucem prodiit eximium opus, quod inscribitur: «Synodus dioecessana, quam novis temporum necessitatibus accomodatam scripsit, constituit et celebravit in sua cathedrali ecclesia Fridericus Foschi, Dei et apostolicae Sedis gratia Episcopus Cerviensium die XV., XIV. et XIII. Kalendas Novembris anno 1892. Romae, typis Vaticanis, 1893. I. vol. XLIV + 572 pagg. II. vol. XXII + 392 pagg.» Dolemus, quod nimis sero acceperimus egregium opus.

His praemissis et respectu habito ad articulum IV. Concordati austriaci de die 18. Augusti 1855, ubi «archiepiscopis et episcopis id omne exercere liberum relinquitur, quod pro regimine dioecesium sive ex declaratione sive

¹ Henrici Denzinger, Enchiridion symbolorum et definitionum. Wirceburgi, 1895. Edit. VII. num. CXIV. Pagg. 310-338.

ex dispositione sacrorum canonum iuxta praesentem et a sancta Sede adprobatam ecclesiae disciplinam ipsis competit, ac praesertim . . . *convocare et celebrare ad sacrorum canonum normam . . . synodos dioecesanarum earumque acta vulgare*» — indicimus in nomine Domini et convocamus secundam Synodum Lavantinam, celebrandam a vespere diei 28. mensis Septembris usque ad antemeridiem 2. Octobris anni vertentis in civitate nostra residentiali Marburgensi in sanctuario s. Aloysii, ecclesia seminarii alumnorum clericalis.

Ad indictum conventum synodalem peramanter invitamus et decenter requirimus Reverendissimum ecclesiae nostrae cathedralis Capitulum, saecularem Abbatem Celeiensem nec non Praepositum Petoviensem, utrumque plurimum Reverendum Dominum usum Pontificalium habentem, item omnes decanos, professores s. Theologiae, institutionis religiosae professores c. r. gymnasii, c. r. scholae realis et c. r. paedagogiae, totum clerum civitatis nostrae residentialis, porro omnes parochos, provisores vicem parochi gerentes, beneficia quoque obtinentes simplicia, nec non regulares, qui iurisdictione parochiali curam animarum gerunt, atque omnes et singulos, qui de iure vel consuetudine synodo interesse tenentur et de facto primae Synodo, anno 1883 celebratae, interfuerunt. Cunctos hos viros ecclesiasticos ordinaria nostra episcopali potestate et auctoritate sollemniter et publice advocamus, monendo eos in virtute et sub merito sacrae obedientiae, ut statuto tempore ad sacram Synodum compareant, nisi iusto et legitimo impedimento detineantur.

Specialiter invitamus Perillustrem et multum Reverendum Patrem Abbatem Trappistarum monasterii beatae Mariae Virginis de redemptione Reichenburgi, insuper omnes Reverendos ac Venerabiles coenobiorum in dioecesi nostra Lavantina existentium superiores, nec non omnes animarum pastores, quibus ob gravem quamdam et urgentem causam litteris singillatim per nos scriptis

propositam in Domino Synodi celebrationem denuntiabimus, ut quantum fieri poterit, ad Synodum conveniant. Caeterum vellemus universum clerum dioecesanum, omnes omnino operarios et cooperatores in vinea Domini in Synodo nostra congregare, si id fieri posset sine damno curae pastoralis, si id permetterent adiuncta temporis et locorum personarumque circumstantiae.

Ut vero secunda Synodus Lavantina salutare et proficuos adferat fructus, qui pastoribus et gregibus proficiant, communes preces effundantur oportet. Propterea in Domino mandamus et ordinamus, ut post praesentis epistolae invitatoriae et convocatoriae publicationem in ecclesia nostra cathedrali nec non in cunctis ecclesiis decanalibus tamquam insignioribus quinta cuiuslibet hebdomadis feria, usquedum Synodus finita fuerit, Missa votiva de Spiritu sancto celebretur, iisdemque feriis quintis ab omnibus sacerdotibus, sacrificium Missae peragentibus, Collecta de Spiritu sancto, salvis tamen rubricis, interponendo persolvatur. De caetero paterne confidimus, non fore, ut sive in piis precibus sive diligenti et obediendi comparitione quidquam in Vobis desideretur, quod ad promovendam sancti piique operis intentionem et obtinendos uberiores fructus coelestium gratiarum, sine nostra etiam admonitione, conducere ipsimet facile iudicabitis.

Quoniam vero consiliorum et actionum, quae in sacra Synodo tractantur, emolumenta spiritualia non solum ad clerum sed etiam ad omnes omnino ecclesiae nostrae Lavantinae subditos pervenire ex animo optamus, multum proderit, si plebs fidelis cum clero ad hunc finem preces et vota coniungat, et Deo ter sancto, qui plantatis et rigatis solus dat incrementum, intentionum et actionis futurae successum commendare satagat. Monendi sunt igitur christifideles, ut et ipsi preces suas cum nostris iungant, eoquod ipsorum saluti et prosperitati collatis nostris consiliis piisque studiis in dioecesana Synodo providere intendimus.

Commendet ideo grex dioecesanus communem causam fervidis precibus Deo, ut Synodum nostram visitare, disponere et benedicere dignetur, ita ut actio dignum sortiatur exordium, felicem progressum ac plenum auspiciatumque effectum et exitum. Unde volumus et iubemus, ut Dominica decima octava post Pentecosten, immediate Synodum nostram praecedente, in omnibus ecclesiis parochialibus Sanctissimum publicae adorationi exponatur, et Litaniae de omnibus Sanctis unacum sacratissimo Rosario persolvantur. In ecclesia nostra cathedrali et in templo s. Aloysii, ubi actiones synodales pertractantur, possunt fideles post praeviam confessionem et sacram communionem aliisque solitis conditionibus adimpletis plenarias quoque indulgentias durante Synodo sibi acquirere.

Priusquam Synodi sodales itineri ad propositam congregationem accingantur, visitent infirmos, si quos habent, simulque eorum et si qui infirmitate corripiantur, curam vicinioribus sacerdotibus aut religiosis commendent. Generatim praecaveant pro viribus curatores, ne ipsis absentibus cura animarum detrimentum capiat. Si qui forte legitime impediti fuerint, quominus se fixo tempore ad congregationem synodicam sistere possint, vel scripto vel per confratrem procuratorem, sufficiens ad hoc mandatum habentem, excusationis causam probent. Praeterea Synoditis praecipimus, ut in eundo et redeundo a Synodo honeste ambulent et honesta quaerant hospitia et in eis circumspecte se habeant, ne quid statui clericorum vertatur in opprobrium et contemptum.

Ad spiritum pietatis et zeli religiosi in Synodi sodalibus excitandum pia quoque exercitia institui curabimus, quibus mediis spiritualibus participes sacrae Synodi se praeparare possint ad lucrandas plenarias indulgentias, quas ad finem Synodi concedemus vigore specialis facultatis, a Sanctissimo Domino nostro Leone, divina

providentia Papa XIII., benigne nobis commissae tenore subsequentis Brevis apostolici:

»LEO XIII.

Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus, in cathedrali Ecclesia Lavantin. sacra prima Synodus prope diem benedicente Domino celebranda sit: Nos, ut opus tam pium maiori cum animarum fructu fiat, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui memoratam Ecclesiam die, qua dicta prima Synodus inchoabitur, ac in omnibus ac singulis actualis illius celebrationis diebus devote visiterint ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac s. matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel tantum omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praesentibus post dictae Synodi celebrationem minime valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 16. Maii 1890 Pontificatus Nostri anno decimotertio.

M. Card. Ledóchowsky.«

L. S.

Notanda demum veniunt et succedentia. Pridie eiusdem diei, qua Synodus proprie inchoatur, id est vespere, die 28. mensis Septembris, a sexta vespertina ad horam septimam campanae ecclesiae cathedralis omniumque ecclesiarum in urbe Marburgensi existentium sollemni ritu pulsantur. Ecclesia s. Aloysii modo festivo et

forma sollemni ornetur. Ordo in actionibus synodalibus servandus in proprio, typis imprimendo, libello describitur, cuius exemplar traditur in manus omnium, qui Synodo interventuri sunt.

Tandem denique volumus et mandamus, ut praesens edictum synodale in valvis ecclesiae nostrae cathedralis et sancti Aloysii tempore constituto affixum omnibus pateat. Scheda, manu cancellarii subscripta, valvis affigenda, dictante Caeremoniali episcoporum,¹ sit huiusmodi tenoris: «Synodus dioecesana per Reverendissimum Dominum Nostrum Episcopum Michaellem indicta hoc anno 1896 mense Septembri die 28. Deo adiuvante in Ecclesia s. Aloysii Marburgi inchoabitur.»²

Quo publicationis modo omnes et singulos, qui canonicè indictae Synodo interesse obligantur, sic adstrictos esse declaramus et denuntiamus, acsi nominatim et singillatim vocati intimatique fuerint.

¹ Lib. I. cap. XXXI. num. 3. pag. 115. Edit. typ. Ratisbonae, 1886.

² Textus schedulae, valvis ecclesiae cathedralis affigendae, praeter textum latinum: „Die von Sr. Fürstbischöflichen Gnaden, unserem Hochwürdigsten Herrn Fürstbischefe Michael, angekündigte Diöcesan-Synode wird in diesem Jahre 1896 mit dem Beistande Gottes in der Kirche des hl. Aloysius zu Marburg am 28. September beginnen.“

Während der Feier der hl. Diöcesan-Synode werden die Beichtväter in der Dom- und Stadtpfarrkirche wie auch in der St. Aloysikirche Beichte hören, die Gläubigen aber des von Sr. Heiligkeit Papst Leo XIII. für die Dauer der Synode mit Breve vom 16. Mai 1890 gewährten vollkommenen Ablasses theilhaftig werden, wenn sie innerhalb dieser Zeit die heiligen Sakramente der Busse und des Altares würdig empfangen und in der St. Aloysikirche als Synodalkirche andächtig für die Einheit der christlichen Fürsten, Ausrottung des Irrglaubens, Bekehrung der Sünder und Erhöhung unserer Mutter der hl. katholischen Kirche zu Gott beten.“

Textus schedulae, ecclesiae s. Aloysii valvis affigendae, praeter textum latinum et theodiscum: „Cerkveni zbor za lavantinsko škofijo, katerega so napovedali milostljivi gospod knezoškof Mihael, se bode z božjo pomočjo pričel dne 28. meseca septembra tekočega leta v cerkvi sv. Alojzija v Mariboru.“

V dnevih cerkvenega zbora ali škofijske sinode bodo spovedovali spovedniki v stolnici in v cerkvi sv. Alojzija, verniki pa zadobivali popolni odpustek, podeljen od sv. Očeta dne 16. maja 1890 onim, ki bodo vredno prejeli zakrament sv. pokore in presvetega rešnjega Telesa in pobožno molili v cerkvi sv. Alojzija za edinost krščanskih poglavarjev, za uničenje krivih ver, za spreobrnjenje grešnikov in za povišanje matere sv. katoliške cerkve.“

»*Ei autem, qui potens est, omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: Ipsi gloria in ecclesia et in Christo Iesu in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.*» (Ephes. 3, 20. 21).

Datum in residentia nostra Princ. Episc. Marburgi,
in festo s. Jacobi apostoli, die 25. Julii 1896.

† **Michael,**
Princeps-Episcopus.



Pars prior.

I.

Ordo et processus
in actionibus synodalibus.

II.

Instructio
de officialibus sive ministris
Synodi.



I.

Ordo et processus in actionibus synodalibus.¹

Notiones praeliminares.

ctiones Synodi dioecessanae, cuius faciendae norma secundum rubricas Caeremonialis Episcoporum nec non Pontificalis Romani hisce explicatur, auxiliante Deo expedientur in Congregationibus et publicis Sessionibus omnium ad Synodum convenientium.

Congregationes habebuntur

1. *particulares* seu consultationes Sectionum, praesentibus videlicet illis Synodi sodalibus, qui pro singulis Sectionibus consultores constituentur.
2. *generales*, quibus omnes Synodi sodales et officiales interesse iubentur.

Sessiones publicae illi vocantur omnium Synodi sodalium *sollemnes* consessus, in quibus servato ritu sacro per *Caeremoniale* et *Pontificale* praescripto, quae ad Synodum pertinent, peraguntur, et quae in Synodo decreta sunt, sollemniter promulgantur.

¹) Ordo et processus in actionibus synodalibus typis impressus est sub titulo: Ordo in actionibus secundae Synodi dioecessanae Lavantinae, anno 1896 celebrandae, servandus. Ex mandato Celsissimi ac Reverendissimi Domini Domini Michaelis Principis-Episcopi Lavantini. Marburgi, 1896. (8°. 40 pagg). Sumptibus Pr. Ep. Ordinariatus Lavantini. Typis typographiae s. Cyrilli.

Expedientur vero actiones synodales tribus *Sessionibus publicis*, quibus quinque Congregationes generales praemittentur, pridie cuiuslibet Sessionis publicae habendae; *Congregationes* particulares seu consultationes Sectionum autem locum habebunt tempore libero.

Sessiones publicae et Congregationes generales celebrantur in ecclesia s. *Aloysii*, Congregationes particulares sive privatae vero in seminario clericorum episcopali vel in aliis locis convenientibus.

De prima Congregatione generali.

Ad rite praeparandam actionem *primae Sessionis publicae* pridie hora pomeridiana quarta habebitur *prima Congregatio generalis*.

1. Omnes ad Synodum vocati, saeculares veste talari et choralis cum birreto, regulares habitu sui ordinis et superpelliceis induti, congregantur in ecclesia cathedrali s. Joannis Bapt. Exinde procedunt cruce ecclesiae cathedralis praelata in aulam episcopalem, unde fit processio sollemnis in ecclesiam s. Aloysii. Ordo in processione: Clerus, Reverendissimus Antistes, Capitulum cathedrale. Preces in processione recitandae sunt:

Hymni: Veni sancte Spiritus. — Ave Maris stella.

Psalmi: Exultate iusti in Domino. Ps. 32 in feria 2.

Deus misereatur nostri. Ps. 66 in Laud. Dom.

Exsurgat Deus. Ps. 67 in feria 4.

Quam dilecta tabernacula. Ps. 83 in feria 6.

Fundamenta eius. Ps. 86 in feria 6.

Ecce quam bonum. Ps. 132 in Vesp. feriae 5.

Nota. Qui crucem in processione fert, clericus saltem sit superpelliceo indutus, servet in omnibus decorem tanti vexilli, quod praefert, apte, decore et recte ferat, graviter et religiose incedat. Acolythy hinc inde cum candelabris accensis et in angustiori loco prae-

eant, crucifer sequatur. Clerus ordine sequatur cum reverentia et religiosa devotione, ut exemplo suo excitetur populus ad pietatem. Salutationibus non vacent, colloquiis inter se abstineant, oculorum vagationem vitent.

Bini aequae procedant et ne minimum quidem ab ordine discedant. Certum spatium semper servant inter se. In via nunquam subsistant, nisi iussi a Praefectis. Hymnos et psalmos cantent ad praescriptum et de libro, ne errent.

2. Quum processio in ecclesiam seminarii clericalis venerit, synodales loca ibi parata occupabunt, quae durante Synodo tenebunt. Quando processio non fit, Synodi sodales veste talari cum birreto, regulares habitu sui ordinis, officiales vero, exceptis Iudicibus synodalibus, Praefectis hospitiorum et Confessariis, veste choralis induti in ecclesia apparebunt.
3. Celsissimus Antistes accipit stolam rubei coloris et flexis genibus incipit hymnum: *Veni Creator*, quo alternatim recitato post *Collectam* de Spiritu sancto dicit orationem: *Adsumus*¹. Dein *allocutio saluatoria* Reverendissimi Praesulis.
4. Praelecto mox decreto de *officialibus Synodi* Promotor, Secretarius, Notarius et Procurator cleri loca designata occupabunt, demandato sibi munere functuri.
5. Accedit *Promotor* ad sedem Episcopi instans, ut actiones primae Sessionis publicae indicentur et praeparentur.
6. Accepto Praesulis mandato praelegit *Secretarius* summarium istarum actionum.
7. Sequitur *Promotoris* instantia de constituendis et approbandis in Synodo *Examinatoribus cleri*.

¹ Pag. 28—30.

8. Praelectis per *Secretarium* nominibus eorum, quos Ordinarius constituit *Examinatores ordinandorum*, proponuntur per Celsissimum Dominum *Examinatores promovendorum ad beneficia curata* in Synodo approbandi; facto dein per Promotorem, Secretarium et Notarium *scrutinio*, publicantur pro opportunitate nomina eorum, quos Synodus approbavit.
9. Sequitur *Promotoris* instantia de constituendis *Sectionibus* pro deliberanda Synodi materia.
10. Exposita per Antistitem methodo, qua consultationes in Congregationibus *particularibus* expediendae erunt, praelegentur nomina eorum, quos singularum Sectionum *Praesides, Consultores, Referentes et Notarios* elegerit; quibus mox materia deliberanda exhibetur.
11. Facta dein indictione *primae Sessionis publicae fit gratiarum actio*¹, et Congregatio dimittitur.
12. Eodem vespere ab hora sexta usque ad septimam campanae ecclesiae cathedralis, s. Mariae, s. Magdalenae et s. Aloysii sollemniter pulsantur.

De prima Sessione publica.

1. Hora *septima matutina* omnes Synodi *officiales et sodales* convenient in ecclesia s. Aloysii, et cum rite parati fuerint², ordinatur processio ad valvas ecclesiae, adventum Celsissimi expectatura.
2. Ordo *Processionis* sequens erit:
 - a) Praefertur crux ecclesiae cathedralis;
 - b) Clerus ad Synodum vocatus, et quidem *praeecuntibus* illis, qui non sunt beneficiati cum cura animarum, *parochi rurales*, sequentibus mox decanis;

¹ Pag. 30.

² Clerus ad Synodum vocatus *superpelliceis et birretis* indutus sit in sessionibus publicis.

- c) Seminarii dioecesani Superiores et s. Theologiae Professores;
 - d) P. Abbas Trappistarum vel eius Vicarius;
 - e) Praepositus Petoviensis et Abbas saecularis Celeiensis;
 - f) Clerus ecclesiae cathedralis;
 - g) Caeremoniarii, Acolythi et ministri pro faciendo Sacro;
 - h) Capitulum cathedrale in corpore procedens.
5. Ecclesiam ingressus occupabit clerus synodalis *sedilia*, quae in *ecclesiae navi* a dextris et sinistris posita sunt; prout eis per *Magistrum Caeremoniarum* assignabuntur.
 6. Mox cum Celsissimus Antistes sedem suam occupaverit, persolvitur *Tertia*. Qua finita et paratis omnibus, quae ad Sacrum requiruntur, procedit Episcopus ad *Altare*, et intonat hymnum: „*Veni Creator Spiritus*“. Absolutis dein versiculo, responsorio et competenti oratione celebrabit *Missam de Spiritu sancto*¹.
 7. Finita Missa Episcopus depositis paramentis accipit *Pluviale* rubrum cum *mitra*, accedit ad altare et genuflexus incipit Antiphonam: *Exaudi*, et persolventur preces, prout Pontificale Romanum pro prima Sessione praecipit.²
 8. Recedentibus dein Acolythis inchoatur *Sessio concione synodali*. Qua finita *Promotor* more in Synodis usitato instat pro publicatione decretorum, ad formam Synodi pertinentium, videlicet de aperienda Synodo; de emittenda professione fidei; de ministris synodalibus; de praeiudicio non afferendo; de modo vivendi in Synodo; de servando secreto et de non discedendo.

¹ Glor., una Orat., Credo, Praef. de Spirit. et ult. Evang. s. Ioannis.

² Pag. 31—39.

— Singula decreta annuente Praesule per *Secretarium* Synodi vel per eius *Lectorem* praeleguntur.

9. Promulgato decreto *de emittenda fidei professione* Episcopus deposita mitra, conversus ad Altare, genuflectit, et manu libro Evangeliorum admota, voce elevata professionem fidei emittit, caeteris Eum *communi recitatione* sequentibus¹. — Dein sedens accipit *mitram et librum Evangeliorum*; moxque omnes in Synodo congregati *trini ac trini* accedunt, et manu libro Evangeliorum admota formulam iuramenti finalem dicunt: *Ego idem spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.*
10. Ad instantiam *Promotoris* promulgatur per *Secretarium* decretum de constitutis *Examinatoribus ordinandorum* et de approbatis in Synodo *Examinatoribus promovendorum ad beneficia curata*, qui, si praesentes fuerint, statim accedunt ad Antistitem, sollemni iuramento devinciendi.
11. Promulgatis dein, quae Antistes in hac Sessione prima promulganda decrevit, sequitur instantia *Promotoris*, ut proxima Sessio indicatur et de Sessionis habitae actione instrumentum conficiatur (instantia pro rogitu Notarii).
12. Quibus actis Episcopus sollemnem benedictionem impertitur. Dein depositis vestibis ordinatoque recessu synoditas in valvis ecclesiae dimittit.

De Congregationibus particularibus.

Actiones *Congregationum particularium* expedientur per *quatuor Sectiones*, quarum singulis Episcopus peculiarem materiae synodalis partem committet deliberandam.

¹ Pag. 54—56.

Sessiones harum Sectionum habebuntur tempore opportuno. Pro qualibet Sectione parabitur in aedibus seminarii clericorum episcopalis peculiare conclave, in quo eiusdem Sectionis consultores hora accuratius adhuc determinanda ad faciendam actionem synodalem convenient.

Actioni praemittuntur preces¹, dicendae per sodales et Praesidem, cuius erit, consultationes optimo, quo fieri poterit, modo dirigere, et curare, ut de actione Sessionis per *Notarium*, quem ipse designaverit, conficiatur instrumentum seu protocollum finita actione praelegendum et Episcopo, cum *eodem die ad faciendam Congregationem generalem* venerit, exhibendum. — Ad Praesides harum Sectionum pertinet quoque, ut *Procuratori cleri* in scriptis exhibeant vota seu desideria singulorum Consultorum, quatenus isti petierint, ut de his suis desideriis in Congregationibus generalibus annuente videlicet Ordinario publice agatur. — In fine Sessionum persolvetur *gratiarum actio*.²

De secunda Congregatione generali et altera Sessione publica.

I. Secunda Synodi Congregatio generalis eodem die a meridie habebitur hora tertia.

Adveniente Antistite persolventur *Vesperae cum Completorio*; quibus finitis more solito incipit actio synodalis.

Habebitur *prima meditatio*. Deinde Episcopus, prout opportunum duxerit, dilucidabit singulas propositae materiae synodalis partes, quibus actis ad instantiam *Promotoris* consilia et desideria cleri per illius *Procuratorem* exponentur.

Deinde Ordinarius instruit clerum de *Testibus synodalibus*, porro de *Iudicibus in partibus*, sique ei placuerit, clero renuntiat, quos huic obeundo muneri divinciendos

¹ Pag. 28—30.

² Pag. 30.

statuerit. Pari modo, si ei in Domino consultum videbitur, eligit nominabitque viros, quos *Iudicii sui ecclesiastici* in causis criminalibus et civilibus nec non matrimonialibus constituerit Consiliarios.

His actis ad Promotoris instantiam praelegetur per *Secretarium* summarium proximae *Sessionis publicae*, qua indicta preces pro *gratiarum actione*¹ fiunt.

II. Die sequenti celebrabitur altera *Sessio publica*.

Hora *septima* convenient omnes Synodi sodales et officiales in ecclesia ad s. Aloysium ibidemque paratis parandis expectant Antistitem. Qui quum post horam septimam Cappa indutus venerit, clero in locis designatis disposito persolvitur *Tertia*.

Sequitur *Missa pro defunctis* per unum e Canonicis ecclesiae cathedralis celebranda². *Missa* finita induitur Episcopus paramentis nigris pro facienda *Absolutione*.

Quibus peractis inchoatur *Sessio altera publica* precibus, quae *pro secunda* die in Pontificali Romano describuntur.³ Sequitur *sermo synodalis* et lectio eorum, quae Ordinarius promulganda decrevit.

Si Antistiti placuerit, advocantur constituti *Testes synodales*, *Iudices in partibus* et *Iudicii dioecesani Consiliarii* ad praestandum iuramentum per tactum *Evangeliorum vel vero per tactum reliquiarum Sanctorum* more antiquo.

Indicta *Sessione proxima* Episcopus sollemnem *benedictionem* impertitur. Depositis vestibibus factoque recessu clerum in ostio ecclesiae dimittit.

De tertia, quarta et quinta Congregatione generali.

I. Hora tertia erit *tertia Congregatio* generalis modo supra praescripto. Habebitur *secunda meditatio*.

¹ Pag. 30.

² Cum unica Collecta „Deus, qui inter apostolicos“, Epist. et Evang., quae in Missali habentur in prima Missa pro defunctis. — ³ Pag. 40—43.

II. Die sequenti habebitur *quarta Congregatio* generalis, ad quam clerus synodalis eadem hora et eodem modo, sicuti priori pagina describitur in altera Sessione publica, conveniet.

Absoluta, cum ad ecclesiam venerit Celsissimus Antistes, *Tertia*, celebratur per Canonicum aut Dignitarium Capituli *Missa de die*, cui Episcopus assistet indutus *Pluviali albi coloris*. Infra Missam recitetur Rosarium gaudiosum et persolvantur Litaniae lauretanae.

Peracta Missa inchoatur congregatio precibus ad hoc praescriptis. Dein habebitur *meditatio tertia*. Qua absoluta publicantur constitutiones, quas Illustrissimus Antistes decreverit. Quibus actis preces fiunt pro gratiarum actione. Deinde tempus liberum pro *facienda confessione sacramentali*.

III. Hora quarta habebitur *quinta et ultima Congregatio* generalis modo supra descripto.

De tertia et ultima Sessione publica.

Die sequenti celebrabitur *Session publica finalis*, ad quam clerus synodalis sexta hora et modo, sicuti priori pagina describitur, conveniet.

Absoluta, cum ad ecclesiam venerit Antistes, *Tertia*, cantatur per Antistitem *Missa de ss. Trinitate*¹, sub qua congressores assumptis stolis rubeis accedunt ad sacram communionem.

Peracta Missa inchoatur Sessio postrema precibus pro *die tertia* in Pontificali praescriptis².

Praemisso *sermone synodali* publicantur, quae Antistes decreverit, et absoluta actione excipit clerus monita Episcopi de observantia statutorum synodaliū. Pontifex

¹ Addita oratione pro gratiarum actione sub duplici *conclusionē*.

² Pag. 43—45.

sedens alloquitur Synodum, si velit, verbis: *Venerabiles et dilectissimi fratres, convenit.*¹

Dein praelegitur *elenchus sive catalogus* omnium et singulorum, qui huic Synodo dioecesanæ praesentes adesse debent. Absentes notentur.

Demum Pontifex, si placet, congregatos admonet sub verbis: *Fratres dilectissimi et Sacerdotes Domini, Cooperatorum ordinis nostri estis.*²

Postquam ad instantiam *Promotoris* lectum fuerit decretum tum de Synodo finienda, tum de illa, quae proxime habenda erit, et decretum de dimissione synodali, Episcopus subscribit statutis. Postea stans versus altare more solito intonat hymnum: *Te Deum laudamus*, quem clerus alta voce prosequitur. Hymno finito Episcopus dicit orationem finalem: *Nulla est Domine.*³

Dein fit *dedicatio et consecratio* dioeceseos Sacratissimo Cordi Iesu.⁴ Quam sequitur publicatio plenariorum *Indulgentiarum* et sollemnis clero impertienda *benedictio*, qua data persolventur *Suffragia.*⁵

Tandem primus *Diaconus* Pontifici assistens alta voce dicit: „*Recedamus in pace*“, cunctisque acclamantibus: „*In nomine Christi*“. Episcopus sacras vestes deponit ordinatoque recessu clerum in valvis ecclesiae in nomine Domini dimittit.



Preces in Synodo persolvendae.⁶

A) In Congregationibus generalibus et particularibus:

1. Ante actionem synodalem:

Veni Creator Spiritus — Mentis tuorum visita —
Imple superna gratia — Quae tu creasti pectora.

¹ Pag. 45. — ² Pag. 45—49. — ³ Pag. 49. — ⁴ Pag. 49—51. —
⁵ Pag. 51—53.

⁶ Cfr. Pontif. Rom. Ordo ad Synod.

Qui diceris Paraclitus — Altissimi donum Dei —
Fons vivus, ignis, charitas — Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere — Digitus paternae dexteræ
— Tu rite promissum Patris — Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus — Infunde amorem cordibus
— Infirma nostri corporis — Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius — Pacemque dones protinus
— Ductore sic te praevisio — Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem — Noscamus atque Filium
— Teque utriusque Spiritum — Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria — Eiusque soli Filio — Cum
Spiritu Paraclito — Nunc et per omne saeculum. Amen.

Ÿ. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

R. Et renovabis faciem terrae.

Oremus. Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus
illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta
sapere, et de eius semper consolatione gaudere. Per
Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui
tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti
Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus peccati
quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter
aggregati; veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cor-
dibus nostris; doce nos, quid agamus; quo gradiamur,
ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor
et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo
Patre et eius Filio nomen possides gloriosum; non nos
patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summe diligis
aequitatem; ut sinistrum nos non ignorantiae trahat; non
favor inflectat; non acceptio muneris vel personae cor-
rumpat; sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae
dono, ut simus in te unum et in nullo deviemus a vero;
quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus
cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo

dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

R. Amen.

2. Post actionem synodalem:

Antiphona: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Oremus. Deus, apud quem pro perceptis donis gratitudo secura est alterius beneficii impetratio, da nobis dignas Tibi pro collatis beneficiis gratias rependere, ut misericordiam Tuam ad impertienda nobis nova bona provocemus. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Sequitur oratio ab omnibus recitanda:

Sub tuum praesidium confugimus — sancta Dei genitrix — nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis — libera nos semper — Virgo gloriosa et benedicta — Domina nostra — Mediatrix nostra — Advocata nostra — tuo Filio nos reconcilia — tuo Filio nos commenda — tuo Filio nos repraesenta.

V. Vultum tuum deprecabuntur.

R. Omnes divites plebis.

Oremus. Defende, quaesumus, Domine beata Maria semper Virgine intercedente nostram ab omni adversitate familiam, et toto corde Tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Divinum auxilium sit semper nobiscum.

R. Amen.

B) In Sessionibus publicis:

1. In Sessione primae diei:

Pontifex ante faldistorium sibi paratum genuflexus, deposita mitra, incipit schola prosequente Antiphonam:

Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua, et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

Incepto Psalmo, sedet Pontifex, accepta mitra, et sic manet, quousque finiatur Psalmus et Antiphona repetatur.

Psalmus 68. Salvum me fac Deus: * quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundum: * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniuste: * quae non rapui, tunc exsolvebam.

Deus tu scis insipientiam meam: * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me, qui exspectant te Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me: * qui quaerunt te, Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis, * et peregrinus filiis matris meae.

Quoniam zelus domus tuae comedit me: * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in ieiunio animam meam: * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, * et in me psallebant, qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te Domine: * tempus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiae tuae exaudi me, * in veritate salutis tuae.

Eripe me de luto, ut non infigar, * libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquae, neque absorbeat me profundum: * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: * et secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animae meae et libera eam: * propter inimicos meos eripe me.

Tu scis improprium meum et confusionem meam * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me: * improprium expectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: * et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, * et in retributiones et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum, ne videant: * et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam: * et furor irae tuae comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: * et in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: * et non intret in iustitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: * et cum iustis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua Deus suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico: * et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes et laetentur: * quaerite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus: * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum coeli et terra, * mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam facis Sion: * et aedificantur civitates Iuda.

Et inhabitabunt ibi, * ed haereditate acquirunt eam.

Et semen servorum eius possidebit eam: * et qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Finito Psalmo et repetita Antiphona, Pontifex surgit, et deposita mitra, versus ad altare dicit:

Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris: doce nos, quid agamus; quo gradiamur,

ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse iustitiae, qui summe diligis aequitatem; ut sinistrum nos non ignorantiae trahat; non favor inflectat; non acceptio muneris vel personae corrumpat: sed iunge nos tibi efficaciter solius tuae gratiae dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero; quatenus in nomine tuo collecti, sic et cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna.

Respondetur ab omnibus: Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti; mentes nostras, quaesumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide et charitate corroboret; ut excitati a temporali synodo, proficiamus ad aeternae felicitatis augmentum. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. *R. Amen.*

Finita oratione Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium praedictum, aliis omnibus genuflectentibus, et dicuntur Litaniae:

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison. Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de coelis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria,

Sancta Dei genitrix,

Sancta Virgo virginum,

Sancte Michael,

} Ora pro nobis.

Sancte Gabriel, }
 Sancte Raphael, } Ora pro nobis.

Omnes ss. Angeli et Archangeli, Orate pro nobis.

Omnes Sancti beatorum spirituum ordines, Orate pro nobis.

Sancte Ioannes Baptista, Ora pro nobis.

Sancte Ioseph, Ora pro nobis.

Omnes sancti Patriarchae et Prophetæ, Orate pro nobis.

Sancte Petre,
 Sancte Paule,
 Sancte Andrea,
 Sancte Iacobe,
 Sancte Ioannes,
 Sancte Thoma,
 Sancte Iacobe,
 Sancte Philippe,
 Sancte Bartholomæe,
 Sancte Matthæe,
 Sancte Simon,
 Sancte Thaddæe,
 Sancte Mathia,
 Sancte Barnaba,
 Sancte Luca,
 Sancte Marce, } Ora pro nobis.

Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, Orate pro nobis.

Omnes sancti Discipuli Domini, }
 Omnes sancti Innocentes, } Orate pro nobis.

Sancte Stephane,
 Sancte Laurenti,
 Sancte Vincenti, } Ora pro nobis.

Sancti Fabiane et Sebastiane,
 Sancti Ioannes et Paule,
 Sancti Cosma et Damiane,
 Sancti Gervasi et Protasi,
 Omnes sancti Martyres, } Orate pro nobis.

Sancte Silvester,
 Sancte Gregori,
 Sancte Ambrosi, } Ora pro nobis.

Sancte Augustine,	}	Ora pro nobis.
Sancte Hieronyme,		
Sancte Martine,		
Sancte Nicolae,		
Omnes sancti Pontifices et Confessores, Orate pro nobis.		
Omnes sancti Doctores, Orate pro nobis.		
Sancte Benedicte,	}	Ora pro nobis.
Sancte Antoni,		
Sancte Bernarde,		
Sancte Dominice,		
Sancte Francisce,		
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, Orate pro nobis.		
Omnes sancti Monachi et Eremitae, Orate pro nobis.		
Sancta Maria Magdalena,	}	Ora pro nobis.
Sancta Agatha,		
Sancta Lucia,		
Sancta Agnes,		
Sancta Caecilia,		
Sancta Catharina,		
Sancta Anastasia,	}	
Omnes sanctae Virgines et Viduae, Orate pro nobis.		
Omnes Sancti et Sanctae Dei, Intercedite pro nobis.		
Propitius esto, Parce nobis Domine.		
Propitius esto, Exaudi nos Domine.		
Ab omni malo,	}	Libera nos Domine.
Ab omni peccato,		
Ab ira tua,		
A flagello terraemotus,		
A subitanea et improvisa morte,		
Ab insidiis diaboli,		
Ab ira et odio et omni mala voluntate, Libera nos Domine.		
A spiritu fornicationis, Libera nos Domine.		
A fulgure et tempestate, Libera nos Domine.		
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae, Libera nos Domine.		
Per Adventum tuum, Libera nos Domine.		

Per Nativitatem tuam, Libera nos Domine.

Per Baptismum et sanctum Ieiunium tuum, Libera nos Domine.

Per Crucem et Passionem tuam, Libera nos Domine.

Per Mortem et Sepulturam tuam, Libera nos Domine.

Per sanctam Resurrectionem tuam, Libera nos Domine.

Per admirabilem Ascensionem tuam, Libera nos Domine.

Per Adventum Spiritus sancti Paracliti, Libera nos Domine.

In die Iudicii, Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.

Ut nobis indulgeas, Te rogamus audi nos.

Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut Imperatorem nostrum custodire digneris, Te rogamus audi nos.

Ut Regibus et Principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris, Te rogamus audi nos.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas, Te rogamus audi nos.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.

Ut fructus terrae dare et conservare digneris, Te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, Te rogamus audi nos.

Pontifex surgit, et baculum pastorem in sinistra tenens, stans versus ad Synodum, dicit:

Ut hanc praesentem Synodum visitare, disponere et bene † dicere digneris.

R. Te rogamus audi nos.

Producens signum crucis pariter super omnes, quo facto, iterum occumbit, Litanis perficiendis.

Ut nos exaudire digneris, Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Quibus dictis, surgunt omnes, et Pontifex deposita mitra dicit stans versus ad altare: Oremus.

Et ministri: Flectamus genua. R. Levate.

Da, quaesumus, Ecclesiae tuae misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Deinde Pontifex, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris, ita ut in ea sedens dorsum suum vertat ad altare. Et imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito. Diaconus dalmatica indutus, praecedentibus thuriferario et duobus ceroferariis Subdiacono tunicella induto, paramentis rubeis, benedictione accepta a Pontifice, cantat in loco convenienti:

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Convocatis Iesus duodecim Apostolis dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et misit illos, praedicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes et curantes ubique.

Quo finito, liber Evangeliorum apertus per Subdiaconum portatur Pontifici per eum osculandus, qui et deinde incensatur. Quo facto, Pontifex ipse ante sedem suam praedictam, deposita mitra, versus ad altare, atque alii omnes in locis suis genuflectunt. Tum Pontifex sic genuflexus incipit cantando, schola prosequente hymnum:

Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita: * imple superna gratia, quae tu creasti pectora.

Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, sine mitra, usque ad finem hymni: similiter omnes alii cum Pontifice surgunt.

Qui diceris Paraclitus, altissimi donum Dei: * fons vivus, ignis, charitas et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere, digitus Paternae dexteræ:
* Tu rite promissum Patris, sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus, infunde amorem cordibus,
* infirma nostri corporis, virtute firmans petiti.

Hostem repellas longius, pacemque dones protinus,
* ductore sic te praevio, vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem, noscamus atque Filium:
* Teque utriusque Spiritum, credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria, eiusque soli Filio, * cum Spiritu Paraclito, nunc et per omne saeculum. Amen.

2. In Sessione secundae diei:

Pontifex, paratus ut supra, procedit coram altari Diacono et Subdiacono, paratis ut supra, ipsum associantibus, et ibi in faldistorio ante medium altaris iuxta inferiorem gradum sibi parato genuflexus, deposita mitra, inchoat, schola prosequente, Antiphonam.

Propitius esto peccatis nostris Domine, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

Finita Antiphona et incepto Psalmo, sedet Pontifex, reassumta mitra, usque ad finem Psalmi.

Psalmus 78. Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli: * carnes sanctorum tuorum, bestiis terrae.

Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Ierusalem: * et non erat, qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem: * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quae te non noverunt: * et in regna, quae nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Iacob: * et locum eius desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiae tuae: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui Domine libera nos: * et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improprium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus et oves pascuae tuae: * confitebimur tibi in saeculum.

In generationem et generationem: * annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri et Filio etc. Sicut erat in principio etc.

Deinde finito Psalmo et repetita Antiphona, Pontifex deposita mitra surgit, et stans versus ad altare dicit:

Oremus. Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quaesumus, ut bonum, quod in nobis a te requiritur, exequamur: scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduae subtile iudicium faciamus; ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitae actionis. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Oremus. Mentibus nostris, quaesumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quae tibi sunt placita, et dictis exequamur et factis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Oremus.

Et ministri dicunt: Flectamus genua.

R. Levate.

Deus, qui nos iustitiam loqui, et quae recta sunt, praecipis iudicare: tribue nobis, ut neque iniquitas in ore nec pravitas inveniatur in mente: ut puro cordi

purior sermo consentiat, ostendatur in opere iustitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Post haec Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, et sedet in sede seu faldistorio ibidem sibi parato.

Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde Diacono benedicit, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem praedictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes, quae apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate, quae apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Quo finito et per Pontificem libro osculato et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem praedictam versus ad altare, ac aliis omnibus in suis locis genuflexis, incipit, schola prosequente, hymnum: Veni Creator Spiritus. Et dicitur totus, ut supra pag. 39, quem schola prosequitur,

ut in primo die. Finito primo versu, Pontifex surgit stans versus ad altare, detecto capite usque ad finem hymni. Simili modo faciunt omnes alii.

3. In Sessione tertiae diei:

a) Ante Sessionem:

Pontifex paratur, ut heri, assistantibus sibi Diacono et Subdiacono paratis, genuflexus in faldistorio iuxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato, deposita mitra, incipit, schola prosequente, Antiphonam.

Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua: et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine.

Psalmus: Salvum me fac Deus: * quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam. *Et dicitur totus, prout habetur supra in primo die pag. 31. Deinde repetitur Antiphona. Incepto Psalmo, Pontifex sedet, et accipit mitram sic manens, quousque Psalmus finiatur et Antiphona repetatur; qua repetita, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit:*

Oremus. Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu tuae gratiae solidati, praecones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R. Amen.

Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti: Ubi duo vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore; adesto coetui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiae tuae nullatenus aberremus, sed rectum iustitiae tuae tramitem in omnibus teneamus. Per Do-

minum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Oremus.

Et ministri dicunt: Flectamus genua.

R. Levate.

Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis et amore dominaris; da spiritum sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae; ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna pastorum. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. R. Amen.

Post haec Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, sedens in sede seu faldistorio ibidem sibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum; deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem praedictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Iterum dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in no-

mine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Iesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies.

Quo finito et per Pontificem libro osculato et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem praedictam versus ad altare, atque aliis omnibus in locis suis genuflexis, incipit schola prosequente hymnum: Veni Creator Spiritus. Ed dicitur totus, ut supra pag. 28. Finito primo versu, Pontifex surgens, stat versus ad altare detecto capite usque ad finem hymni. Simili modo faciunt omnes alii. Expleto hymno omnes sedent. Pontifex sedens cum mitra Synodum his verbis alloquitur, si velit:

Venerabiles et dilectissimi fratres. Convenit, ut ea, quae ecclesiasticis officiis et sacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis sanctionibus propter diversas occupationes, aut (quod negare non possumus) propter nostram aliorumque desidiam non tam plene, ut oportet, executae sunt: omnium nostrum unanimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur; ut quae digna sunt emendatione, ad meliorem statum, auxiliante Domino, perducantur. Et cui fortasse aliquid, quod digestum est, displicet, charitati vestrae cum benignitate et modestia intimare non differat; quatenus totum, quod synodali conventione nostra statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctae pacis ab omnibus aequae custodiatur ac teneatur, ad augmentum aeternae beatitudinis omnium nostrum.

Demum Pontifex sedens cum mitra admonet congregatos, si placet, sub huiusmodi verbis, quae sancto Udalrico, celebri episcopo Augustano in Vindelicis (923—973), adscribuntur:

Fratres dilectissimi et Sacerdotes Domini: Cooperatores Ordinis nostri estis. Nos quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari et Ithamari.

Nos vice duodecim apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta duorum discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus, vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo Pastori nostro Domino Iesu Christo, vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, fratres dilectissimi, videte periculum vestrum. Admonemus itaque et obsecramus fraternitatem vestram, ut quae vobis suggerimus, memoriae commendetis et opere exercere studeatis. In primis admonemus, ut vita et conversatio vestra sit irreprehensibilis. In domibus vestris mulieres non cohabitent. Officium vestrum horis certis decantate. Nullus, nisi ieiunus, Missam celebret, et non in vestibus communibus, sed sacris et nitidis, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, quae ad alios usus non serviant. Missas religiose celebrate: Corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi cum omni reverentia et tremore sumite. Corporalia mundissima sint. Vasa sacra propriis manibus abluite et extergite diligenter. Nulla femina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Altare sit coopertum mundis linteis, saltem tribus diversis. Et desuper nihil ponatur, nisi reliquiae ac res sacrae et pro sacrificio opportunae. Missale et Breviarium unusquisque habeat. Ecclesiae vestrae bene sint coopertae et mundaе. In sacristiis sive secretariis aut iuxta altare maius sit locus praeparatus ad infundendum aquam ablu-tionis corporalium et vasorum sacrorum ac manuum, postquam sanctum Chrisma aut oleum Catechumenorum vel Intrinorum tractaveritis. Ibique pendeat vas cum aqua munda, pro lavandis manibus sacerdotum et aliorum, qui rem sanctam et officium divinum sunt peracturi, et prope linteum mundum ad illas abstergendum. Atria Ecclesiae sint bene munita. Nullus extra Ecclesiam in locis non consecratis celebret. Nullus in alterius parochia absque proprii Sacerdotis licentia Missam celebret. In celebratione quisque calicem et oblata non circulo aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed

iunctis et extensis digitis cruce signet sicque benedicat. Calix et patena sint aurei vel argentei, non aerei aut aurichalcei, vitrei vel lignei. Quisque Presbyter clericum habeat vel scholarem, qui cum eo Psalmos cantet, Epistolam et Lectionem legat, et in Missa respondeat. Ipse quoque Presbyter infirmos visitet et reconciliet et iuxta Apostolum propria manu communicet, oleo sancto inungat. Per negligentiam vestram nullus infans sine Baptismo et adultus sine Communionem pereat. Nullus vestrum sit ebriosus aut litigiosus. Nullus arma ferat. Nullus canum aut avium iocis inserviat, nullus in tabernis bibat. Quisque vestrum quantum sapit, de Evangelio Dominicis et ceteris festivis diebus suae plebi annuntiet. Verbum Domini praedicate. Curam pauperum, peregrinorum, viduarum et orphanorum habete; ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate. Estote hospitales, aliis exinde bonum exemplum praebentes. Singulis diebus Dominicis ante Missam aquam, qua populus aspergatur, benedicite, ad quod vas proprium habete. Vasa sacra et vestimenta sacerdotalia nolite negotiatori aut tabernario in pignus dare. Facultates vestras post ordinationem vestram acquisitas non alienate, quoniam Ecclesiae sunt. Nullus etiam res et possessiones Ecclesiae vendere, commutare aut quocumque ingenio praesumat alienare. Nullus decimam alterius recipiat. Quisque fontes baptismales lapideos habeat bene mundos; quos si habere non poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat. Omnibus parochianis vestris Symbolum et Orationem Dominicam insinuate. Ieiunia Quadragesimae, Quatuor Temporum et alia Ecclesiae mandata significare observanda. Tribus temporibus in anno, id est, Navitate Domini, Pascha et Pentecoste, omnes fideles accedere ad communionem corporis Domini nostri Iesu Christi admonete, et ne omittat, quin saltem in Pascha communicet. Nullus vestrum rubeis aut viridibus vel laicalibus vestibus utatur. Diem Dominicam et ceteras festivitates absque opere servili a vespera in vesperam celebrari

docete. Cantus et choreas mulierum in atrio Ecclesiae prohibete. Incantationes super mortuos nocturnis horis fieri consuetas sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare: Nec quis vestrum in eorum praesentia celebrare praesumat, quod etiam plebi nunciate. Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiae temporibus ab Ecclesia permissis publice fuerint celebratae. Quod nullus ad raptam vel consanguineam accedat, aut alterius sponsam ducat, omnimodis prohibete. Porcarios et alios pastores saltem Dominica die faciatis venire ad Missam. Paternos ut filiolos Symbolum et Orationem Dominicam doceant aut doceri faciant, exhortamini. Sacramentum Eucharistiae, sanctum Chrisma et oleum Catechumenorum ac Sanctum seu Infirmorum, in Ecclesia in loco mundo, condecanti et securo, sub sera et fida custodia diligenter servate. Quisque vestrum expositionem Symboli et Orationis Dominicae iuxta orthodoxorum Patrum traditiones penes se habeat, easque atque Orationes Missarum et Epistolas, Evangelia et Canonem bene intelligat, ex quibus praedicando, populum sibi commissum sedulo instruat, et maxime non bene credentem. Introitum Missae, Orationes, Epistolam, Graduale, Evangelium, Symbolum et cetera non secreta, alta et intelligibili voce proferat. Secreta vero et Canonem morose et distincte submissa voce legat. Psalmorum verba et distinctiones regulariter cum Canticis consuetis intelligibiliter pronuntiet. Symbolum sancti Athanasii de Trinitate et fide Catholica memoriter teneat. Exorcismos et Orationes ad Catechumenos faciendos, ac reliquas preces super masculum et feminam, pluraliter vel singulariter respective, distincte proferat. Ordinem baptizandi, et ad succurrendum infirmis, reconciliationis et commendationis animae, et in agendis exequiis defunctorum, iuxta modum canonicum observet. Exorcismos et benedictiones salis et aquae pertinenter legat. Canticum diurnum et nocturnum sciat. Computum etiam minorem ad inveniendum litteram Dominicalem,

tempus intervalli diei Paschae et maiorum mobilium festorum non ignoret. Volumus autem, fratres dilectissimi, quatenus quae nostra percepistis traditione, bonis studeatis operibus adimplere, praestante Domino nostro Iesu Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto est honor et gloria in saecula saeculorum.

b) Oratio post Sessionem finalem.

Oremus. Nulla est, Domine, humanae conscientiae virtus, quae inoffense possit tuae voluntatis iudicia experiri, et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa misericors Deus, quod perfecto aequitatis fine concludere peroptamus; te in nostris principiis occurrentem poposcimus, te in hoc fine iudiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet, ut ignorantiae parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente, tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut praeceptum forsitan voluntas impulerit, iustitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter et transgressores venia et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Dedicatio et Consecratio Sacratissimo Cordi Iesu.

O dulce Cor Iesu, boni Pastoris et Sacerdotis in aeternum, Domini et Regis nostri, divini Salvatoris et Reparatoris generis humani, in quo infinitus misericordiae et bonitatis divinae thesaurus nobis revelatur, en, nos in sacra Synodo congregati vehementi accendimur desiderio, Tuam maiorem curandi gloriam omnesque Tibi illatas reparandi iniurias. Proinde nos nostraque omnia,

dioecesim nostram Lavantinam, universum clerum cum cuncto populo curae nostrae pastorali commisso — Tibi, amoris nostro, vovemus, dedicamus et consecramus, ut ex illo uberrimo donorum coelestium fonte et origine omnes hauriamus, gustantes et videntes omnibus diebus vitae nostrae, perquam suavis ac clemens sit Dominus iis potissimum, qui sese Ipsi offerunt.

O Iesu, mitis et humilis corde, fac cor nostrum sicut Cor Tuum, quod amare, colere et adorare cupimus. Dulcissime Iesu, non sis nobis iudex sed salvator. Serva, humillime Tuam precamur misericordiam, incolumes et in Tua dilectione cultuque Tuo perseverantes, quos ad gregis Tuo pretiosissimo sanguine redempti curam ac custodiam elegisti. Salvam fac plebem Tuam Tibi specialiter devotam, et benedic haereditati Tuae. Confirma, quod operatus es in nobis mediante hac sacra Synodo, quam Te opitulante celebravimus, ut ad maiorem Dei gloriam, ad ecclesiae regni Tui decus et ad aeternam pastorum oviumque salutem proficiat, atque in perpetuum nostrae erga sacratissimum Cor Tuum ferventis devotionis et pietatis maneat monumentum.

O Iesu, dulcis memoria, in unione illius divinae intentionis, qua Ipse in terris per sanctissimum Cor Tuum laudes Deo persolvisti et nunc continenter Eucharistiae Sacramento ubique terrarum persolvis usque ad consummationem saeculi, nos Lavantini ad imitationem purissimi Cordis beatae Mariae semper Virginis Immaculatae Tibi libentissime pro futuro offerimus omnes nostros affectus, omnia nostra desideria, consilia et proposita, omnes nostros labores et sudores, omnia nostra opera et verba et cogitata. Effunde super nos gratiam Tuarum illustrationum, ut semper, quae vera et recta sunt, cognoscamus et opere impleamus. Imple nos Tuo amore, ut omnes unum simus, sicut Tu et Pater Tuus unum estis. Adveniat et propagetur regnum gratiae Tuae diem de die in dioecesi nostra, ut omnes dioecesani

laudent et glorificent sempiternam Tui melliflui Cordis charitatem.

V. Cor Iesu, flagrans amore nostri.

R. Inflamma cor nostrum amore Tui.

Oremus.

Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Iesus Christus e penetralibus Cordis Tui misit in terram, et voluit vehementer accendi. Qui Tecum vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Suffragia

in fine Synodi persolvenda.

Quum acclamationes ex instructione Caeremonialis Romani in synodis diocesanis parcius adhibendae sint, hinc in fine huius ultimae Sessionis peracta per Pontificem oratione: „Nulla est Domine“, prout supra exhibetur, persolventur Suffragia. — Sedente videlicet Episcopo in throno Secretarius Synodi procedit ad altare, et conversus ad Synodum alta voce dicit singula Invitatoria, et post Responsoria cleri singulas Orationes ordine sequenti:

Invitorium: Oremus pro Beatissimo Papa nostro Leone XIII.

Respons. cleri: Dominus conservet eum, et vivificet eum et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in manibus inimicorum eius.

Oratio: Omnipotens, sempiternus Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro Leoni et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae, ut te donante tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat. Per Dominum.

Invitorium: Oremus pro Celsissimo ac Reverendissimo Domino Michaeli Antistite nostro vigilantissimo.

Respons. cleri: Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te; mitte ei auxilium de sancto, et de Sion tuere eum.

Oratio: Deus omnium fidelium pastor et rector famulum tuum Michaellem, quem pastorem Ecclesiae Lavantinae praeesse voluisti, propitius respice; da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Dominum.

Invitatorium: Oremus pro omnibus Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acolythis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis et Clericis; pro omnibus in Synodo congregatis et pro fratribus nostris absentibus.

Respons. cleri: Memento Congregationis tuae, Domine, quam possedisti ab initio.

Oratio: Omnipotens sempiterne Deus, cuius spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviat. Per Dominum . . . in unitate eiusdem Spiritus.

Invitatorium: Oremus pro Augustissimo Imperatore et Rege nostro Francisco Iosepho.

Respons. cleri: Domine, salvum fac Imperatorem et Regem nostrum, et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Oratio: Quaesumus omnipotens Deus, ut famulus tuus Franciscus Iosephus, Imperator et Rex noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus vitiorum monstra devitare, hostes superare et ad te, qui via, veritas et vita es, gratosus valeat pervenire. Per Dominum.

Invitatorium: Oremus pro universis huius civitatis christifidelibus et pro coetibus nobis commissis.

Respons. cleri: Salvum fac populum tuum Domine et benedic haereditati tuae.

Oratio: Praetende, Domine, fidelibus tuis dexteram coelestis auxilii, ut te toto corde perquirant, et quae digne postulant, consequi mereantur. Per Dominum.

Invitatorium: Oremus pro fidelibus defunctis.

Respons. cleri: Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis.

Oratio: Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulos tuos pontificali seu sacerdotali fecisti dignitate vigere, praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam, ut nostrae congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Finitis his Suffragiis Episcopus stans in throno dicit:

Totius Synodi clero pacem, concordiam et gratiam a Domino!

Respons. cleri: Deo gratias! Amen.



Forma professionis fidei.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptismum in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam nisi iuxta unanimum consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confir-

mationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto; omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo, Purgatorium esse animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparae semper virginis nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Cetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Con-

cilio Vaticano tradita, definita et declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum, constantissime Deo adiuvante retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum: ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.



II.

Instructio

de officialibus sive ministris Synodi.

1. De officialibus seu ministris suam operam Synodo praestantibus.

n Caeremoniali Episcoporum¹, ubi sermo fit de synodo dioecessana, habetur: »Officiales quoque et ministri necessarii deputandi sunt in huiusmodi conciliis, veluti Notarii, Ostiarii, Magistri Caeremoniarum et alii, ut habetur in concilio Toletano quarto, canone quarto«.

Eiusmodi officiales singillatim enumerat clarissimus Gavantus in sua praeclara *Praxi exactissima synodi dioecessanae*², quorum aliquos eligendos affirmat ab episcopo ante synodum, alios in praesynodali congregatione consultorum, priusquam incipiant synodales sessiones, in prima sessione postea promulgandos. In subsequentibus singulos recensebimus eorumque officia et munia expla-

¹ Lib. I. cap. XXXI. num. 18.

² Barth. Gavanti, *Praxis exactissima synodi dioecessanae*. Ven. 1668. cap. 18 sqq. — Idem, *Enchiridion seu manuale episcoporum*. Ven. 1669. — Henr. Bottaeus, *De synodo episcopi et de episcoporum statutis synodalibus*. (Tract. iur. univ. 13. 2. 377—407). — Massobrius, *Tract. de synodo dioecessana*. Romae, 1627. — Ios. Al. Asseman, *De synodo dioecessana*. Romae, 1786. — D. Bouix, *Tract. de episcopo et synodo dioecessana*. 2. vol. Parisiis, 1873. — Lud. Thomassin, *Vetus ac nova ecclesiae disciplina circa beneficia et beneficiarios*. Parisiis, 1725. (Part. II. Lib. II. c. 73—76). — Lucius Ferraris, *Prompta bibliotheca canonica*. Monte Cassin., 1844. Sub voce *Synodus dioecessana*. — *Praxis synodalis*. Neo-Eboraci, 1883.

nabimus, ut instructor accedat clerus ad nostram Synodum ac sollicitudinis studio inflammator sit ad ecclesiasticae disciplinae rectam executionem atque observantiam.

Officia Promotoris Synodi.

Gravissimum munus Promotoris Synodi paucis verbis exponit Benedictus XIV., docens, eius esse, urgere actiones synodales seu insistere, ut omnia, quae in Synodo facienda sunt, celeriter et fructuose perficiantur ¹.

Promotoris ergo erit, debito more instare, ut materia in congregationibus generalibus et sessionibus publicis opportuno tempore parata et bene ordinata sit. Porro eius erit, providere, ut, quae formam actionis synodalis in sessionibus potissimum publicis usitatam concernunt, servato sacrae liturgiae ordine, expédiantur.

Officia Secretarii Synodi.

Eligitur Synodi Secretarius, ait Benedictus XIV. ², quem decet esse aliquem ex Canonicis ecclesiae cathedralis, cui additur socius, Lector appellatus, eo quod isti onus incumbat, clara et intelligibili voce legendi Synodi decreta.

Ad Secretarium spectat, curare, ut pridie, quam sessiones publicae celebrentur, edictum celebrandae sessionis vel publice praelegatur vel vero valvis ecclesiae synodalis affigatur. Dein ad eum pertinet, decreta ad formam synodi spectantia promulgare ac materiam in congregationibus et sessionibus publicandam praelegere.

Officia Notarii Synodi.

Deputatur insuper Notarius seu Actuarius Synodi, cuius principale onus erit, conficere instrumenta om-

¹ Op. cit. lib. IV. Cap. 1. num. 2.

² L. c.

nium actionum synodaliū. Hinc in fine cuiuslibet sessionis rogabitur a Promotore, ut de iis, quae acta et gesta sunt, instrumentum conficiat (instantia pro rogitu Notarii). Ad rite conficienda instrumenta seu protocolla aliquos de clero vocat in testes, quorum nomina in tabulas refert. Instrumentorum tenorem in fine congregationum et sessionum promulgabit. In fine Synodi instrumenta exhibebit episcopo pro subscriptione.

Officia Procuratoris Cleri.

Ad evitandas turbas et praecavendos tumultus, sic sapienter adnotat sapientissimus Papa Benedictus XIV.¹, qui certe fierent, si singulis de clero venia daretur reclamandi adversus decreta, quae in Synodo promulgantur, solet episcopus aliquem constituere totius cleri Procuratorem, qui omnium nomine ea tamen, qua decet, modestia et reverentia dicat in Synodo, quae clero displicent quaeque ex iis, quae aut statuta aut statuenda sunt, difficiliora et aspera videantur. Omnia vero, quae nomine cleri petierit, scripta tradat Synodi Secretario.

Officia Iudicum querelarum et excusationum.

Officia Iudicum querelarum et excusationum ad sequentia potissimum redeunt.

Iudicum erit, examinare excusationes tum eorum, qui ad Synodum rite vocati, iusto tamen impedimento detenti, non comparuerunt, tum illorum, qui eveniente fors casu necessitatis libello supplici ad Praesidem huius iudicii scripto deferendo postulaverint, ut Synodo nondum finita in Domino dimittantur. Ad eosdem Iudices pertinet, quaestiones circa ordinem sedendi seu praecedendi inter congregatos forte excitatas brevi manu, prout Benedictus XIV. ait², ita componere, ut nulli

¹ L. c. num. 4.

² Op. cit. lib. IV. cap. 2. num. 3.

praeiudicium inferatur. *Attamen decreto de praeiudicio non afferendo* provide cautum est, ne quid de cuiuspiam iure vel maioriata detrahatur. In reliquum Lavantini sacerdotes querelas de iure praesentiae vel praecedentiae non movebunt. Ad forum Synodi spectat, de praecedentia, in Synodo habenda, omni recursu prorsus rescisso pronuntiare.

Praesidis dicti iudicii erit, curare, ut acta iudicii in peculiari instrumento seu protocollo consignentur, et ut finita Synodo relatio de actis episcopo exhibeatur.

Officia Praefecti eiusque Coadiutorum pro hospitiiis.

Praevie ante Synodum destinari debet Praefectus hospitiorum cum Coadiutoribus, quorum interest, omnem adhibere diligentiam, ut clerici ad Synodum venientes honestis excipiantur hospitiiis aut diversoria in civitate inveniant, eorum statui congruentia.

Officia Magistri Caeremoniarum eiusque Sociorum.

Officiales itidem Synodo necesarii sunt Caeremoniarii, qui cum suo Magistro curare debent, ut omnia, quae in Synodo fiunt, debito ritu, cultu et maiestate peragantur — secundum ordinem et processum in celebranda Synodo servandum et alioquin typis datum et in manus Synodi sodalium traditum.

Officia Ostiariorum.

Necesarii porro reputantur in Synodo Ostiarii, qui praesint ecclesiae synodalis ianuis et laicis sine strepitu ingressum prohibeant et, cum incipienda est Synodus, ecclesiae fores obserent. Eiusmodi Ostiarios esse debere viros graves, notat Gavantus ¹, quia ad ipsos spectat, sessionum tempore clericos, quos forte videant ecclesiam pervagantes aut secum invicem colloquentes, admonere.

¹ L. c. cap. 29.

Officia Directoris spiritualium exercitiorum.

Munus eius grave erit, suis meditationibus Synodi sodales a malo et convertere ad bonum et ita ipsos optime praeparare ad peragendam confessionem sacramentalem. Qua in Domino peracta Synoditae lucentur plenariam indulgentiam, a sancta Sede ipsis misericorditer concessam Brevi apostolico de die 16. mensis Maii 1890.

Officia Confessariorum.

Inter Synodi officiales enumerat Papa Benedictus XIV. Confessarios, ab episcopo pro Synodo destinatos, quibus valde congruum esse ait, ut episcopus praesertim in sua prima Synodo totam deleget potestatem, qua ipse potitur, absolvendi videlicet a casibus reservatis. Quam facultatem hisce concedimus Confessariis synodalibus, sicuti et omnibus rite approbatis sacerdotibus, qui durante Synodo confessiones fidelium audient vel excipient in ecclesiis civitatis nostrae residentialis Marburgensis.

2. De officialibus in Synodo eligendis, ut in posterum adhibeantur.

Praeter officiales Synodo inservientes alii eliguntur in Synodo, qui posthac munere fungantur. Praecipuum inter istos locum obtinent:

Testes synodales.

Ab episcopo in Synodo designantur Testes synodales, viri probatae fidei, ut custodes quodammodo sint decretorum, quae a Synodo eduntur. Eorum quippe officium est, dioecesim subinde perlustrare atque animadvertere, an quidquam alicubi contra Synodi decreta fiat, et omnia episcopo candide, aperte et veraciter referre.

Concilium Salisburgense, convocatum anno 1420, sancivit: »Sacro approbante concilio ordinamus, ut omnes et singuli nostri Suffraganei in proximis ipsorum synodis... studeant personas idoneas, probas videlicet et honestas in Testes publicos sive synodales ordinare, qui per totum annum simpliciter et de plano absque ulla iurisdictione sollicitè investigent, quae correctione et reformatione sint digna: et ea fideliter referant ad ... synodum episcopalem, ut, correctione digna, animadversione congrua puniantur.»¹

Ut Testes synodales sine mendacio doloque munus suum expleant, antequam illud assumant, iurisiurandi religione obstringuntur, ad omnia, quae resciverint et emendanda existimaverint, ingenue ac sincere episcopo renuntianda.

Nemo profecto est adeo hebetis ingenii, qui non videat, quantum Testium synodaliū opera ad rectam conferret dioecesis administrationem; multis siquidem malis obviam iretur, si episcopus ex relatione hominum integerrimae fidei illa praesciret. Peccandi licentia multum invalescit ex eo, quod crimina superioribus plerumque celentur. Et nihilominus Testes synodales fere ubique desueverunt, in eorumque locum suffecti sunt Decani, prouti animadvertit Papa Benedictus XIV. in opere praelaudato.² Itaque volumus atque mandamus, ut Testium synodaliū defectum in nostra quoque dioecesi suppleant et compensent Decani, quos omnes viros doctrina, pietate, prudentia et experientia nec non zelo religioso perspicuos habemus et aestimamus.

Ut vero ceu Testes synodales per districtus suos gravi suo munere in Dei honorem animarumque salutem fungantur, iuramentum supra sacra lipsana seu Sanctorum reliquias in praesenti Synodo praestabunt.³

¹ Collect. Harduini tom. 8. col. 960.

² Lib. IV. cap. 3. num. 8.

³ „Episcopus in Synodo residens post congruam allocutionem . . . maturiores, honestiores atque veraciores viros in medium debet evocare, et *allatis sanctorum pignoribus* unumquemque illorum tali sacramento constringat: Amodo in antea quidquid nosti aut audisti aut post modum inquisiturus es, quod contra Dei voluntatem et rectam christianitatem in ista parochia factum sit

Iudices in partibus.

„Sedis apostolicae, cuius auctoritate maior non est,“ ait Papa Nicolaus I. in epistola 8. ad Michaellem Imperatorem, «iudicium a nemine est retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus.»¹ Est autem eiusmodi appellationum ius adeo necessario connexum cum Romani Pontificis iurisdictionis primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari. Etenim cum primatus praerogativa Romanus Pontifex sit supremus in ecclesia iudex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem; ab inferioris quippe sententia superioris tribunal adire, omnibus concessum esse, ipsa naturalis aequitas dictat et persuadet.

Hinc appellationes undequaque ad Sedem apostolicam semper delatae sunt. Verum optime perpendentes summi Pontifices, non facile esse, de rebus in longinquis regionibus emergentibus rectum Romae institui iudicium, diversas causas Iudicibus in partibus delegare consueverunt. Ne autem apostolicae delegationes vilescerent, non aliis causas committi voluit Papa Bonifacius VIII. nisi personis, in dignitate ecclesiastica constitutis aut personatum vel saltem canonicatum in ecclesiis cathedralibus obtinentibus, a quibus praeterea non alibi causas audiri et definiri mandavit, nisi in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi.²

Bonifacii VIII. constitutionem renovavit Concilium Tridentinum, nonnulla sapientissime addens: «Quoniam»

aut futurum erit, si in diebus tuis evenierit, tantum ut ad tuam cognitionem quocunque modo perveniat, si scis aut tibi fuerit indicatum, synodalem causam esse et ad ministerium episcopi pertinere, quod tu nec propter amorem nec propter timorem nec propter pretium nec propter parentelam ullatenus celes episcopum aut eius missum . . . Sic te Deus adiuvet et illae sanctorum reliquiae.“ (Can. 7. caus. 35. q. 6).

¹ Collect. Harduini tom. 5. col. 167.

² In cap. *Statutum*, de rescriptis in VIto.

verba sunt/ Tridentini, «ob malitiosam petentium suggestionem et quandoque ob locorum longinquitatem personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum Iudicibus non undequaque idoneis causae in partibus delegantur; statuit sancta Synodus, in singulis conciliis . . . dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant, iuxta constitutionem Bonifacii VIII., quae incipit *Statutum*, et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum usque ad futuram . . . dioecesanam Synodum, ita ut habeat quaeque dioecesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas ac . . . qualificatas, quibus huiusmodi causae a quolibet Legato vel Nuntio atque etiam a Sede apostolica committantur; alioquin post designationem factam, quam statim episcopi ad summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecunque aliorum Iudicum aliis quam his factae subreptitiae censeantur». ¹

Itaque inter graviora negotia, in dioecesana Synodo ab episcopo tractanda et expedienda, recenseri debet deputatio Iudicum in partibus, quorum nomina ad Sedem apostolicam subinde transmittantur. Non est tamen necesse, ut in praefatos Iudices ab episcopo in Synodo deputatos ipsa Synodus consentiat; quoniam non dixit Tridentinum, eos designandos *a* Synodo sed *in* Synodo; quapropter Tridentini decreto satisfaciet episcopus, si Synodi consilium exposcat, etsi ex causis sibi notis illud amplecti postea noluerit; quemadmodum cum aliquem ex deputatis in Synodo mori contingit, debet quidem episcopus, priusquam alium in eius locum substituat, exquirere Capituli consilium, sed non tenetur illud sequi;

¹ Sess. XXV. cap. 10. de reform.

quia *non consensum sed consilium* dumtaxat Capituli Tridentinum exigit.¹

Iudices in partibus designandi sunt in Synodo. Quamvis a Tridentino facultas episcopis data sit, Iudicibus in Synodo electis et mox decedentibus alios cum consilio Capituli substituendi, duraturos usque ad novam Synodum, quae ceteroquin tempore a Tridentino statuto sit habenda, nulla tamen iisdem potestas facta est, novos Iudices deputandi, cum aut nulli in Synodo deputati sunt, aut nulla habita est Synodus, in qua deputari potuerint, aut effluxit iam tempus, intra quod iuxta Tridentinum decretum nova Synodus fuisset habenda. Verum, observat Benedictus XIV.², ne dioeceses suis synodalibus iudicibus diu careant, etiam in his eventibus modus suppetit episcopis, illos nominandi; si enim potestatem, quam ceteroquin non haberent, a sacra Congregatione Concilii petant, eique simul causas exponant, propter quas Synodum celebrare nequeunt, haec facultatem iisdem impertietur, Iudices synodales cum consilio Capituli designandi.

Consiliarii Iudicii ecclesiastici dioecesani.

Ne disciplina ecclesiastica enervetur et sacrorum canonum auctoritas infringatur, episcopus demandato sibi gravissimo iudicandi et coërcendi officio inhaesitanter satisfaciat oportet. »Illud primum episcopos admonendos censet sancta Synodus Tridentina, ut se pastores, non percussores esse meminerint, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominentur, sed illos tamquam filios et fratres diligant elaborentque, ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coërcere cogantur... Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium,

¹ Benedict. XIV. de synodo dioec. lib. 4. cap. 4. num. 5. — ² L. c. num. 7.

cum levitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina populis salutaris ac necessaria conservetur, et, qui correpti fuerint, emendentur». ¹

Quo tutius autem in arduo huius sui muneris exercitio secundum sanctiones canonum procedat episcopus, Tribunal ecclesiasticum dioecesanum constituat necesse est, cuius consiliariorum est, cognoscere de causis, quae pro tenore sacrorum canonum et secundum praesentem ecclesiae disciplinam a sancta Sede approbatam et caute attentis legibus civilibus ad forum ecclesiasticum pertinent. ²

Vigore adductorum decretorum, iuxta quae in singulis dioecesibus constituenda sunt tribunalia ecclesiastica pro sacrorum canonum auctoritate et ecclesiastica disciplina tuenda et roboranda, in nostra quoque dioecesi Lavantina tale Iudicium ecclesiasticum dioecesanum constitutum est: pro diiudicandis causis ad forum contentiosum pertinentibus nec non pro deliberandis causis matrimonialibus. Assessores cum suo Praeside huius Tribunalis in Synodo eligi consueverunt.

Examinatores ordinandorum.

Sacrosancta Tridentina Synodus decrevit, ut episcopus, priusquam ordines conferat, aliquot sibi adscitis sacerdotibus aliisque prudentibus viris, divinae legis peritis et in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet. ³

Cuius decreti debito respectu habito in nostra Synodo eligi volumus tales idoneos viros, qui in prae-

¹ Sess. XIII. cap. 1. de reform.

² Concil. Trid. sess. VI. c. 1. 3. de reform. — sess. VII. cap. 14. de reform. — sess. XIII. c. 1—8. de reform. — sess. XIV. cap. 1. 5. 6. de reform. — sess. XXII. cap. 7. de reform. — sess. XXIV. cap. 20. de reform. — sess. XXV. decr. de regul. et mon. cap. 14. et decretum de reform. c. 3. 10. 14. — Concord. austr. art. X. et XIV. Lit. — Plenip. c. r. Maiest. ad Plenip. s. Sedis de die 18. Aug. 1855. art. 10—13.

³ Sess. XXIII. cap. 7. de reform.

scriptas ordinandorum qualitates inquirent et de huiusmodi inquisitione rite facta nos scripto certiores reddant, ut nobis tali modo innotescat, qui habiles et digni sint, ut ipsis manus imponamus, quique ceu inhabiles vel indigni a sacerdotii sanctuario sint repellendi.

Examinatores promovendorum ad beneficia curata.

Animarum saluti maxime expedit, a dignis et idoneis parochis gubernari. Ut id diligentius ac rectius perficiatur, Concilium Tridentinum edixit, vacantes ecclesias parochiales illis dumtaxat esse ab episcopo conferendas, qui in experimento seu examine, coram eodem episcopo aliisque examinadoribus non paucioribus quam tribus instituendo, fuerint approbati et idonei renunciati. Iussit praeterea, sex ad minus examinatores ab episcopo in dioecesana Synodo designari et proponi, qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur, e quibus, adveniente parochialis ecclesiae vacatione, tres ab episcopo seligi voluit, qui una cum eo examen perficiant. Addidit vero sacrosancta Synodus: »Sint hi examinatores magistri seu doctores aut licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici seu regulares etiam ex ordine mendicantium aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei; iurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros. Caveantque, ne quidquam prorsus occasione huius examinis nec ante nec post accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur«.¹

Ad quod decretum Tridentinum adnotat Papa Benedictus XIV. subsequencia: »Sex ad minus ab episcopo in Synodo proponi voluit, non tamen vetuit, ne plures proponantur, quin immo ex tali loquendi modo et plures pro-

¹ Sess. XXIV. cap. 18. de reform.

poni posse, et ut plures proponantur, se exoptare, satis aperte Tridentinum innuit, quemadmodum observat Barbosa,¹ ubi tamen a sacra Congregatione Concilii decisum refert non esse ultra viginti proponendos, fortasse ob periculum, ne nimium aucto eorundem numero, minus diligens sit personarum, quae proponuntur, delectus. Propositi ab episcopo, officium non assequuntur, nisi approbentur a Synodo; unde necesse est, ut maior pars eorum, qui Synodo intersint, in illos consentiat, secus alii ab episcopo erunt proponendi, qui a maiori parte acceptentur. Posse autem hanc acceptationem fieri per suffragia tum publica tum secreta, respondit sacra Congregatio Concilii . . . die 11. Iulii 1592.² Episcopus ergo eum modum in probatione servari facit, quem magis expedire iudicaverit. Ad praecavendas et obtruncandas controversias circa incertam designationem personae, cuius doctrina, prudentia et probitas ignoratur, consultum est, ut synodales Examinatores sub proprio et expresso nomine et cognomine ab episcopo proponantur et a Synodo approbentur.

Electi Examinatores iurare debent, se, omni posthabita humana affectione, munus suum fideliter executuros. Hoc iuramentum in ipsa Synodo est emittendum, si electi Synodo adsint, sin minus, coram episcopo aut eius vicario. Iuramentum praestandum est vel ad sancta Dei Evangelia vel supra sacras Sanctorum reliquias seu lipsana venerabili more antiquo.

Synodaliū Examinatorum officium durat usque ad novam Synodum, quae intra unius anni spatium ad Tridentini normam celebranda esset. Si autem vel omnes vel aliqui ex designatis in ultima Synodo decurrente anno moriantur aut e dioecesi se subducant, tunc si sex saltem ex designatis remaneant, cum adhuc tunc numerum exaequant a Tridentino statutum, istorum opera episcopus utetur, nec alios in demortuorum aut longe

¹ In collectan. ad cap. 17. sess. 24. num. 85.

² Op. cit. lib. IV. cap. 4. num. 3.

absentium locum substituere poterit; si vero sex non supersint, tunc Clementis VIII. decreto, relato a Garcia apud Benedictum XIV.,¹ facultas data est episcopis alios subrogandi, modo iis qualitatibus praestent, quas Tridentinum requirit, a Capitulo approbentur et una simul cum superstitibus ex electis in Synodo senos non excedant.

Quid, si annus elabatur et nova Synodus non celebretur? Certum est, reponit Benedictus XIV., statim ac effluxit annus ab ultima Synodo, cessare officium Examinatorum, qui intra eiusdem anni intervallum in demortuorum seu absentium locum forte fuerint ab episcopo suffecti. Quoad non subrogatos sed in ultima Synodo electos hoc censuit sacra Congregatio Concilii: »Quamdiu sex illorum superstites sunt, omnes perseverant in munere et episcopus in concursibus ad ecclesias parochiales illis uti poterit; sed si vel unus ex illis decesserit, ita ut ex electis in Synodo sex non remaneant, omnium officium expirat, neque post annum datum est episcopo in demortui locum quemquam sufficere«. ² Ergo, si nova Synodus in tempore a Concilio Tridentino statuto non celebretur, Examinatores in nostra Synodo secunda electi in suo officio manent, usque dum ex illis sex saltem supersint. ³

Proinde ut elapso anno et non existentibus sex Examinatoribus in Synodo electis institui valeat validum examen concurrentium ad vacantes ecclesias parochiales, necesse est, ut episcopus vel novensilem Synodum cogat vel facultatem petat a sacra Congregatione Concilii, novos Examinatores extra Synodum deputandi, quam facultatem, uti animadvertit Benedictus XIV., *sacra Congregatio Concilii nunquam renuit petentibus concedere, probe sciens, non facile esse episcopis, singulis annis suas Synodos cogere.* Accepta hac facultate episcopus

¹ Op. cit. lib. IV. cap. 7. num. 7.

² Op. cit. lib. IV. cap. 7. num. 8. edit. cit. pag. 102 sq.

³ Prosp. Fagnani, cap. *Cum sit ars.* n. 54. — Frider. Foschi, Synodus dioecesana. Romae, 1893. Part. prim. pag. 174.

sex Examinatores seligit, omnibus praeditos qualitatibus a Tridentino requisitis, eosque Capitulo proponet.¹ Tali modo deputati nominantur Examinatores *prosynodales*.

De Examinatoribus tres ad minimum vocandi sunt, qui coram episcopo vel eius vicario concurrentes ad beneficia curata examinent. Priusquam autem hos approbent seu idoneos renuntient ad animarum curam, non solum experiri debent eorundem scientiam sed et praecipuam rationem habere probitatis morum, prudentiae, aetatis et caeterarum qualitatum, quibus praeditum esse oportet, cui animarum regimen committitur. Id quod satis manifeste ex verbis Tridentinis superius allatis² liquet, quodque adhuc clarius et saepius sacra Congregatio Tridentini interpres explicuit, uti refert Benedictus XIV. loco signato.³

Peracto tentamine Examinatores sua suffragia ferre debent, priusquam a loco examinis discedant. Nec quidquam refert, an suffragia secreto vel palam ferantur. Congruentius tamen sacrae Congregationi Concilii videri, refert Benedictus XIV.,⁴ ut Examinatores secum invicem suffragia communicent et deinde iubeant Notario, ut in acta referat iudicia. Si forte Examinatorum vota sint paria aut singularia, integrum erit episcopo vel vicario, cui voluerit, accedere iuxta verba Tridentini: «Omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo sive eo impedito ab eius vicario atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus quam tribus; quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit episcopus vel vicarius, quibus magis videbitur». ⁵


Absolute tentamine, idem Tridentinum observat, renuntientur, quotcunque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque *episcopus eum eligat*, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.⁶

¹ Op. cit. lib. IV. cap. 7. num. 10. — ² Sess. XXIV. cap. 18. de reform. —

³ Lib. IV. cap. 8. num. 3. edit. cit. pag. 204 sq. — ⁴ Op. cit. lib. IV. cap. 8. num. 4. — ⁵ Sess. XXIV. cap. 18. de reform. — ⁶ Sess. XXIV. cap. 18. de reform.




Pars altera.



Gesta synodalia.





Gesta synodalia.

Prima Congregatio generalis.

Ut actiones primae Sessionis publicae ex ordine praepararentur, pridie, die 28. Septembris, in festo s. Wenceslai Martyris, Congregatio generalis coacta est et hora quarta post meridiem magna cum sollemnitate peragebatur. Omnes ad Synodum vocati nec excusati aderant, sacerdotes saeculares veste talari et choralis cum birreto, regulares vero habitu sui ordinis et superpelliceo induti, ex ecclesia cathedrali s. Ioannis Baptistae ad Celsissimum Ordinarium usque ad aulam episcopalem cruce praelata progressi, inde una cum Eodem in sollemni processione versus ecclesiam s. Aloysii, ordine praescripto, clero Reverendissimum Praesulem antecedente, Capitulo cathedrali sequente, procedebant recitantes hymnos: »Veni, sancte Spiritus« et »Ave maris stella«, atque psalmos: »Exultate iusti in Domino« (32), »Deus misereatur nostri« (66), »Exsurgat Deus« (67), »Quam dilecta tabernacula« (83), »Fundamenta eius« (86) atque »Ecce quam bonum« (132).

In ecclesiam s. Aloysii cum venissent, residuae partes eorum, qui recitandi erant, psalmorum persolutae sunt. Quibus finitis Celsissimus Dominus stolam rubei coloris et pluviale accepit et flexis genibus incepit: „*Veni Creator Spiritus*“, et schola cantando eundem prosecuta est, donec signo dato Illustrissimus reliquas strophas alternatim cum clero ad finem usque recitaret. Post Collectam de Spiritu sancto Idem orationem: *Adsumus* alta voce dixit.

Depositis stola et pluviali, et resumptis muzzeto et pectorali splendidissimis, Celsissimus sacrum ambonem ascendit et clara voce allocutionem habuit, quae modo sequitur.

Allocutio salutatoria,

habita

in prima Congregatione generali synodali, in festo s. Wenceslai, die 28. mensis Septembris.

Laudetur Iesus Christus!

Amplissimi, Reverendi ac Venerabiles fratres filiique in Domino dilectissimi!

Desiderio desideravi, congregare Vos in Synodo dioecesana, quae inter primarias functiones episcopales merito numeratur. Ingenti gaudio nunc afficior et glorior, quod me electissima circumdatum conspicio corona virorum, eruditione, experientia, pastoralis sollicitudine nec non magnis meritis in agro Domini paratis clarorum, quippe qui e tota, qua late patet, dioecesi properarunt, nec provectae aetatis molestias nec necessariam laboribus et sudoribus quassati corporis quietem neque sumptuum dispendia aliaque multa incommoda curantes, ut meae Synodo dioecesanae, benedicente Domino hodie aperiendae, intersint eamque consiliis suis maturis adiuvent.

Cor meum dilatatur et anima mea magnificat Dominum et spiritus meus exultat in Deo salutari meo, quia fecit mihi magna, qui potens est et sanctum nomen eius. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae. Eia, felix dies illuxit mihi hodie, qua cum fratribus et filiis in Christo dilectis congregor in unum. „*Ecce, quam bonum et quam iucundum, habitare fratres in unum . . . Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in saeculum.*“ (Ps. 132, 1. 2).

Pro me non datur momentum, credite mihi, iucundius praesenti, quod in tribulationibus et doloribus, in multis ac magnis laboribus et oneribus, muneri meo episcopali iunctis, consolatur et fortem facit animum meum. Vix sum par exprimendis cordis mei deliciis, quum Vos, „*fratres meos carissimos et desideratissimos, gaudium meum et coronam meam*“ (Philipp. 4, 1), video mecum coadunatos, Vos inquam, quos a primo instanti, quo licet indignus divina providentia solaque divina misericordia vocatus fui ad tantum munus, ad onus angelicis humeris formidandum,¹ paterna prosecutus sum dilectione et cura anxia custodivi, ita ut fas mihi sit cum divo apostolo Paulo loqui: „*Testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.*“ (Philipp. 1, 8).

Salvete igitur! Denuo dico salvete! Omnes universim et singulos singillatim ex intimis praecordiis saluto in sanctissimo corde Iesu et in purissimo corde Mariae, quibus nostram Synodum consecratam et dedicatam esse volo et cupio. Cunctis quaecumque felicia faustaue a Domino Deo Uno et Trino atque ter Sancto ex toto corde exopto et suppliciter precor.

Respiciens in venerabilem notabilemque hunc congressum, recordor memorabilis conventus presbyterorum, quippe qui superveniente s. Paulo collecti sunt ad s. Iacobum, fratrem Domini et episcopum Hierosolymorum. „*Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesque collecti sunt seniores (presbyteri). Quos cum salutasset, narrabat per singula, quae Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius.*“ (Act. apost. 21, 18. 19). Aestimatur hicce conventus quasi prototypus Synodi dioecesanae. Simili modo Vos, Venerabiles presbyteri, convenistis ad episcopum Vestrum, successorem apostolorum, ut enarra- retis, quid Deus fecisset in dioecesanis per ministerium Vestrum, et ut prono animo exciperetis, quod Deus facturus sit per Vos in futurum.

¹ Trid. Concil. sess. VI. c. 1.

Accedatis itaque magnis animis ad secundam Synodum Lavantinam. Non enim est, quod rei novitate aut difficultate deterreamini. Etenim in sanctissimo nomine Iesu, quo assistente omnia bene incoepisse ac feliciter prosequi et prospere exequi valemus, incipiemus opus tam sacrum et pium quamque grave, utile et necessarium.

1. Re sane vera, *opus sat sacrum piumque* aggredimur. Sacrum et sanctum est, eoquod ad maiorem Dei gloriam illud agere et perficere intendimus. Gloria Dei suprema nostra lex. Pium et religiosum est, quoniam istud ad devotionem pietatemque in nobis et in fidelibus non conservandam solum sed promovendam etiam et augendam atque ad zelum religiosum inflammandum pertractare cupimus. Adsumus, ut, *quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, intelligamus.* (Rom. 12, 2). Sacrum et sanctum est, quia sancta sanctorum ingredimur, quoniam in ecclesia, loco sacro, congregamur. Hic est aula Dei et porta coeli. Hic vere et realiter et personaliter adest Christus, et cum Christo adsunt millia atque millia angelorum et coelestium spirituum. Hic habentur sacrae cruces, sacrae imagines et reliquiae sacrae. Omnia hic sacra sunt, omnia spirant sanctitatem, omnia instillant sacrum timorem et indigitant, quo simus et coram quo conversemur. O si adaperirentur nostrae mentis oculi, et intueremur invisibilia hic occulta, uti conspiciamus visibilia et aperta, quantam maiestatem quantumque splendorem et quales ministros Dei videremus! — Inde haud miror, quod beatissimus Pater noster Leo XIII. ipse designat nostram Synodum *sacram* eamque vocat *opus pium* in Brevi apostolico de die 16. Maii 1890, cuius tenore plenariae indulgentiae cum synodalibus tum fidelibus misericorditer conceduntur.

2. *Negotium grande et perutile* inchoamus. Verum enim vero, institutum, quod celebratissimi viri omnium saeculorum tantopere commendant, quod optimi pastores

et patres episcopi in suis dioecesibus prosperrimo cum successu fructuque uberrimo adhibuerunt, quod sacri canones et conciliorum decreta severe praecipiunt quodque summi Pontifices studiose inculcant: institutum, inquam, antiquitate venerabundum¹ experientiaque comprobatum grave ac salutiferum sit, oportet. Synodus in id praesertim incumbit, ut cleri disciplina collapsa et christianae plebis depravati mores in antiquum revirescant splendorem, ut lites componantur, abusus tollantur, scandala vitiaque evellantur, virtutes serantur et excolantur, ut vita ecclesiastica refloreat et perfectio christiana eo altius crescat. Exinde exundat Synodi momentum atque utilitas.

3. Quid ultro agimus, fratres filii in Christo dilecti? Rem excellentem et eminentem. Agimus enim Synodum, quod nomen congregationem significat, conventum atque coetum denotat. Et quarum personarum? Episcopi et membrorum ei coniunctorum, canonicorum, praepositorum, parochorum, animarum curatorum, sacerdotum, clericorum. Qui sunt hi, qui huc conveniunt, quaerit ille sanctissimus in Christo Pater s. Carolus Borromaeus et ipse respondet: »Oh, hic deficit sermo; quis enim mente concipere valeat, ne dicam verbis exprimere, quanta sit horum dignitas et excellentia? Hi sunt condimentum omnium horum populorum, patres huius plebis, duces et magistri harum animarum, spirituales medici, in militia hac Christi divini imperatores, soles, sales tantarum gentium. Licet enim Christus sit iustitiae sol, his tamen quoque proprio ore dixit: Vos estis lux mundi. Hi sunt nubes praegnantentes et onustae imbribus gratiae Dei, qui eam populis deferunt universis. Hi sunt sancti, Deo consecrati, hi sunt pupilla ipsa oculorum Dei. Hi

¹ Non sane dignitate inter synodos, ait Lud. Thomassin, at certe antiquitate praestare videntur eae, quae dioecesanae dicuntur. (Vetus ac nova ecclesiae disciplina. Part. II. Lib. III. cap. 75. n. 1. Tom VI. pag. 522). — Similia habet Lupoli: Synodi, de quibus hic, ni dignitate, antiquitate certe caeteris omnibus praestare videntur. (Praeloc. iuris eccl. Tom. I. pag. 268). — Videsis Bened. XIV. de synod. dioec. Lib. I. cap. 1. n. 6.

sunt Christi Domini, hi denique dii sunt. Magna profecto est haec congregatio; sed non hi soli conveniunt, verum quod multo magis est, cum ipsis etiam convenit ipsemet Dei Filius Dominus Iesus, nisi ei nos obicem ponamus. Si enim ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine ipsius, in medio eorum se adfuturum pollicitus est, quanto magis in medio erit non duorum sed centum amplius.«¹

4. Opus haud supervacaneum, imo maxime *necessarium* exordimur. Navis, quam Dominus mihi gubernandam commisit, magna est, impletur fere quingentis millibus animarum pretioso sanguine Christi redemptarum, ingens est procella, qua agitur, periculosae sunt rupes, inter quas iactatur, ego autem solus nimis debilis sum et imperitus gubernationis, nisi Vos omnes mecum vigiletis mihiq[ue] auxilium fidele praestetis. Unitis viribus copulemur necesse. Opus est, ut vinculum charitatis episcopum inter et clerum arctius ac firmitus connectatur, ut animarum pastores ad invicem amore, amicitia et fiducia accendantur, ut correctio fraterna, a Christo Iesu non tam consilium quam potius mandatum instituta, amiciter exerceatur. „*Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est sicut ministrator . . . Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* (Luc. 22, 25. 26. 27). *Surgite ergo, et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum.*“ (Jerem. 31, 6).

5. Cum Synodus dioecesana adeo sacrum et pium, adeo grave et utile ac necessarium negotium sit, minime miror, quod laetissima ecclesiae Christi illuxerint tempora, quibus floruit institutio synodorum, quae praecipua agri Domini cultura et insignis schola curae pastoralis a canonicis dici solent. Luculentissimum exemplar nobis prae-

¹ Conc. I. ad clerum in synod. dioec. XI. (Act. eccl. Mediolan. vol. III. colum. 857. Mediolani, 1892).

stitit s. Carolus Borromaeus, ille illustris antistes ecclesiae Mediolanensis, qui durante suo episcopatu (1565 — 1584) sex concilia provincilia et undecim synodos dioecesanæ congregari fecit, quibus clerum suæ archidioeceseos de vita inhonesta ad culmen vitae sacerdotalis tulit, ita ut forma vivendi pro clero aliarum regionum factus sit.¹ Ex adverso autem, ubi synodorum celebratio incuria hominum aut temporum iniuria in desuetudinem venit, ibi et vigor disciplinae ecclesiasticae lugubre emarcuit.

Nostris diebus ubique locorum, Deo bene iuvante, spiritus bonus spirare et vita ecclesiastica mirum in modum reflorescere coepit. Idem valet de nostra quoque alma et perampla dilecta dioecesi Lavantina. Nostri muneris est, laeta haec exordia et conamina laudanda concorditer adjuvare atque stabilire, ut diem de die crescant et uberes fructus ferant salutare. Idcirco redintegramus intermissum synodi celebrandæ usum. — Numerosa praesentium multitudo, principalior pars cleri, contestatur, quam clare Vobis illucescat, nullo tempore fuisse opportunius, communibus votis et collatis consiliis deliberare, quid conveniens sit ad clerum et gregem in sacra disciplina continendum, ad ipsius fidem corroborandam et spem ac charitatem augendam fervoremque pro ecclesia Dei excitandum, quam nostris diebus, praepositis et subditis tantopere infestis. Huc referendum, quod doctissimus Papa Benedictus XIV. asserit, debere episcopum in sua synodo constituere, quæ ad vitia coercenda et exstirpanda, ad virtutes plantandas et promovendas, ad depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam aut restituendam aut fovendam necessaria et utilia esse iudi-

¹ Acta et statuta synodorum a s. Carolo Borromæo celebratarum plurifariam edita sunt. Ita Mediolani anno 1582 et 1599, Bresciae anno 1603, Parisiis anno 1643, Lugduni anno 1682, Bergomi anno 1738, Patavii anno 1754 et Mediolani annis 1843 — 1846. Nuperrime evulgata sunt sub titulo: Acta ecclesiae Mediolanensis ab eius initiis usque ad nostram aetatem opera et studio Presb. Achillis Ratti. Vol. II. Mediolani, 1890. Continet tomum primum actorum ecclesiae Mediol. a sancto Carolo conditorum, et numerat 1972 columnarum. Vol. III. Mediolani, 1892. Exhibet tomum secundum eorundem actorum cum columnis 1630.

caverit . . . Sciscitetur, quaenam praecipue quoad administrationem Sacramentorum, verbi divini praedicationem videantur corrigenda et emendanda.¹

6. Perdilecti in Domino! „*Reversus est Moyses de monte,*“ legimus in libro Exodi, „*portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte et factas opere Dei. Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis . . . Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum et choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas et confregit eas ad radicem montis, arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit et contrivit usque ad pulverem.*“ (Exod. 32, 15. 16. 19. 20). Jehova vero voluit Moysi novas tabulas tradere et propterea praecepit ipsi: „*Praecide tibi duas tabulas lapideas instar priorum et scribam super eas verba, quae habuerunt tabulae, quas fregisti. Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis . . . Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales ante fuerant; et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai . . . portans secum tabulas. Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo . . . et ait: Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui auferis iniquitatem et scelera atque peccata, nullusque apud te per se innocens est.*“ Et dein curvatus est Moyses pronus in terram et adorans: „*Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro, ut gradiaris nobiscum . . . et auferas iniquitates nostras, nosque possideas. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis . . . Scribe tibi verba haec, quibus et tecum et cum Israel pepigi foedus.*“ (Exod. 34, 1. 2. 4. sqq).

O fratres, o filii! Hic locus sacrae Scripturae nos attingit. Confractae sunt tabulae legis Domini. Prostrata est obedientiae sacra virtus. Laxatae sunt cupiditatibus habernae. Profanata sunt sanctuaria Dei. Mandata divina et

¹ De synodo dioec. part. I. lib. VI. cap. 1. num. 1.

leges ecclesiasticae a multis negliguntur ac contemnuntur, et statuta dioecesana haud raro non observantur. Et Deus patientissimus in sua infinita misericordia dignatur tabulas legum renovare, antiqua decreta memoria insculpere et indicare, quomodo observari ea velit. Et nostra Synodus est Sinai, ubi haec fiunt. Et nostra civitas residentialis fit pro dioecesi *civitas supra montem posita*. (Matth. 5, 14).

7. Itaque, fratres et filii in Christo charissimi, congressi sumus in nomine Domini, ut viribus unitis et collatis consiliis feramus bonas leges, condamus salutaria statuta, renovemus et obfirmemus lata sed oblitterata decreta cum inconcusso proposito, obedienter servandi leges latas, statuta data et decreta edita. Convenimus in generali conventu dioecesano, ut actionibus et constitutionibus synodalibus laudem Dei, honorem Sanctorum, incrementum fidei et ecclesiae, dioecesis decorem eiusque bonam famam ac profectum promoveamus, et ut propriae saluti ac gregis, spirituali curae nostrae commissi, felicitati coelesti et terrestri invigilemus et consulamus. „*Quod perierat, requiramus, et quod abiectum erat, reducamus, et quod confractum fuerat, alligabimus, et quod infirmum fuerat, consolidabimus, et quod pingue et forte, custodiemus.*“ (Ezech. 34, 16).

Hisce dignis de causis et ne me feriat vituperium seu reprehensio Papae Benedicti XIV. sic disserentis: »Neque illos excusamus episcopos, qui, cum nihil sit, quod eos impediatur, ex sola socordia et negligentia synodum facere praetermittunt, eosque magis redarguimus, qui cum plures annos dioecesim gubernaverint, ne de cogenda quidem synodo unquam cogitarunt«¹ — hisce relevantibus de causis, dico, secundam Synodum dioecesanam convocavi eamque nunc constitutam et in nomine Dei inchoatam declaro, prouti istius initium mox sonitus campanarum nostrae civitatis residentialis sollemni modo indicabit.

¹ De synod dioec. part. I. lib. I. c. 2. num. 5.

8. Venerabiles consacerdotes et fratres mei charissimi, ita alloquor Vos cum verbis Pontificalis Romani, oportet, ut ea, quae in Synodo vobis fuerint dicta, cum charitate et benignitate unusquisque vestrum suscipiat, summaque reverentia, quantum valet, Domino adiuvante, percipiat, vel quae emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare. Et si cui forte, quod dicetur aut agetur, displiceat, sine aliquo scrupulo contentionis propalam conferat, quatenus Domino adiuvante et hoc ad optimum statum perveniat; ita ut nec discordans contentio ad subversionem iustitiae locum inveniatur, neque iterum in perquirenda veritate vigor nostri ordinis vel sollicitudo tepescat.

Quum porro non satis esse reor, recte vivendi formam aliis praescribere, nisi ille ipse, qui leges dictat, sui ipsius parem vel maiorem etiam rationem habuisse videatur, unumquemque Vestrum, qui huic spectabili Synodo aliquid consilio et prudentia attulerunt, per fraternam charitatem obtestor, ut libere et candide in apertum proferat proferenda. Omnes deliquimus culpamque admisimus. Grato et prompto animo respiciam consilia fraterna, non nesciens, coelitus illustrari a Spiritu veritatis humiliores quandoque et minores quosque, et per eos nonnunquam refundi non parum luminis in superiores.

Pandatis ergo desideria Vestra et vota Vestra per Vestrum Procuratorem ad id deputatum. Quum forsitan nimis difficile foret, in deliberationibus et consultationibus synodalibus linguam loqui latinam, fas erit unicuique, suo idiomate vernaculo uti in proferenda sua sententia, in voto suo et suffragio emittendo. Meditationes spirituales pariter habentur in lingua slovenica, ut Deo dante vivus linguae maternae sermo sit efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus, compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis. (Hebr. 4, 12).

9. Superfluum demum duco, Vos speciatim monere, ut omnia fiant secundum ordinem, qui est dux ad Deum sicuti disordo ad satanam, et ut porro cuncta agantur modo nobis omnibus digno. Versamur in ecclesia, coram altaribus, coram sacris statuis angelorum et sanctorum, stamus coram episcopo et pastore animarumstrarum (I. Petr. 2, 25), movemur coram pastore magno ovium (Hebr. 13, 20) — coram Domino nostro Iesu Christo, vere, realiter et essentialiter praesenti in tabernaculo. Spem foveo, fore, ut totum corpus cleri dioecesanii assimile sit, uti s. Ignatius Martyr in epistola ad Ephesios c. 4. observat, citharae, cuius chordae consonant harmonice. Spiritus Dei non est spiritus dissensionum sed pacis et unitatis. Spiritum Dei autem omnes ad memorabilem hanc Synodum festinantes adtulimus. Spiritus ecclesiae est spiritus charitatis; charitas vero colligit, unit, compaginat. Itaque est spiritus ecclesiae spiritus unitatis, de qua essentiali et salutari ecclesiae proprietate gloriosissime regnans sanctissimus in Christo Pater Leo XIII. praeclaram encyclicam »Satis cognitum vobis est« die 29. mensis Iunii anni volventis misit in mundum. Hinc haud ambigo, quin spiritus synodalis foret spiritus bonus, spiritus omnino conveniens ecclesiasticae disciplinae et synodalis actionis dignitati et loci venerationi. Haud ullus aliquid proponet, quod praesenti Synodo sit impertinens, eiusque gravitati refragetur. Si vero quis certandi studium in Synodo quaereret, quod Deus avertat, talem amiciter arcerem cum edicto s. Pauli apostoli: „*Si quis autem inter vos videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus neque ecclesia Dei.*“ (I. Cor. 11, 16). „*Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.*“ (II. Tim. 2, 24).

*

*

*

Ad finem imploremus cum omni fiducia coeleste auxilium pro deliberationibus nostris synodalibus. „Om-

nis enim, qui petit, accipit; et qui quaerit, invenit; et pulsanti aperietur.“ (Matth. 7, 8).

Ideo bonorum omnium parens et auctor Deus, cuius Spiritu totum corpus ecclesiae sanctificatur et regitur, adiuva nostra coepta et pia conamina pro nostra et nostri devoti gregis salute tuâ gratiâ!

Esto in medio nostro, divine Salvator! Promisisti enim paucis personis etiam laicis, si consenserint super terram, exauditionem petitionum, et si in tuo nomine congregati fuerint, tuam praesentiam in medio ipsorum; multo magis id speramus nos, qui qua tui ministri in tanta multitudine in glorioso nomine tuo aggregati sumus, ut de rebus sacris consilia inter nos communicemus!

Veni, sancte Spiritus, prouti super apostolos olim descendisti in linguis ignitis, et illumina nostras mentes et move corda nostra, ut sapientia et religiosa sollicitudine pertractemus synodalia!

Intercede pro nobis tu, praecelsa Virgo Maria, mater sacerdotum, cum tuo sponso beato Ioseph, patrono ecclesiae et patre sacerdotum!

S. Michael archangele, cuius festum praeveniendo colimus, tu, princeps militiae coelestis fortissime, defende nos in proelio contra nequitiam et insidias diaboli!

S. angeli custodes nostri et omnes sancti nostri patroni succurrite nobis!

Imprimis tu, s. Andrea apostole, protector dioecesis Lavantinae, et tu s. Ioannes Baptista, tutelar ecclesiae cathedralis, et s. Aloysi, titularis huius ecclesiae synodalis, necnon vos, sancti patroni ecclesiarum, unde venerunt Synodi sodales, et omnes sancti Pontifices et Sacerdotes, orate pro nobis! Amen. —

Et nunc procedamus in negotiis nostris devote, graviter et exemplariter!

Allocutione illa paterna simul et gravissima finita Reverendissimus Praesul Lectorem Synodi decretum de officialibus Synodi, i. e. de Promotore, Secretario ac Lectore, Notario ac Procuratore cleri publicari iussit. Ut enim actiones synodales servato sacrae liturgiae tenore et venerabili more traditionis ecclesiasticae rite et ordinate peragerentur, hi Synodi officiales sive ministri in praevia consultorum Congregatione destinati sunt:

1. Promotor Synodi.

P. T. Rev. Dom. Franciscus Ogradi, Abbas infulatus saecularis, Consiliarius consistorialis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Danielis Celeiae.

2. Secretarius Synodi.

P. T. Rev. Dom. Iosephus Pajek, Canonicus ecclesiae cathedralis, Consiliarius consistorialis, Doctor. s. Theologiae, Canonicus theologalis.

Secretario qua Lector additur Rev. Dom. Iosephus Majcen, Secretarius consistorialis et Capellanus aulicus episcopalis.

3. Notarius aut Actuarius Synodi.

P. T. Rev. Dom. Ioannes Mlakar, Canonicus ecclesiae cathedralis, Consiliarius consistorialis, Doctor et Professor s. Theologiae, Rector Seminarii puerorum dioecesani.

4. Procurator cleri, qui ad episcopum deferat, quae clerus exoptat.

P. T. Rev. Dom. Iosephus Hrzič, Praepositus infulatus, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Georgii Petovii.

5. Iudices querelarum et excusationum.

Praeses:

P. T. Rev. Dom. Laurentius Herg, Decanus Capituli cathedralis infulatus, Consiliarius consistorialis, Decoratus cruce pro Ecclesia et Pontifice.

Consultores:

Adm. Rev. Dom. Ioannes Skuhala, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Ioannis Baptistae in Luttenberg.

Adm. Rev. Dom. Franciscus Dovnik, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Hermagorae et s. Fortunati in Oberburg.

Adm. Rev. Dom. Iosephus Fleck, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Mariae in Jaring.

6. Praefectus eiusque Coadiutores hospitiorum.

Praefectus hospitalitatis:

P. T. Rev. Dom. Carolus Hribovšek, Canonicus eccles. cathedralis, Consiliarius consistorialis, Canonicus poenitentiarius, Prodirector Instituti theologici dioecesanis et Director Seminarii clericorum episcopalis.

Coadiutores:

P. T. Rev. Dom. Ioannes Mlakar, ut supra.

Rev. P. Callistus Heric, Guardianus O. S. Fr., Administrator parochialis ecclesiae s. Mariae Marburgi.

7. Magister eiusque Socii caeremoniarum, quibus omnes obediant.

Magister:

Adm. Rev. Dom. Bartholomaeus Voh, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Georgii Gonobizii.

Socii:

Rev. Dom. Iosephus Majcen, ut supra.

Rev. Dom. Iacobus Hribernik, Director spiritualis Seminarii clericorum episcopalis.

8. Ostiarii, quibus pareant omnes in eorum officio.

Rev. Dom. Ioannes Vreže, Catecheta scholae puerorum et puellarum Marburgi.

Rev. Dom. Matthaeus Štrakl, Vicarius chori ecclesiae cathedralis et Catecheta scholarum elementarium.

Rev. Dom. Antonius Cestnik, Vicarius chori eccl. cathedralis et Catecheta scholarum elementarium.

9. Director exercitiorum spiritualium.

P. T. Rev. Dom. Carolus Hribovšek, ut supra.

10. Confessarii.

P. T. Rev. Dom. Carolus Hribovšek, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Ioannes Bosina, Canonicus honorarius eccles. cathed., Sacerdos iubilans, Consiliarius consistorialis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Mariae in Drachenburg.

P. T. Rev. Dom. Iacobus Meško, Canonicus honorarius eccl. cath., Consiliarius consistorialis, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Collibus slovenicis.

P. T. Rev. Dom. Antonius Hajšek, Canonicus honorarius eccl. cathed., Consiliarius consistorialis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Bartholomaei in Windisch-Feistritz.

Rev. Dom. Mathias Koren, Parochus ecclesiae s. Nicolai in Sachsenfeld.

Rev. Dom. Mathias Wurzer, Parochus ecclesiae s. Mariae in Rast.

Rev. Dom. Antonius Ribar, Parochus ecclesiae s. Viti prope a Montpreis.

Adm. Rev. Dom. Henricus Verk, Parochus et Decanus ecclesiae s. Ruperti in Videm.

Rev. Dom. Ioannes Prešern, Parochus ecclesiae s. Mariae in Kopreiniz.

Rev. Dom. Franciscus Javšovec, Superior domus missionis sacerdotum s. Vincentii a Paulo ad s. Ioseph Celeiae.

Rev. P. Callistus Heric, ut supra.

Adm. Rev. P. Gregorius Jenič, Consiliarius episcopalis, Guardianus PP. Capucinatorum Celeiae.

Rev. P. Odoricus Kreiner, Guardianus O. S. Fr. Runae.

Adm. Rev. P. Victor Jerančič, Consiliarius episcopalis, Guardianus O. S. Fr., Administrator parochialis ecclesiae s. Mariae in Nazareth.

Rev. P. Nazarius Schönwetter, Superior O. S. Fr. et Administrator parochialis ecclesiae ss. Trinitatis in Collibus slovenicis.

11. Schola cantorum.

Rev. Dom. Ludovicus Hudovernik, Vicarius Parochi ecclesiae cathedralis, curiae parochialis Magister et Regens chori.

Rev. Dom. Iosephus Čizek, Cooperator ad s. Mariae Magdalenae in suburbio Marburgi.

Rev. Dom. Aloysius Meško, Doctor et Professor s. Theologiae, Praeses societatis operariorum catholicorum.

Rev. Dom. Matthaeus Štrakl, ut supra.

Rev. Dom. Ioannes Vreže, ut supra.

Rev. Dom. Iacobus Tajek, caes. et reg. Capellanus militaris Marburgi.

Dom. Rudolphus Wagner, Organista et Choralista ecclesiae cathedralis Marburgi.

Hoc itaque decreto perlecto Promotor, Secretarius, Notarius, Lector Synodi ac Procurator cleri loca sibi designata, munere suo functuri, occupaverunt, et mox Promotor Synodi ad sedem Episcopi accessit ac institit, ut actiones, in Synodo pertractandae, indicarentur et quae ad eas necessaria viderentur, in tempore praepararentur. Reverendissimi Praesulis iussu igitur Lector synodalis conspectum illarum actionum clara voce praelegit, ut modo sequitur.

Conspectus materiae in secunda Synodo dioecesana dilucidandae et elaborandae.

1. De fide catholica servanda eiusque tuendae cura.
- 2. De clericorum circa res politicas agendi ratione.

— 3. De quaestione sociali expedienda. — 4. De libris prohibitis deque editione et lectione librorum. — 5. De agendi ratione circa ephemerides. — 6. De cultu sanctissimi Eucharistiae Sacramenti. — 7. De casibus iurisdictioni episcopali reservatis. — 8. De cantu ecclesiastico et musica sacra. — 9. De colenda arte christiana. — 10. De confraternitatibus et sodalitatibus. — 11. De sacris missionibus piisque exercitiis laicorum. — 12. De vita et honestate clericorum. — 13. De colendo studio sacrae scientiae. — 14. De clericorum exercitiis spiritualibus. — 15. De collationibus seu de conferentiis pastoralibus ac de elaborationibus theologicis. — 16. De conditionibus et praecautiōibus, sub quibus curatores animarum in statum quiescentiae transire possunt. — 17. De testamentis clericorum deque clericorum ab intestato defunctorum haereditatibus. — 18. De iuribus et officiis Decanorum. — 19. De sollemnitate Anniversarii creationis et coronationis summi Pontificis obeunda. — 20. De Anniversario pro Episcopo proxime defuncto celebrando. — 21. De precibus pro Imperatore et Rege. — 22. De Seminario puerorum episcopali. — 23. De Libris chronicis parochiarum. — 24. De Museo dioecesano instituendo. — 25. De synodaliū constitutionum promulgatione et obligatione.

Quo facto Promotor Synodi ad Celsissimum instans rediit, ut Examinatores cleri constituerentur. Ipse deinde Reverendissimus Ordinarius Examinatores ordinandorum promulgavit. Quorum nomina haec sunt.

Examinatores ordinandorum.

Praeses:

P. T. Rev. Dom. Carolus Hribovšek, ut supra.

Consultores:

P. T. Rev. Dom. Iacobus Bohinc, Canonicus eccl. cathed., Consiliarius consistorialis, Parochus ecclesiae cathedralis et Decanus.

Rev. Dom. Martinus Matek, Doctor Romanus in iure canonico, Professor s. Theologiae et Prodirector Seminarii clericorum episcopalis.

Rev. Dom. Iacobus Hribernik, ut supra.

Lector Synodi vero nomina praelegit Examinatorum promovendorum ad beneficia curata, quos Celsissimus Antistes clero synodali approbandos mandavit. Approbatio schedulis facta est et haec sunt eorum nomina.

Examinatores promovendorum ad beneficia curata.

P. T. Rev. Dom. Laurentius Herg, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Ioannes Križanič, Canonicus senior ecclesiae cathedralis, Consiliarius consistorialis, Doctor et Professor s. Theologiae, Defensor matrimonii et voti.

P. T. Rev. Dom. Iacobus Bohinc, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Carolus Hribovšek, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Iosephus Pajek, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Ioannes Mlakar, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Franciscus Ogradi, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Iosephus Hrzič, ut supra.

Adm. Rev. Dom. Leopoldus Gregorec, Doctor s. Theologiae, Canonicus Capituli collegiati Strassburgensis in Carinthia, Vicarius perpetuus et decanatus Administrator ecclesiae s. Leonardi in Neukirchen.

Adm. Rev. Dom. Ioannes Skuhala, ut supra.

Adm. Rev. Dom. Antonius Suhač, Doctor s. Theologiae, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Annae in Kriechenberg.

Adm. Rev. Dom. Franciscus Feuš, Doctor et Professor s. Theologiae, Consiliarius episcopalis, Praeses societatis opificum catholicorum.

Rev. Dom. Martinus Matek, ut supra.

Cum ad scrutinium, Promotori, Secretario atque Notario Synodi perficiendum, longiori tempore opus esset, publicatio approbatorum ad Sessionem publicam, sequente die celebrandam, dilata est et quia tempus iam finem urgebat, Reverendissimus Dominus congressorum votis annuit et a Promotoris instantia decretum de constituendis Sectionibus, quarum esset Synodi materias supra indicatas, examini subiicere et si quid opus fuisset, in eis emendare vel etiam adiicere, Lectori Synodi praelegendum mandavit.

Ex hoc decreto quatuor Sectiones sive Commissiones Celsissimus nominavit, quarum singulae Praesidem, Consultores, Relatores ac Notarium habuerunt.

Sodales quatuor Sectionum pro deliberanda Synodi materia.

I. Sectio:

Praeses:

P. T. Rev. Dom. Laurentius Herg, ut supra.

Consultores:

1. P. T. Rev. Dom. Martinus Strajnsák, Canonicus honorarius eccl. cathed., Sacerdos iubilans, Consiliarius consistorialis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Georgii in Kötsch.

2. Adm. Rev. Dom. Bartholomaeus Voh, ut supra.

3. Adm. Rev. Dom. Michael Lendovšek, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Andreae in Maxau.

4. Adm. Rev. Dom. Antonius Šlander, Consiliarius episcopalis, Parochus eccles. s. Pancratii in Altenmarkt.

Referentes:

1. Rev. Dom. Martinus Matek, ut supra.

2. Rev. Dom. Franciscus Korošec, studiorum Praefectus in Seminario puerorum episcopali.

Notarius:

Rev. Dom. Iacobus Kavčič, Magister institutionis religiosae c. r. gymnasii Marburgi.

II. Sectio:

Praeses:

P. T. Rev. Dom. Iacobus Meško, ut supra.

Consultores:

1. Adm. Rev. Dom. Iosephus Jurčič, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus eccles. s. Leonardi in Collibus slovenicis.

2. Adm. Rev. Dom. Franciscus Jug, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Mariae penes Erlachstein.

3. Adm. Rev. Dom. Augustinus Hecl, Parochus et Decanus ecclesiae s. Michaelis in Mahrenberg.

4. Rev. Dom. Iosephus Žičkar, Parochus ecclesiae s. Petri et s. Pauli in Weitenstein.

Referentes:

1. Adm. Rev. Dom. Franciscus Dovnik, ut supra.

2. Rev. Dom. Ludovicus Hudovernik, ut supra.

Notarius:

Rev. Dom. Aloysius Meško, ut supra.

III. Sectio:

Praeses:

P. T. Rev. Dom. Iacobus Bohinc, ut supra.

Consultores:

1. P. T. Rev. Dom. Ioannes Bosina, ut supra.

2. Adm. Rev. Dom. Iosephus Fleck, ut supra.

3. Adm. Rev. Dom. Iosephus Tombah, Consiliarius episcopalis, Archiparochus et Decanus ecclesiae s. Bartholomaei in Rohitsch.

4. Adm. Rev. Dom. Iacobus Lempl, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Georgii in Skalis.

5. Adm. Rev. Dom. Iosephus Kralj, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Nicolai in Sauritsch.

Referentes:

1. Rev. Dom. Antonius Medved, Doctor s. Theologiae et Philosophiae, Magister institutionis religiosae c. r. gymnasii Marburgi.

2. Rev. Dom. Franciscus Janežič, Doctor s. Theologiae, Magister institutionis religiosae c. r. gymnasii Celeiae.

Notarius:

Rev. Dom. Ioannes Vreže, ut supra.

IV. Sectio:

Praeses:

P. T. Rev. Dom. Thomas Rožanc, Canonicus honorarius eccl. cathedr., Sacerdos iubilare, Consiliarius consistorialis, Parochus et Decanus ecclesiae s. Magdalenae Marburgi.

Consultores:

1. Adm. Rev. Dom. Mathias Stoklas, Consiliarius episcopalis, Parochus et Decanus eccl. s. Mariae in Frasslau.

2. Adm. Rev. Dom. Iacobus Caf, Parochus et Decanus ecclesiae s. Thomae penes Groszsonntag.

3. Adm. Rev. Dom. Georgius Bezenšek, Consiliarius episcopalis, Parochus ecclesiae s. Ioannis Bapt. in Čadram.

Referens:

Rev. Dom. Matthaeus Slekovec, Parochus ecclesiae s. Marci prope a Petovio.

Notarius:

Rev. Dom. Iosephus Zidanšek, Professor s. Theologiae, Proregens Seminarii puerorum episcopalis.

Methodus, qua in Congregationibus particularibus consultationes expediendae et quae praecise in singulis Sectionibus deliberanda essent, per Reverendissimum Antistitem exposita est atque plena libertas, si in qua quid addendum vel emendandum esset, Congregationibus concessa est. Singulis Sectionibus itaque Celsissimus Ordinarius materias, quae Eiusdem iussu iam praeparatae erant, deliberandas tradidit.

Ad instantiam Promotoris Reverendissimus Pater authenticum instrumentum singularum Congregationum generalium et Sessionum publicarum Notarium Synodi ex ordine conficere et testes sibi in hoc negotio eligere iussit. Hi iam ab eodem designati sunt: Adm. Rev. Dom. Dr. Antonius Suhač, ut supra, et Adm. Rev. Dom. Antonius Lacko, Consiliarius episcopalis et Parochus ecclesiae s. Crucis in Campo Muri fluvii.

Secretario Synodi instante Reverendissimus Episcopus primam Sessionem publicam in diem 29. Septembris, festum s. Michaelis archangeli, hora septima matutina indixit et precibus, post actionem synodalem persolvendis, clara voce recitatis Congregationem dimisit.

Marburgi, die IV. Kal. Oct. 1896.

Dr. Ioannes Mlakar,

Notarius Synodi.

Dr. Antonius Suhač,

Testis.

Antonius Lacko,

Testis.



Prima Sessio publica.

n prima Congregatione generali Celsissimus Dominus primam Sessionem publicam in diem 29. Septembris, in festum S. Michaelis archangeli indixerat, et hora septima matutina illius diei omnes Synodales veste talari et choralis vel habitu suae religionis et superpelliceo induti Reverendissimum Ordinarium ad valvas ecclesiae s. Aloysii exceperunt et in processione ad altare maius comitati, sedilia sua in navi ecclesiae eis assignata occupaverunt. Mox Tertia, inchoante Celsissimo Principe atque Episcopo, persoluta est, et accepto pluviali rubri coloris Reverendissimus Dominus intonuit Hymnum: Veni creator Spiritus, schola vero eum ad finem cantavit. Missa de Spiritu sancto cum sollemni assistentia celebrata, inter quam Schola cantavit: Introitum: „*Spiritus Domini*“, Graduale: „*Beata gens*“, Offertorium: „*Confirma hoc Deus*“, Communionem: „*Factus est repente*“. Ordinarium: *Missa in festis solemnibus*,¹ preces pro prima Sessione publica, in Pontificali Romano praescriptae, a Celsissimo Domino et clero dictae sunt. Has Reverendissimi Praesulis concio synodalis secuta est et sub summa Synoditarum attentione per plus unam horam duravit.

¹⁾ Omnia in cantu Gregoriano editionis officialis et authenticae ss. Rituum Congregationis (Ratisbonensis) comitante organo.

Concio synodalis, habita

in prima Sessione publica, in festo s. Michaelis archangeli,
die 29. Septembris.

Reverendi sacerdotes!

Venerabiles fratres et filii in Domino dilecti!

Singulari gratia coelesti in sortem Dei vocati, facti sumus membra tremendi illius sacerdotii, quod sacerdos in aeternum Christus Iesus hisce in terris in sanctificationem et ad salutem animarum immortalium instituit. Divini Salvatoris clementissima ordinatione triplex nobis obtigit munus sublime idque prophetae sive doctoris, sacerdotis nec non pastoris. Quo de triplici munere habebo subsequenter concionem synodalem.

Dulcissime Iesu, benedic nobis, qui nobiscum es in sanctissimo altaris Sacramento!

I.

»Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo.« (II. Cor. 5, 20).

Mandatum accepimus, praedicandi evangelium omni creaturae. *Et misit Iesus duodecim apostolos, praedicare regnum Dei*, ita modo audivimus divinum praeceptorem loquentem in praelecto evangelio s. Lucae. (9, 1. 2). Hinc mihi et Vobis, qui estis apostoli dioeceseos, incumbit insigne officium, catechizandi tenellos parvulos, *quorum angeli Deum vident*, in eis fidei et divini timoris fundamenta ponendi. *Sinamus parvulos venire ad Iesum Christum*. Omnes porro obligamur, adolescentes pabulo coelestis doctrinae alere et nutrire, in fide salvifica firmare ac contra seductionis pericula praemunire. »Quid maius«, quaerit ille eloquentissimus patriarcha Constantinopolitanus s. Ioannes Chrysostomus, »quam animis moderari, quam adolescen-

tulorum fingere mores? Omni certe pictore, omni certe statuario ceterisque huiusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui iuvenum animos fingere non ignoret.«¹

Christi legatorum porro est, fideles adultos cohortari ad constantiam in fide catholica, ad perseverantiam in bonis operibus et in eis sacrum fervoris et zeli religiosi ignem iugiter fovere. „*Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo.*“ (II. Cor. 5, 20).

Mittens, quam instanter sacra Scriptura, sancti ecclesiae Patres et Doctores nec non sacrosancta concilia oecumenica et summi Pontifices urgeant officium praedicandi verbum Dei, ad id solum in hac sollemni Synodo reflecto, quam maxime necessaria sit nostro aevo assidua et sedula verbi divini praedicatio. Quis enim negat, quod inimici crucis Christi, quorum numerus non legio sed legiones, audacter insurgunt adversus Dominum et adversus Christum eius, temerarie oppugnant et debellant ecclesiam catholicam eiusque dogmata atque instituta, conantur in populo christiano errores et falsa principia verbis, scriptis, ephemeridibus aliisque vafis artibus et modis dolosis disseminare?

Quorum perversorum conaminum fructus abominabiles iamiam maturescunt. Morum corruptorum labes homines invadit et in eis imaginem Dei destruit ac mentem mittit sub iugum carnis. Humanae aequae ac divinae leges vilipenduntur, auctoritas sacra et civilis contemnitur, crimina numero et atrocitate ingravescunt, iuventus reperitur superbiens et inobediens, pertinax et pervicax atque arrogans. Quorum exitus est aeviternus interitus.

Videte, fratres in Domino dilecti, hic est ager patens et campus vastus activitatis nostrae. Haec est arena, in qua gladio ancipiti verbi divini dimicandum est pro

¹ Hom. 60. in cap. 18. Matth.

gloria crucis, pro exaltatione ecclesiae, pro patriae bono, pro nostra et nostrorum salute aeterna et terrena. Vivum verbum sonet nunc omni robore, perpenetret corda sicut gladius anceps, quasi malleus conterens petras. Necessarii sunt hodie homiletæ, pleni fortitudine constantiaque apostolica, virtute et unctione, qui docent, sicut potestatem habentes et non sicut scribae et pharisaei. (Matth. 7, 29). Necessarii sunt praecones, pleni vita et fervore — qui non ardet, non incendit — e quorum ore manat oratio sicut flamma ignis; praedicatores, divino spiritu afflati, qui desiderio salutis hominum promovendae diriguntur in suis sermonibus, qui non parcentes peccatis parcent personis; oratores pro vita, qui percipiunt exigentias temporis et necessitates christianorum; concionatores, pleni dilectione et amore, quos purissima intentio ambonem ascendere facit; praedicatores, pleni scientia et eruditione, qui immutabiles veteres veritates velant novis vestibus; praedicatores, qui evangelium, quod ore annuntiant, vivis operibus exponunt; praedicatores catholici, qui certum et ad persuadendum accommodatum testimonium perhibent de veritate; praedicatores, qui gravia argumenta, quibus sacra fides, beata spes et sancta charitas innituntur, ipsi bene norunt et dein fidelibus communicant, *ut iam non sint parvuli fluctuantes et circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* (Ephes. 4, 14).

Agedum, seminemus large et non parce, seminemus liberalissime semen, quod seminavit divinus noster Magister, quod seminaverunt sancti apostoli, sancti ecclesiae Patres et Doctores, sancti episcopi et sancti sacerdotes. Semen hoc est semen bonum, quippe quod protulit tot sanctos martyres et confessores, tot sanctas virgines, tot sanctos et sanctas Dei. „*Sollicite curamus, nosmetipsos probabiles exhibere Deo operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis. Profana autem et vaniloquia devitamus, multum enim proficiunt ad impietatem . . .*

Stultas et sine disciplina quaestiones devitamus, scientes, quia generant lites.“ (II. Tim. 2, 15. 16. 23). Aureas regulas super sacra praedicatione exhibent litterae encyclicae Leonis Papae XIII. iussu desuper ad omnes Italiae episcopos atque ad omnes ordinum coetuumque religiosorum praesules die 31. Iulii anno 1894 per s. Congregationem episcoporum et regularium datae.¹

„Praedicemus igitur verbum, instemus opportune, importune; arguamus, obsecremus, increpemus in omni patientia et doctrina. Est enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinent, sed ad sua desideria coacervant sibi magistros, prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur. Nos vero vigilemus, in omnibus laboremus, opus faciamus evangelistae, ministerium suum impleamus. Sobrii simus.“ (II. Tim. 4, 2—5). *„Id enim facientes, et nosipsos salvos faciemus et eos, qui audiunt nos.“* (I. Tim. 4, 16).

II.

«Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.» (I. Cor. 4, 1. 2).

Iesus Christus Deushomo in sua infinita miseratione instituit septem sacramenta ad communicandam hominibus gratiam, in ara crucis promeritam. Et nos felices constituit administratores sacramentorum suorum, nos fecit adiutores Dei in sanctificandis hominibus; nobis contulit *secundum suum munus sublime, munus sacerdotale*. Ex hominibus assumpti pro hominibus constituti sumus in iis, quae sunt ad Deum, ut offeramus dona et sacrificia pro peccatis. (Hebr. 5, 1). O honor, o dignitas, o altitudo divitiarum status sacerdotalis! *„Audite filii Levi! Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab*

¹ Citatae litterae reperiuntur: Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Dioecese. Marburg, 1896. num. VIII. Pag. 1 sqq.

omni populo et iunxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et staretis coram frequentia populi, et ministraretis ei.“ (IV. Mos. 16, 8. 9).

O fratres, o filii! Revolvatis mente, quid tractetis administrando sacra sacramenta, quibus quasi instrumentis gratia, passione et morte divini Salvatoris acquisita, confertur; quibus mediis praestantissimis cultus Deo dignus et pietatis plenus exhibetur. O tanta quanta sacramentorum utilitas atque dignitas! Nihil in mundo datur sanctius, nihil pretiosius, nihil efficacius ad consequendam beatitudinem in coelo et in terra, quam sacrosancta a Iesu Christo instituta sacramenta.

In specie quid dicam de cultu erga sanctissimum Eucharistiae mysterium, quod est centrum religionis, liturgiae et sacerdotii nostri? Quid enim de sacerdote catholico sublata Eucharistia? Nonne et ipse evanescit? Si magna nimis est nostra auctoritas, si coelum nobis datum est aperire inferosque claudere, si ille, qui, ut cum s. Augustino loquar, creavit nos absque nobis, creat se median- tibus nobis in Missae sacrificio, si nos ipsos ac fideles nobis commissos saginamus et inebriamus cibo potuque coelesti, nonne omnia haec ab Eucharistia? Eucharistia, optime quidam asceta dixit, est arbor nosque sacerdotes eius umbra. Tollite arborem, iam umbra non erit amplius.

Si ergo ab ineffabili mysterio altarium nostrorum omnis nostra pendet dignitas, auctoritas, potestas, character noster, quis non videt necessitatem pro sacerdote, ut devotionem erga tam mirabile Sacramentum, in quo Salvator noster divitias sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum,¹ in corde suo foveat, nutriet et augeat? Et hoc magis ea de causa, cum in Eucharistia thesauros omnigenos pietatis et sanctitatis, tam necessariae ecclesiastico viro, inveniat. Est videlicet hoc Sacramentum revera ager ille evangelicus, in

¹ Concil. Trid. sess. XIII. c. 2.

cuius sinu thesaurus absconditur immensi valoris, pro cuius adeptione dignum est, ut homo, praecipue sacerdos, homo Dei (I. Tim. 6, 11), vadat et vendat universa, quae habet, et emat agrum illum. (Matth. 13, 44).

Cultum igitur erga divinum altaris Sacramentum in corde sacerdotis fovere, sanctus, imo dicam, plane divinus scopus est. Et ego magno gaudio afficior, cum in visitationibus meis experiar, permultos sacerdotes Lavantinos libenter horas in adoratione coram sanctissimo Sacramento impendere et superimpendere. Item me non mediocriter delectat, quod perplures animarum pastores magni habeant et propagent pro parte virili sodalitatem perpetuae adorationis ss. Sacramenti, et quod sint membra associationis sacerdotum adoratorum nec non associationis perseverantiae sacerdotalis.

Quid miramini, si beatus Paulus, servus Iesu Christi, deprecatur a dispensatore mysteriorum Dei fidelitatem? »Hic iam quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. » Fidelem expostulat, non levem, non negligentem, non distractum, non tepidum, non murmurantem, non turpis lucri cupidum, non peccatis inquinatum et vitiis obrutum. Ut fideles inveniamur in sacris sacramentis ministrandis, instemus orationi et meditationi, praeparemus et disponamus nos interne et externe ad sacram rem, quam acturi sumus. Dispensemus mysteria Dei puro corde et pio gestu, morum honestate intrinseca et decentia extrinseca.

Ritus et caeremonias praescriptas religiose observemus, memores Concilii Tridentini canonis, sic statuentis: « Si quis dixerit, receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus in sollemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. »¹ Ut

¹ Sess. VII. can. 13.

autem in sacris ritibus et caeremoniis adhibendis inoffenso pede procedatis, pervolvite assidue ac legite attente et sequamini ad unguem novam *Collectionem Rituum dioeceseos Lavantinae*¹ nuperrime editam Vobisque missam. Devote et pie tractetis sacramenta, ut populus quoque intelligat, non vulgarem rem a vobis agi sed sacram, sed divinam, et ut a vobis ministris ad parem erga divina salutis remedia devotionem, pietatem et reverentiam abripiatur.

Sacrificium Missae potissimum celebremus summa devotione ac summo animi ardore. «Quodsi necessario fatemur,» aiunt sanctissimi Patres Tridentini, «nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium... satis etiam apparet, omnem operam ac diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia et puritate atque exteriori devotionis et pietatis specie peragatur.»² Si quando valet istud, *sacerdotem decet sanctitudo*, valet praecipue hic quoad omnium sanctissimum sacrificium, quoad dignam et reverentem oblationem Missae. Hic coniunctim reperitur omne bonum et omne pulchrum ecclesiae, uti habet Zacharias propheta: „*Quid bonum eius et quid pulchrum, nisi frumentum electorum et vinum germinans virgines?*“ (Zach. 9, 17).

O frater, o fili! An mundus es in celebrando ab omni peccato, non solum mortali sed etiam veniali deliberato, atque ab omni affectu erga peccatum quod-

¹ Collectio rituum dioeceseos Lavantinae ex venia sanctae Sedis retinendorum in administratione sacramentorum, in benedictionibus et exorcismis, in processionibus aliisque ecclesiasticis functionibus. Iussu et auctoritate Celsissimi ac Reverendissimi Domini Domini Michaelis Principis-Episcopi etc. etc. edita. Marburgi. Typis Typographiae s. Cyrilli 1896. 4^o. Pagg. 484. — Ex qua Collectione depromptum est: Officium defunctorum et Ordo exsequiarum pro adultis et parvulis una cum Missa defunctorum. Iussu et auctoritate Celsissimi ac Reverendissimi Domini Domini Michaelis, Principis-Episcopi Lavantini etc. etc. Marburgi, 1894. Typis Typographiae s. Cyrilli. 4^o. Pagg. 65.

² Sess. XXII. de sacrif. missae. Decretum de observ. et evitand. in celebrat. missae.

cunque? «Quo non oportet esse puriorem tali fruement
sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum,
carnem hanc dividentem? Os, quod igne spirituali reple-
tur? Linguam, quae tremendo nimis sanguine rubescit?»¹
An, quia contritus tibi videris, imo etiam non contritus,
negligis forsitan confessionem peccati etiam lethalis, illam
differs ad plures menses, ad dimidium anni, vel vero ad
annum et ultra? «Nullus sibi conscius mortalis peccati,»
sunt verba Concilii Tridentini, «quantumvis sibi contritus
videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad
sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod etiam ab iis
sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec
sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit...
Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia con-
fessione celebraverit, quam primum confiteatur.»²

Concilium provinciae Salisburgensis, anno 1569 ab
archipraesule Ioanne Iacobo convocatum, decrevit haec:
»Si sacerdos aliquis repertus fuerit, graviter sive mor-
taliter Deum offendisse et proximum scandalizasse et
immemor doctrinae apostoli dicentis: „Probet autem se
ipsum homo et sic de pane illo edat, et de calice bibat.
Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi man-
ducat et bibit, non diiudicans corpus Domini“ — absque
suae conscientiae discussione, sacramentali confessione
mediante, hoc tremendum sacrificium celebrasse vel
quomodocunque communicasse, ut haereticus omnibus
spoliatus beneficiis, si quae habet, acerrime puniatur.
Nam qui tale scelus audent perpetrare, profecto ab in-
fectione haeresis alieni non possunt esse, praesertim qui
in eodem scelere non erubescunt perseverare... quos
acerbius omnino volumus atque praecipimus a locorum
Ordinariis puniri, omnibusque beneficiis et officiis pri-
vari, et a divinorum celebratione usque ad Ordinarii
beneplacitum suspendi, qui cum illis haud dispensabit,

¹ S. Chrysost. hom. 60. ad populum Antiochenum.

² Sess. XIII. de Eucharistia cap. 7.

nisi prius condignam in talibus cognoverit emendationem et contritionem.»¹

Eheu, quoties ingreditur sacerdos domum Dei, administrat sacramenta, celebrat Missam, peragit sacras functiones, at ipse manet in peccatis. Quoties persolvit exequias, sepelit mortuos, videt et audit, quantis malis obruat homines peccatum, at ille non convertitur: „*Terra saepe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem spinas et tribulos, reproba est et maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.*“ (Hebr. 6, 7. 8). Verba formidanda. „*Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti; tametsi ita loquimur . . . Cupimus autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem.*“ (Hebr. 6, 9—11).

O sacerdos frater, qui debes sacramenta conferre aut Missam offerre, ast peccato obnoxium te sentis, accede ad thronum divinae misericordiae, confitens peccata tua et negligentias tuas, ut veniam consequaris et remissionem peccatorum. Quid, quaero, tibi prodest, si alios sanctifices, ipse autem sanctificatione careas; si arcam Noë et filiis eius aedifices, ipse vero eam non intrans diluvii aquis mergaris? Quid tibi prodest, o bone parroche, si omnes parochiae tuae animas lucreris, animae vero tuae detrimentum patiaris? Horribile dictu, si satanas irridet te: Alios salvos facit, seipsum salvare non valet. Vae, si primus fias novissimus; si piscator animarum foras mittaris inter pisces malos; si operarius in agro Domini alligeris ut zizania ad comburendum; si dux et pastor ovium statuaris ut hoedus a sinistris. Domine, porrige nobis dexteram tuam et trahe nos ex abominabili vita!

¹ Constit. XLVII. cap. III. Floriani Dalham, Concilia Salisburgensia. Augustae apud Vindelicos, 1788. Pag. 498.

Quoties sacramentaliter confitendum? S. Carolus Borromaeus in concilio quarto Mediolanensi sequentem regulam sacerdotibus dedit: »Singulis saltem hebdomadis, atque adeo saepius et omnino semper, cum peccati mortalis conscii estis, confiteamini.« Ipse s. Carolus quotidie confessione sacra ad Sacrum faciendum se parabat. Concilia et synodi frequenter sacerdotes hortantur, ut regulariter octavo quoque die peccata confiteantur, nunquam vero ultra quindenam differant. Synodus Ratisbonensis anno 1588 constituit: »Sacerdotes, quo purius ad divinam rem faciendam accedant, singulis hebdomadis vel saltem et ad minimum decimo quinto die peccata sua confiteantur, nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.« Sacrosancta Synodus Tridentina decrevit, ut alumni, militiae sacrae adscribendi, *singulis saltem mensibus confiteantur peccata.*¹

Philippus II. princeps-episcopus Lavantinus (1708—1718) mandavit per litteras suas pastorales de die 17. mensis Decembris 1709 clericis suis sacramentalem confessionem singulis quatuordecim diebus peragendam.²) Ego ardentissime opto et in hac Synodo plena decerno nec non sub merito salutaris obedientiae mando et praescribo, ut omnes huius dioecesis clerici quolibet die octavo vel saltem decimo quinto vel ad minimum tricesimo die seu quolibet mense peccata sua confiteantur, nisi mortaliter peccaverint, quia tunc praecipiente Concilio Tridentino *quam primum* confiteri tenentur.

O praeadamati mei consacerdotes, obeamus in futurum sublime munus sacerdotale pie et iuste, sancte et religiose. Nos enim vices gerimus summi Sacerdotis, qui et noster supremus iudex est. Omnibus viribus contendamus, ut adimpleantur in nobis verba Christi, Patrem suum coelestem exorantis: „*Volo Pater, ut, ubi sum ego, illic sit et minister meus.*“ (Ioan. 12, 26).

¹ Sess. XXIII. cap. 18. de reform. — ² Karlmann Tangl, Reihe der Bischöfe von Lavant. Klagenfurt, 1841. num. 37. Pag. 310.

III.

»Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriae coronam.« (I. Petr. 5, 2—4).

Tertium nostrum munus est *munus pastoris*. Bonus pastor autem, uti illum describit Pastor aeternus, *cum proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius*. (Ioan. 10, 4). Pastoris est igitur, ire ante gregem; et gregis, sequi pastorem. Pastor, gregem sequens, non tam regit oves, quam potius regitur, non tam ducit eas, quam potius eas quasi baculo compellit ire, non est tam gregem amans quam potius in grege dominans. Optima pascendi oves methodus est, si pastor gregem praeit verbo et exemplo; si eius vita est omnium virtutum paradigma; si est speculum, in quo omnes fideles videant, quomodo sit vivendum. De divino Pastore scriptum est: Coepit *facere* et docere. (Act. apost. 1, 1). Tales pastores expetit ille pastor, cui primo dictum fuit: »Pasce agnos meos. Pasce oves meas« (Ioan. 21, 16. 17), expetit, inquam, s. Petrus, dum clamat: „*Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo.*“ (I. Petr. 5, 2. 3).

S. Petrus requirit, ut simus forma gregis ex animo, quod fit, si vita et honestate praebeamus fidelibus normam vivendi rectam et iustam, firmam et facilem. Idem praeclare exprimit pastor et doctor gentium divus Paulus, scribens Timotheo: „*Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.*“ (I. Tim. 4, 12).

Esto exemplum fidelium *in verbo et conversatione!*
Hoc est externe: sermone, gestu, incessu, vestitu, se ge-

rendi et agendi modo. Perpulchre commentatur hoc ille celeber canon Concilii Tridentini, sic sonans: »Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Quum enim a rebus saeculi in altiorem sublatis locum conspiciantur, in eos tamquam in speculum reliqui oculos coniciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.« ¹

Esto exemplum fidelium *in fide, in charitate, in castitate*. Tres hae virtutes sunt quasi nucleus, sunt quasi anima boni exempli: quoad Deum fides, quoad proximum charitas et quoad seipsum castitas. Tantum debet pastor virtute praecellere ac praestare iis, quos regendos suscepit, quantum naturae etiam dignitate pastor homo brutis animalibus rationis expertibus antecellit.²

Erga Deum et quae Dei sunt, sis imbutus viva et firma fide, quae bona opera operatur et parit pietatem, sui oblitam et soli Sancto, soli Domino, soli Altissimo adhaerentem eiusque solius gloriam quaerentem et promoventem. Fide pietateque plenus pastor instruit suo vivendi more fideles, quomodo Deo servire, ipsum colere et glorificare eique placere et ipsius gratiam mereri valeant. Ille cum Christo plebi suae dicere potest: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. (Ioan. 13, 15). Sive orantem illum vident fideles, sive sacram Missam celebrantem, sive sacramenta ministrantem, sive alias sacras functiones peragentem, habent semper in eo vivum s. Stephani, inclyti Diaconi et

¹ Sess. XXII. cap. 1. de reform. — ² S. Gregorii Mag., Lib. regulae pastoralis. Part. II. cap. 1. Ingolstadii, 1822. Pag. 23.

primi Martyris, instar et splendidum speculum, de quo s. Lucas adnotat: „*Et intuentes eum omnes viderunt faciem eius tamquam faciem angeli.*“ (Act. apost. 6, 15).

Profecto! Date mihi, in Domino dilecti fratres et filii, animarum pastores et curatores, plenos viva fide et vera pietate, et facies ecclesiae Lavantinae inopinate renovabitur. *Iustus meus ex fide vivit.* (Hebr. 10, 38). O quam saepe pius et fidelis animarum pastor sine querelis et lamentationibus parochiam suam in silvis sitam mutat in paradisum amoenum! Fide plenus pastor non sua quaerit, sed quae Christi sunt. Ille omnibus fit omnia. Pro nobilibus est Ioannes Baptista, pro Aegyptiis Moyses, pro criminosis Phinees, pro idololatriis Elias, pro avaris Elisaeus, pro mendacibus Petrus, pro blasphemis Paulus, pro sacrilegis Christus, pro omnibus pater et mater.

Ex adverso, o bone Deus, quantas in parochia clades excitat curator infidelis et impius, iners remanens et ignavus, mundana sequens et orationem negligens, sua officia obiter et festinanter peragens! Parochiani omnem mox erga illum fidelitatem, reverentiam et obedientiam obiciunt, persuasi, talem ministrum non ex fide sed officio agere ad lucrandum panem quotidianum. „*Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat . . . Et daemones credunt et contremiscunt.*“ (Iac. 2, 14. 19). — „*Domine, adauge nobis fidem!*“ (Luc. 17, 5).

Esto porro exemplum fidelium in charitate. Charitate Iesus Christus factus est salvator et pastor noster. Charitas nos quoque facit salvatores et veros pastores animarum. Charitate efficitur, ut feri et immansueti mansuescant, duri emolliantur, contumaces cedant, insolentes modesti et moderati fiant, ut lubenter excipiant monita, qui secus ista molesta recusaverint. Vix datur alia ratio mitigandi parochianos durae cervicis et incircumcisi cordis, quam benignitas et humanitas christiana. »Era-

mus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit salvatoris nostri Dei . . . salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.» (Tit. 3, 3—6).

Quid non valet et pollet sancta charitas? »Charitas patiens est, benigna est, charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit.» (I. Cor. 13, 4—8). »Induite vos ergo, electi Dei . . . benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam . . . Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.» (Col. 3, 12. 14). Egregie observat s. Bernardus in epistola sua secunda: »Bona mater charitas in pastore. Cum arguit, mitis est. Cum blanditur, simplex est. Pie solet saevire, sine dolore mulcere, patienter irasci, humiliter indignari.» Estote igitur exempla fidelium in charitate!

Superest demum castitas. *Esto exemplum fidelium in castitate!* O castitas, virtus summe aestimanda, quae angelum de homine facis. Quis mihi tribuat, ut te admemus et diligamus, uti dignum et iustum est, aequum et salutare? Si te possem nuptam dare praedilectis meis sacerdotibus dioecesanis! Factis his nuptiis libenter morerer vel eo libentius laborarem. Pro pace conscientiae Vestrae, boni mei amici, pro gloria sacerdotii, pro aedificatione populi, pro mea salute et Vestra — Vosmetipsos castos custodite. (I. Tim. 5, 22).

»Turpe«, ita clamant Patres Tridentini, »ac clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, est indignum, in impudicitiae sordibus . . . versari.«¹ Nil

¹ Sess. XXV. cap. 14. de reform.

hocce verius. Nam quid turpius, quam decidere infra brutum, quem decebat esse angelum? Quid clerico indignius, quam esse sortem satanae, quem decebat esse sacram dotem?¹ »Monstrosa res«, ingemiscit s. Bernardus, »gradus summus et animus infimus, sedes prima et vita imma.«

Quid maius infert damnum, quam immunda sacerdotis vita? Inde homines sibi sumunt fiduciam peccandi. Quid, quaerunt, si non dedeceat sacerdotem habere pellicem, ecquid hominem saecularem dedeceat? Quod decuit sacerdotem, cur mihi turpe putem? Sacerdos incastus incassum laborat. Omnem eius operam et sudorem subruit et vanum reddit eius vita inhonesta. »Qua enim libertate«, recte animadvertit Concilium Tridentinum, »laicos corripere poterunt sacerdotes, cum sibi ipsi facile respondeant, eadem se admisisse, quae in aliis corripere volunt.« Cuius vita despicitur, eius etiam praedicatio contemnitur. O commiserandum gregem, qui pastorem habet incontinentem, impudicum, luxuriosum! Quid boni praestabit vir mollis, vir carnalis, vir mulieriosus? Vae, vae sacerdoti, per quem scandalum venerit. Vae sacerdoti, qui a bono caeteros deviaverit adinstar filiorum Heli, de quibus dicitur, quod *erat peccatum puerorum grande nimis, quia retrahebant homines a sacrificio Domini.* (I. Regg. 2, 17).

Si tempus permiserit, multum iuvaret hic, canones poenitentiales e iure canonico allegare, ut ex poena vitii eluceat eius turpitudine. Legite ipsi canonem 33. dist. 50; canonem 5. dist. 82; et canonem poenitentialem 2. Perlegite poenas, contra absolventes complicem et in sollici-

¹ Sacerdos communiter explicatur sacra dos, sacra dans. Derivari solet etiam e graeco ἄγ (τὸ ἄγος, piaculum, sacrum timorem importans, ἄγιον sacrum, ἄλλομαι revereor) et ἔρδω facio, perficio, oblationem potissimum facio. Spiritus asper in derivatis mutatur saepenumero in sigma, et ος est in graeco syllaba derivationis. Ergo σαγερδος. Graecum γ est cognatum χ, cui correspondet latinum c. Inde sacerdos idem ac ὁ τὰ ἅγια ἔρδων, sacra faciens.

tantes ad turpia statutas et paucis abhinc mensibus multo severiores factas¹. Quae decreta, proh dolor, non satis attenduntur et debite urgentur. Hinc illae lacrymae. Hinc turpissimi illi lapsus, qui deifico sacerdotio notam inurunt foedissimam. Utinam confessarii confessariorum officio suo intrepidi fungerentur! Utinam omnes confratres uterentur fortiter correctione fraterna, quae non est de consilio sed de praecepto! S. Patres non noverant crudelem illam mollitiem, quae connivet, ut perimat. S. Basilius nullo modo tulit, ut presbyter quidam septuagenarius secum haberet mulierem sibi servientem, non quod senis lapsum sed scandalum metuebat. »Eiice eam de domo tua«, scripsit illi, »et viri tibi serviant, ne nomen Dei per nos blasphemetur.« Nec veritus est celeberrimus Cappadox, repugnanti poenam perpetuae suspensionis atque excommunicationis minari.²

Ego de sacerdotum vita inhonesta et impudica affligor vehementer et conturbor, ipsamque amare deploro et deplango. Affligor et conturbor in his, quae iam patior; doleo et defleo, quia ipsis imminet ruina aeterna. Quapropter tales infelices sunt praecipua instantia mea quotidiana. Ego libentissime impendam et superimpendar ipse pro animabus ipsorum; licet plus ipsos diligens, minus diligar. (II. Cor. 12, 15). Sic s. Paulum imitabor, qui nihil unquam omisit, quod facere potuerit ad fratrum procurandam salutem. Sic cum Augustino sanctissimo, quando coram severissimo iudice Iesu Christo, astantibus angelis omnibus et sanctis, ad rationem reddendam vocabor, magna cum animi fiducia et cordis mei laetitia intrepide dicere potero: »Domine, tu scis, quia dixi; scis, quia non tacui; scis, quia ex animo dixi; scis, quia flevi,

¹ S. Poenitentiaria die 19. Februarii 1896 declaravit: Excommunicationem reservatam in Bulla „Sacramentum Poenitentiae“ non effugere confessarios absolventes vel fingentes absolvere eum complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id confessarius poenitentem induxit sive directe sive indirecte.

² S. Basilii epistola ad Gregorium presbyterum.

cum dicerem et non audirer.«¹ Caeterum hac de re quominus ulterius pergam verba facere, prae dolore et horrore impediōr.

Sub finem coniuro per Deum vivum omnes praesentes et absentes confratres *et flexo poplite eos exoro*, ut detestentur maledictam *vitam* inhonestam et alios istam abominari faciant. Est enim via recta in infernum. Omnes obtestor in nomine Iesu crucifixi, ut ament et vivant vitam castam et innocentem, ductricem in coelum. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* (Matth. 5, 8). *Libenter crucior pro filioliis meis, donec doloribus meis formetur in ipsis Christus.* (Gal. 4, 19).



Tandem demum propono Vobis perfectam sacerdotis imaginem, quam classice delineat s. Bernardus Claravallensis: «Eos bonos sacerdotes esse, inquit, qui praeter Deum timeant nihil, nihil sperent nisi a Deo. Qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subiecti ad disciplinam, concordēs ad pacem, conformes ad unitatem. Qui sint in iudicio recti, in consilio providi, in iubendo discreti, in disponendo industrier, in agendo strenui, in misericordia non remissi, in otio non otiosi, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienae non cupidi, suae non prodigi, ubique et in omnibus circumspecti. Qui legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec iussi renuant nec non iussi affectent. Qui quod verecundi excusant, obstinatius non recusent. Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur. Qui orandi studium gerant et usum

¹ S. Augustini contra Cresconium, Lib. I. cap. 80.

habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quam suae industriae vel labori. Quorum ingressus pacificus, molestus exitus sit. Quorum sermo aedificatio, quorum vita iustitia, quorum praesentia grata, quorum memoria in benedictione est.« ¹

Tales pastores, *cum apparuerit princeps pastorum percipient immarcescibilem gloriae coronam.* (I. Petr. 5, 4) Amen.



Synodali concione ad finem deducta hora nona et dimidia, Promotor synodalis institit pro decretis, quae formam Synodi dioecesanae respicerent, publicandis, ad quam instantiam Celsissimus Ordinarius Lectori Synodi decreta enuncianda mandavit et quidem *a)* de Synodo aperienda et incoepa, *b)* de servando secreto, *c)* de modo tempore Synodi vivendi, *d)* de non discedendo, *e)* de professione fidei emittenda, *f)* de praeiudicio non afferendo, *g)* de ludicibus excusationum et querelarum.

Quibus perlectis, Reverendissimo Ordinario praeunte, omnes flexis genibus emiserunt professionem fidei forma, a Pio PP. IV. praescripta et Concilio Vaticano aucta; trini ac trini postremo in manus Celsissimi Praesulis s. Evangelii librum osculantes iusiurandum praestiterunt.

Secuta est instantia Promotoris Synodi pro enunciandis Examinatoribus synodalibus promovendorum ad beneficia cum animarum cura, qui pridie in prima Congregatione generali a Reverendissimo Antistite propositi et a Synodalibus approbati erant. Celsissimus Princeps annuens Lectorem Synodi decreta huc respicientia pronunciare iussit. Quo facto electi Examinatores in manus Celsissimi iusiurandum ediderunt.

¹ De consideratione lib. IV.

Reverendissimus Episcopus exinde legendas curavit constitutiones synodales et quidem 1) de fide catholica servanda eiusque tuendae cura, 2) de clericorum circa res politicas agendi ratione, atque 3) de exercitiis spiritualibus clericorum. Neque vero ulli mirum fuit, quod Congressores istas constitutiones magno cum gaudio excepissent, cum eas moestis temporum nostrorum circumstantiis opportunissimas esse conspexissent.

Ad instantiam Promotoris Synodi Celsissimus Antistes indixit secundam Congregationem generalem in tertiam horam post meridiem, et Synodales benedictione Celsissimi Episcopi accepta in silentio discesserunt.

Marburgi, die III. Kal. Octobris 1896.

Dr. Ioannes Mlakar,

Notarius Synodi.

Dr. Antonius Suhač,

Testis.

Antonius Lacko,

Testis.



Secunda Congregatio generalis.



ora tertia post meridiem, in festo s. Michaelis archangeli, die 29. Septembris, Congregatio generalis secunda in ecclesia s. Aloysii¹ habita est. E praescripto omnes Synodales in portis ecclesiae Celsissimum Episcopum exspectaverunt, veste talari et birreto vel habitu sui ordinis induti, in processione Eundem ad altare maius comitati, sedes suas occupaverunt. Statim Vesperae et Completorium, inchoante Antistite, persolutae sunt. Breviarium preces synodales ex ordine praescripto secutae sunt, et Director exercitiorum spiritualium Dom. Carolus Hribovšek, benedictione Episcopi accepta, primam meditationem de sacerdotis vocatione habuit. Haec erant puncta eiusdem:

Finis sacerdotis, si cum fine hominis generatim conferatur, magnam dignitatem, ad quam Deus sacerdotem elevavit, demonstrat, et gratiae abundantiam patet facit ac benedictionis, quam ut aliis communicet, illi commisit, atque perfectionis, ad quam ut summo opere tendat, illum obligavit, necessitatem in omnium quasi conspectu collocat.

Meditatione pellucida absoluta Reverendissimus Princeps conquestus est, quod materiarum copia premente

¹ Synodus dioecesis in ecclesia cathedrali, principe omnium dioecesis ecclesiarum, de regula est celebranda. De loco celebrationis nostrae Synodi valet id, quod clarissimus Bouix de more in Gallia usitato habet: „Hodie in Gallia Seminarii ecclesia ad Synodi celebrationem plerumque antepositur, et merito. Cum enim clerici, qui episcopalem civitatem non incolunt et ad synodum vocantur, in Seminario soleant hospitio recipi, ne eos per vias et plateas circumcursare necesse sit, in ipsa Seminarii ecclesia synodus celebratur.“ (D. Bouix, Tractatus de episcopo, ubi et de Synodo dioecesis. Parisiis, 1859. Tom. II. part. 6. pag. 356).

alia adhuc decernenda mandare deberet sicque, licet invitatus, vim sermonis quodam modo infringeret. In exsolvenda Synodi deliberatione unicam tamen constitutionem de casuum Episcopo reservatorum absolutione Lectorem Synodi praelegere imperavit et claris verbis simul etiam explanavit modum, quem sacerdotes confessarii servare deberent, ne populus fidelis damnum magis, quam aedificationem ex ampliori absolvendi ab eisdem facultate reciperet. Simul vero adnotavit, hanc constitutionem tum valorem accepturam esse, cum gesta et statuta huius Synodi, typo expressa, publici iuris facta essent.

Promotor Synodi postremo institit, ut Celsissimus Ordinarius secundam Sessionem publicam indiceret; quare decretum de altera Sessione publica, in die 30. Septembris, festo s. Hieronymi, hora septima matutina celebranda, praelectum est. Decreto de Missa de Requie pro episcopo proxime vita functo, fel. rec. Iacobo Maximiliano, et sacerdotibus dioecesis Lavantinae notificato, Congregationis generalis celebrandae finis factus est.

Hora vero quinta Synoditae, paternae invitationi Celsissimi Ordinarii obsecuti, in episcopales aedes se contulerunt, ubi frugali ut vocatur refectione et amicali colloquio inter se et cui occasio daretur, etiam cum Reverendissimo Domino fruerentur.

Marburgi, die III. Kal. Oct. 1896.

Dr. Ioannes Mlakar,

Notarius Synodi.

Dr. Antonius Suhač,

Testis.

Antonius Lacko,

Testis.



Secunda Sessio publica.



um hora septima matutina die 30. Septembris, in festo s. Hieronymi Confessoris et Doctoris ecclesiae, in templo s. Aloysii omnes Synodi officiales et sodales, veste talari et choralis cum birreto respective habitu suae religionis et superpelliceo induti, convenissent, Celsissimum Ordinarium in valvis ecclesiae praecise septima hora advenientem sollemniter exceperunt et ad altare maius processionaliter comitati, Eodem intonante, horam Tertiam persolverunt.

Qua finita Dom. Carolus Hribovšek, Capitularis ecclesiae cathedralis, Missam de Requie pro episcopo proxime defuncto felicis recordationis Iacobo Maximiliano, cuius auspiciis prima Synodus dioecesana Marburgi celebrata est, et pro defunctis sacerdotibus, qui illi interfuerant sed post hanc vita functi sunt (48), assistantibus parochis Dom. Iosepho Žičkar Vitanensi et Dom. Marco Črnko Sevnicensi celebravit, cantante Schola *Missam pro defunctis* cum Responsorio *Libera* in cantu Gregoriano. Missae sacrificio oblato Reverendissimus paramenta nigra induit et assistentia sua »Absolutionem« peregit.

His paramentis depositis Idem peregit paramentis rubei coloris indutus preces, quas Pontificale Romanum pro secunda die Synodi praescripsit. Quas cum persolvisset, vestibus sacris depositis hunc sermonem synodalem, hora octava et quadrante incipiens, elata voce habuit et sub magna audientium attentione.

Sermo synodalis,

in secunda Sessione publica, in festo s. Hieronymi Confessoris et ecclesiae Doctoris, habitus die 30. mensis Septembris.

Melior est obedientia quam victimae, et auscultare magis, quam offerre adipem arietum. (I. Regg. 15, 22).

Venerabiles fratres et filii in Domino dilecti!

Notissima est historia, qua occasione grandia et gravia haec verba fuere a Spiritu sancto prolata. Quum nempe Saulus rex Deo mandanti, ut Amalec ad interneccionem excinderet nullique rei viventi parceret, non obedivit, sed meliora de spoliis in sacrificium reservavit, tunc propheta Samuel Dei nomine Saulo inobedienti nuntiavit: „*Numquid vult Dominus holocausta et victimas et non potius, ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victimae et auscultare magis, quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere.*“ (I. Regg. 15, 22. 23).

Hunc sacrae Scripturae locum classicum, quo mirifice commendatur virtus illa, qua obsequimur iussa maiorum, quia praecepta sunt, consue allegant sancti ecclesiae Patres et Doctores, ut ostendant, quantopere obedientiae virtutem Deus aestimet, dum illam victimis et sacrificiis praeferendam edicit. Certe, verba modo allata perspicue declarant, quantum bonum quantaque felicitas sit obedientia; et ex adverso quantum malum quantaque miseria sit inobedientia, cui soli tribuenda est magna illa malorum laborumque congeries, quae post mandati divini transgressionem protoparentum obruit universum genus humanum.

Insignem obedientiae virtutem Vobis, in Domino dilecti fratres et filii, recommendare praesenti sermone syn-

odali eligendum statui, probe sciens, qui hanc virtutem tam excellentem quam necessariam assidue coluerit, ille et omnes alias virtutes exercebit; intime porro persuasus, quod ab obedientia et a statutorum synodaliū iusta observatione dependeat nostrae dioeceseos salus et pax, meum ac Vestrum gaudium et ornamentum, mea et Vestra salus et sors, mea et Vestra tum terrena felicitas cum beatitudo aeterna.

In sacra ordinatione unusquisque Vestrum ad Pontificem accessit, et ante aram genuflexus, sacris indutus prima vice vestibus, vix sacra synaxi reffectus, posuit manus suas iunctas inter manus Pontificis, dicentis cui-libet: *Promittis mihi et successoribus meis reverentiam et obedientiam?* Et ille coram Deo et hominibus respondit: *Promitto.* Tunc Pontifex, tenens manus illius inter suas, osculatus est unumquemque, dicens: *Pax Domini sit semper tecum.* Et ille respondit: *Amen.* Ad ingressum in vineam dominicam Lavantinam quilibet Vestrum, id quod ne momento quidem ausim addubitare, optimum concepit consilium, leges ecclesiasticas et statuta dioecesana accuratissime exsequendi. Quo in laudabili proposito ut magis obfirmemini et ad maiora excitemini, succedentis meae orationis finis est, ubi de obedientiae excellentia, necessitate deque eius gradibus sermocinaturus sum, invocato prius divino auxilio per intercessionem magni ecclesiae Doctoris Stridonensis, s. Hieronymi. Caeterum quae in medium prolaturus sum de obedientia, in prima linea et prae omnibus valebunt de me, tangent ipsam meam personam. Ad Vestram obedientiam ego nunquam provoco, nisi ut munere meo apostolico salubriter fungi valeam.

„*Venite filii, audite me, timorem Dei docebo vos!*“
(Ps. 33, 11).

I.

Virtutis obedientiae excellentia haud difficulter perspicitur:

Primo ex tristissimis inobedientiae protoparentum sequelis. Quum e philosophorum adagio eadem contrariorum sint consequentia, patet, quot ex vitio contumaciae oriuntur mala, tot ex virtute obedientiae enasci bona. Arboris in paradiso fructus ex se malus aut noxius non erat, sed bonus et amoenus. Qui omnia creaverat valde bona, nihil sane mali in paradisum induxit. Sola mandati divini transgressio mala imo pessima fuit, ex qua omnigena damna pro homine promanarunt. Deus punit tot iam saeculis in Adamo et posteris eius *unius hominis* inobedientiam.

Inde clarescit, quantum malum sit inobedientia, et vice versa quantum bonum obedientia. Haud ullo unquam sermone sufficienter dilucidari potest, qualia bona qualiaque dona elargitus fuerit Deus homini, si steterit in mandato. Obedientia coelum generi humano tenuisset apertum, quum illius portam rursus aperuisset, quam inobedientia clauserat.

Secundo. Apprime nostis, perdilecti in Domino, quanti fecerit Iehova arcam illam Testamenti. Collocata fuit in Sanctis Sanctorum inter alas Cherubim; in ea Propitiatorium constitutum erat, unde Maiestas divina responsa praestabat et oracula pandebat. Historice constat, quid Philistaeis evenerit, quando eam captam locarunt in fano suo. Dagon idolum coram ea semel atque iterum corruit, Philistaei vero mariscis et muribus percussi sunt. (I. Regg. 5, 3 sqq). Vulgatissimum est, quid contigerit Ozae, qui arcam temerario ausu tetigit. Repente concidit iuxta illam mortuus. (II. Regg. 6, 7). Cur, quaeso, tanti eam duxerit Dominus? Ob legem divinam, respondent sancti ecclesiae Patres et sacrorum Bibliorum commentatores, quam intra se custodiebat, talem honorem extraordinarium illi exhibere voluit.

Si ergo Deus tanto pretio aestimavit cistam istam ligneam et exanimem ob legem materiale ibi reconditam, quanto maiori in pretio illum habebit Optimus Maximus,

in cuius corde scriptam et bene custoditam opereque adimpletam legem invenerit. Utinam quilibet nostrum dicere posset: „*Lex tua, Domine, in medio cordis mei. In corde meo abscondo eloquia tua, ut non peccem tibi.*“ (Ps. 118, 11).

Tertio. Obedientiae praestantia ac dignitas quam maxime relucet in Dei Filio, qui obediens fuit mandatis parentum suorum. „*Et erat subdicius illis.*“ (Luc. 2, 51). Deus, Dominus, Creator subditus erat hominibus, servis, creaturis. Admirare, imitare, o frater mi! Deus obedit homini. Et tu homo non obedis Deo? Deo, inquam, cuius minister es? Inobediens non est minister Dei. Nam psaltes habet: „*Ministri eius, qui facitis voluntatem eius.*“ (Ps. 102, 21). Iesus Christus expresse pronuntiaverat, suum esse cibum, ut faceret voluntatem eius, qui misit se, et ut perficeret opus eius. Eapropter »obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.« (Philipp. 2, 8).

Sequamini itaque Christum, perfectissimum exemplar perfectissimae obedientiae. Sexcenties Vobis id rependitur iuxta promissionem: „*Amen dico vobis, quia vos, qui secuti estis me . . . sedebitis . . . super sedes duodecim.*“ (Matth. 19, 28).

Quarto. Obedientia nobilitat atque exornat hominem, ita ut speciali iure et peculiari titulo sit Dei.

Quaerit Doctor Hipponensis, divus Augustinus, cur David se esse Dei specialiter affirmet, quum tamen Dei cuncta sint. „*Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi, qui habitant in eo.*“ Unde non solum David, sed a minimo usque ad maximum omnes nos Dei sumus. Quare ergo, quasi specialiter David Dei sit, asserit et congaudet, se ob id fieri salvum? Et respondet ille Sapiens Hipponensis: „*Tuus sum, quoniam iustificationes*

tuas *exquisivi, non voluntates meas, quibus fui meus, sed iustificationes tuas, ut essem tuus.*“

Hinc obedientia efficitur, ut homo specialiori iure tituloque sit Dei. Deus exigit non nostra sed nos, vel saltem non nostra sine nobis. Domino non placebis, quamvis ei offeras, quidquid habes, si te non offeras, quod fit per obedientiam. *Servare mandata et timere Deum, hoc est omnis homo.* (Eccl. 12, 13). *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (Matth. 19, 17).

Quinto. Singularem virtutis nostrae eminentiam uno ore clamant theologi, contententes: in obedientia caeteras virtutes inclusas esse.

Profecto, si vere fueris obediens, eris et pauper spiritu et humilis et patiens et mortificatus et immaculatus, atque adeo omnes omnino virtutes assequeris. Hoc non est, dilecti confratres, hyperbolice loqui, sed simplicissimam edicere veritatem. Nam virtutes per frequentem sui ipsarum actuum exercitationem acquiruntur. Talem autem exercitationem nobis suppetit obedientia. Omnia enim praecepta nobis iniuncta, cuncta statuta nobis imposita et omnes leges nobis datae et omnia superiorum iussa ad nos directa, quid sunt aliud quam quoddam virtutum exercitium?

Amice, ab obedientia erga sanctam ecclesiam te duci sinas, et quaecunque eius exercendae tibi sese offerunt occasiones, ex animo amplectere; quia modo in patientia, modo in humilitate, alias in mortificatione, subinde in temperantia, deintus in castitate, deinde in charitate mutua te exercebunt. Quo fiet, ut tantum in omnibus virtutibus profectum facturum sis, quantum in obedientia profecturus es. In hac vero proficis tantum, quantum tibi vim infers.

Haec virtus dum floruerit, florebunt insimul et reliquae. Qua de veritate s. Patres testimonium perhibent, obedientiam appellando virtutum matrem atque custodem. »Obedientia maxima est virtus et, ut ita dixerim, omnium

origo materque virtutum«, docet Doctor gratiae in civitate Dei,¹ cuius ipse fuit civis optimus. »Sola virtus est obedientia, quae virtutes caeteras menti inserit insertasque custodit«, asseverat s. Gregorius Magnus. Egregiam de virtute obedientiae fratribus Societatis Iesu s. Ignatius de Loyola scripsit epistolam, in qua obedientiam solam virtutem praedicat, quam residuae virtutes comitantur. Indubie, obedientia est basis omnium virtutum. Uti peccatum nihil aliud est quam inobedientia, ita virtus nihil nisi obedientia. Pro reliquis relictis audiatur s. Laurentius Iustinianus, rem nostram praeclare commentans: »Obedientia hominem ditat, laetificat ecclesiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam castificat, coelum aperit, vitam felicem homini dat omnesque virtutes gignit atque custodit«.

Ita, illa est sanctorum lac, quo ablactati ad perfectionem venerunt. O frater et fili charissime, si breve aliquod compendium perfectionis et viam salutis certam desideres, amplectere ambabus ulnis obedientiam: haec est via. Ambula in ea et obtinebis omnimodas victorias secundum illud sapientissimi Salomonis: „*Vir obediens loquetur victorias*“. (Prov. 21, 18). Quia dum alienae voci humiliter subderis, temetipsum in corde superas. Obtinebis, dico, finem optatum et exspectatum docente Bibliorum Doctore s. Hieronymo, cuius festum hodie recolimus: „*Obedientia simplici ingressu hominem ducit ad Christum*“.

II.

Excellentiam obedientiae qui profundius contempletur, non potest non cognoscere insimul *necessitatem* celebrandae virtutis. Verissime!

Primo. Obedientia mundus conservatur. Mundus enim existit, eoquod sequitur leges, ipsi a Deo insitas. Ponamus hoc. Astra relinquunt cursum suum, ignis amplius non ardet, aqua non fluit, vis et gravitas, corpora subter

¹ Lib. 14. c. 12.

trahens, cessat — tunc brevi corruat necesse est tota natura. „*Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi*“. (Ps. 118, 91). Prouti in regno naturae, ita et in regno spirituum obedientia absolute est necessaria. Non datur familia sine obsequio, non communitas neque civitas absque obedientia et submissione.

Quemadmodum in qualibet societate rite ordinata requiritur auctoritas, consimiliter necessaria est etiam obedientia. Haec duo sunt correlativa. Huc referenda sunt verba oris aurei s. Ioannis Constantinopolitani: »Magistrum ducemque et rectorem non habere, malum est. Est argumentum multarum calamitatum et principium defectus ordinis et perturbationis ac confusionis. Nam veluti si choro choriphaeum sustuleris, non erit amplius chorus congruus et ordinatus; et si a phalange exercitus amoveris imperatorem, non erit amplius ordinata acies; et si navigio ademeris gubernatorem, navem demerges; ita etiam, si a grege pastorem abstuleris, omnia evertisti.«

Cuncta haec valent mutatis mutandis de amotione obedientiae. Quid est, quaeso, choriphaeus cum cantoribus recalcitrantibus? Quid bellidux cum phalange exercitus repugnantis? Quid navis gubernator cum rebellibus remigibus? Sine obedientia communitas perturbatur, ordo labefactatur et omnia susque deque evertuntur. „*Disciplinam qui abiicit, infelix est*“. (Sap. 3, 11). Ad praecavenda haec infortunia obediendum est Deo et omnibus, qui loco Dei nobis dant praescripta, quique aliquando pro animabus nostris sunt rationem reddituri.

Quae doctrina innumeris fere fulcitur locis antiqui novique Testamenti. „*Et qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo et decreto iudicis, morietur homo ille*“. (Deut. 17, 12). Sat clara dictio. Et mundi magister divinus Salvator monuit Iudaeos: „*Super cathedram sedent scribae et pharisaei. Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, servate et facite*“. (Matth. 23, 2). Et gentium Apostolus exhor-

tatur Romanos: „*Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*“ (Rom. 13, 1. 2).

Nonne, fratres mei dilecti, si ullo umquam tempore necessaria fuit viris ecclesiasticis obedientia, id sane diebus obtingit nostris? Magna enim calamitas, qua modo premitur genus humanum, laesio est legitimae auctoritatis, sine qua fundamentum societatis humanae nullo pacto potest sustineri. Adversarii laborant et summo studio desudant, ut in ecclesia quoque Dei concitent dissidia ac discordias. Inobedientes superioribus extollunt encomiis tamquam viros ingenii et virtutis incomparabilis. Quodsi praesules eiusmodi renitentes officii commonefaciunt ac debitam obedientiam exigunt, qua opus habent, ut rite fungantur munere suo, diffamantur ut immites.

Bone Deus, perquam facile hodie creditur res politicas agentibus, quamque avide consuluntur diaria eorumque placitis assensus praestatur, at superioribus assentiri eorumque benevisa monita recipere, quin omnigenis suspicionibus locus detur, tantae quantae molis est? Subditi, qui a praepositis dissentiunt iisque renituntur eorumque monita flocci faciunt, nescientes, filiorum esse obedire patribus, non autem iis praescribere normas agendi, hodie magni coluntur. Verum eiusmodi reluctantes maxima damna inferunt ecclesiae fomitemque dissensioni subministrant. Errant et errabunt, qui dignitati suae consulere arbitrentur, si a superioribus independentiam appetunt. Magna dignitas est, superioribus obsequi. Proin nos Lavantini omnibus viribus enitamur, ut in ecclesia sancta Dei membra capiti arctissime connexa sint. Conservemus filialem pietatem, reverentiam et obedientiam, qua sanctae Sedi devincti simus, integram et illibatam. Insimul simus imbuti observantia et veneratione, fidelitate

et submissione erga nostrum praeadamatum Imperatorem augustissimum!

Secundo. Manifestum est porro, neminem posse spiritualiter vivere absque obedientia.

Nam summa vitae spiritualis non datur alia, quam quae est divinae voluntatis executio. Prorsus idem est, spiritualiter vivere et divinam voluntatem sequi. Quid prodest, callere omnes artes et scientias, si deficit obedientia? Non sufficit nosse, quid nobis incumbat, sed id opere exequi oportet. „*Non auditores legis iusti fiunt apud Deum, sed factores leges iustificabuntur*“. (Rom. 2, 13). „*Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum . . . sed in lege Domini voluntas eius, et in lege eius meditabitur die ac nocte*.“ (Ps. 1, 1. 2).

Habere autem voluntatem *et meditationem* in lege Domini, quid significet, explicat splendidissimus genius africanae et universae ecclesiae s. Augustinus super Psalmum primum: „*Voluntas in lege non solum in studio, sed potius in facto est*.“ Habet igitur voluntatem et meditationem in lege Domini die ac nocte, qui divini mandati memor vult legem, ut illam adimpleat.

Tertio. Obedientia summopere necessaria et quasi propria et essentialis est ordinis sacerdotalis, qui status est perfectionis exercendae.

Obedientiae virtute ligamur nos omnes, qui ex milibus hominum electi sumus in sortem Domini, ut evadamus ministri Dei perfecti et boni animarum pastores, qui apostolico fervore et fortitudine promovemus salutem millium atque millium animarum. Hinc quo maior eorum, qui ad maiora vocati sunt, debeat esse perfectio, eo et maior et amplior oportet sit obedientia. Qui ad sublimiora eliguntur, eo solidius et firmitus in virtute fundatos esse oportet, ut hostium impetus et luporum in gregem fidelem ingredientium ausus queant sustinere.

Cordi nostro infigamus istud: Qui praeesse debet, subesse discat; nescit enim regere, qui non didicit obe-

dire. Nunquam obliviscamur moniti s. Bernardi: „*Ut secure praeesse possint sacerdotes, subesse et ipsi, cui debent, non dedignentur.*“ Nolite itaque, fratres et filii mei dilecti, nimis in proprio arbitrio confidere, sed audite etiam aliorum iudicia, quod est obedientiae. Aemulamini charismata meliora et sequamini vestigia eius, qui gaudio sibi proposuit, obediens esse Patri suo coelesti. „*In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus.*“ (Ps. 39, 9). Voluntas vero Dei Patris fuit: Filii sui mors ad peccata hominum expianda, de qua Filius ipse dicebat: „*Descendi de coelo, ut faciam voluntatem non meam sed voluntatem eius, qui misit me, Patris.*“ (Ioan. 6, 38). Et in monte Oliveti ter orabat ad Patrem: „*Non mea voluntas sed tua fiat.*“ (Luc. 22, 42). Et apostolos suos docuit orare: „*Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.*“ (Matth. 6, 10).

Sed si te, o Salvator generis humani, quaeramus, per quam scalam de coelo descendisti, indubitanter nobis repones: per scalam obedientiae. Per obedientiam in mundum venit Redemptor noster et per illam e mundo discessit. »Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Et ego ad te venio.« (Ioan. 17, 1. 4).

Haec itaque scala aurea est, per quam et nos ad coelum ascendamus oportet. Quod ut tutius fieri possit, quosdam gradus illa habere debet.

III.

Excipite, in Christo charissimi, etiam hoc postremum de obedientiae gradibus punctum tractans corde benevolo et patiente. Patienter patiando palmam vobis parabit et animas vestras possidebitis.

Viri, in arte ascetica probatissimi, perplures obedientiae gradus dispescunt. Et quidem:

Infimus gradus est, opere tantum praeceptum adimplere sine voluntatis submissione. Huiusmodi autem obedientiam mere externam verae virtutis nomen minime mereri, adnotant theologi moralistae. Ego crederem, resistere in corde, exterius vero implere, quod iubetur, non esse virtutem obedientiae sed velamentum malitiae.

Altior gradus est, obedire *libenter*. Id quod est, non operis solum executione sed voluntatis simul submissione obtemperare, sicque idem velle, idem nolle cum praecipiente. Sola voluntas est, quae operationem reddit virtuosam et meritoriam. Propterea ex voluntate suscipienda sunt ecclesiae imperia et voluntariis reflexionibus sunt proponenda, donec propria voluntas quasi mactata diligat mandatum superioris imperantis. Quo facto incipit vera virtus obedientiae.

O quam multi et fors a multis abhinc annis in societate sub superioribus degentes — ecclesia est societas perfectissima — nondum gradum hunc obedientiae ascendunt, quippe qui non libenter sed coacte et fastidiose obediunt. Tales nolunt esse discipuli magistri obedientiae, Salvatoris divini, qui dicere solebat: *voluntarie sacrificabo tibi* (Ps. 53, 8); tales recusant attendere ad effatum Paulinum: *Obediendum est ex animo, cum bona voluntate, serviendum sicut Domino et non hominibus*. (Ephes. 6, 6. 7).

Perfectior tertius gradus est, obtemperare *simpliciter*, id est, obedire cum proprii iudicii oblatione, sicque sine discussione idem sentire, quod sentit ecclesia, quod sentit superior. Quia iuxta priscos: longum est iter per praecepta, breve et efficax per exempla, collustretur tertia obedientiae proprietas exemplo magni illius patriarchae, qui fidei lumen, obedientiae forma et iustitiae princeps praedicatur.

Abraham audit ab Omnipotente: „*Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui et veni in terram, quam monstrabo tibi.*“ (Gen. 12, 1). Et ad

unius iussionis vocem dulci solo natali valedixit atque aliorum fines ingressus est, nesciens, quo iret. Porro iussus circumcidere se et suos, eadem die se et Ismaelem filium et famulos omnes circumcidit. Ulterius, cum in provecta aetate accepisset filium, in quo totius mundi benedictio erat cumulanda, praecipit ei Iehova: „*Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et offer mihi illum in holocaustum.*“ (Gen. 22, 2). O tanta quanta inest huic edicto amaritudo! Iubetur filium occidere, os de ossibus suis, carnem de carne sua, filium magnae promissionis, extremae senectutis, propriae uxoris. Et hanc acerbissimam iussionem extemplo exequi paratus est, non quare quaerens, non reluctans, non lamentans, non murmurans. Sed eadem nocte, nemini re communicata, excitat filium eiusque humeris ligna imponit, accipit ignem et festinat in mortem filii. O plane admirandam obedientiam simplicem, sincerissimam!

Incede et tu, bone amice, simpliciter in mandatis obedientiae, quae tibi dilecta mater ecclesia per sua organa proponit. Nec te moveat imperitus fors magister nec indiscreta potestas. Reminiscere, quia non est potestas nisi a Deo. Simpliciter obediens in tali cogitat casu: Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi fuisset datum. Qui perfecte didicerit obedire, ille nescit in praesidium intensionem inquirere, eorum decreta ad iudicii sui trutinam revocare et malevole examinare, sed in id unum tendit, ut, quod sibi praecipitur, operetur. Huiusmodo homo novit monitum divi Pauli, Ephesiis datum: „*Servi, obedite dominis . . . in simplicitate cordis vestri sicut Christo.*“ (Ephes. 6, 5).

Congruè ad rem nostram observat s. Basilius, magnum Cappadociae luminare: »Quemadmodum pastori suo oves obtemperant et viam, quamcunque ille vult, ingrediuntur, sic, qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt a peccato.«

Hicce loci digredi et brevissime excurrere liceat mihi in obedientiam, quam caecam passim appellant moralistae. Quid dicendum de ea? Consistit in eo, quod subditus mandata superioris sui, *in quo Deum ipsum sibi exhibet*, prompte exequatur sine ulla sive intrinseca sive extrinseca discussione, totum se quasi quoad intellectum et quoad voluntatem subiiciens, ideo caecam vocant, parum convenienter. Exemplum habes in Abraham patriarcha et in sancto Ioseph, sponso virgineae matris Mariae, qui ad vocem angeli consurgens accepit puerum et matrem eius et secessit in Aegyptum. Generatim s. Ioseph erat vir iustus, qui sciebat silere et operari. Ne unum quidem verbum, quod locutus fuerit, referunt nobis sancta Evangelia, sicuti eius prototypus Ioseph aegyptius, qui divina providentia ita disponente nullum nuntium misit ex Aegypto patri et fratribus de sua exaltatione.

Unde si quem delicatulum hoc nomen »obedientia caeca« offendat, ipse poterit nomen mutare, non tamen rem illo nomine significatam. Incorrecte dicta caeca obedientia est alias recte *simplex* vocata. Nonne et milites simplici obedientiae adstringuntur? Et tamen nemo cordatus hoc obsequium irrationabile obiurgat. De simplici obedientia erga sanctam ecclesiam valet omnino verbum Paulinum: „*Rationabile obsequium vestrum*“ (Rom. 12, 1), quia taliter obediens divinitus institutae ecclesiae, matri s. Pauli et omnium ei similium (Gal. 4, 26) — **Deo** praestat obsequium. Exinde quid mirum, si eadem obedientia in deliciis fuerit sanctis ordinum religiosorum fundatoribus, qui ipsam suis in constitutionibus ab ecclesia sollemniter approbatis magnopere commendarunt! »Ausculta, o fili, praecepta magistri«, ita incipit sanctissimi ac Deo acceptissimi Patris Benedicti abbatis in suam auream regulam prologus, »et inclina aurem cordis tui, et admonitionem pii Patris libenter excipe et efficaciter comple, ut ad eum per obedientiae laborem redeas, a quo per inobedientiae desidiā recesseras. Ad te ergo

nunc meus sermo dirigitur, quisquis abrenuntians *propriis voluntatibus* Domino Christo vero Regi militaturus, obedientiae fortissima atque praeclara arma assumis.«¹ Et in capite quarto admirabilis regulae, numero undesexagesimo, inter instrumenta bonorum operum reperitur instrumentum: *Voluntatem propriam odire*; et numero sexagesimo: Praeceptis abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat, memor illius dominici praecepti: Quod dicunt, facite; quae autem faciunt, facere nolite.²

Ille Sanctus a Loyola ipse habuit et socios suos habere voluit simplicem vel incogruè sic nominatam caecam obedientiam, quam frequentius in laudata sua epistola »de virtute obedientiae« memorat et magni aestimat. S. Ignatius adeo sanctae Sedi devinctus erat obedientia, ut dixerit: »Si summus Pontifex mihi praeceperet, ut mare traicerem, et si navem paratam non invenirem, mare ingrederer.« Simplici obedientiae inaedificavit magnus vir suam celebrem societatem. Scribit enim: »Ab aliis religiosis ordinibus facilius patiamur, superari nos ieiuniis, vigiliis et caetera victus cultusque asperitate, quam suo quique ritu ac disciplina sancte suscipiunt --- vera quidem ac perfecta obedientia abdicationeque voluntatis atque iudicii maxime velim, fratres charissimi, esse conspicuos . . . eiusdemque societatis veram germanamque sobolem hac quasi nota distingui, qui numquam intueantur personam ipsam, cui obediunt, sed in ea Christum Dominum, cuius causa obediunt. Siquidem superiori, nec si prudentia, bonitate caeterisque quibuslibet divinis donis ornatus instructusque sit, propterea obtemperandum, sed ob id solum, quod vices gerat Dei eiusdemque auctoritate fungatur, qui dicit: „Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit“; nec contra sive consilio aut

¹ Regula s. Patris Benedicti secundum editionem congregationis Casinensis denuo typis mandata. Einsidiae, 1877. pag. 3.

² Edit. cit. pag. 25.

prudencia minus valeat, quidquam idcirco de obedientia remittendum, quatenus ille superior est, quando illius personam refert, cuius sapientia falli non potest; supplebitque ipse, quidquid ministro defuerit, sive probitate aliisque ornamentis careat. Siquidem disertis verbis Christus Dominus cum dixisset: „Super cathedram Moysi sederunt scribae et pharisaei“, protinus addidit: »Omnia ergo, quaecunque dixerint vobis, servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere.«¹

Quae cum ita sint, non improbanda imo laudibus ac praeconiis efferenda est obedientia, simpliciter praestanda sanctae matri ecclesiae. Utinam fieret communior et universalis, sed quia deficit amor, ideo et obedientia deficit, ingemuit celebrer moralista Petrus Scavini. *Obedientia simplex!* „Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est . . . Qui potest capere, capiat“. (Matth. 19, 11. 12).

Nobilior quartus gradus est, *obedire hilariter*, idest, mox, impigre, naviter et expedite, alacriter sine querela, prompte sine dilatione.

Serenitas in vultu et dulcedo in sermonibus, scribit Doctor mellifluus, multum colorant obedientiam obsequentis. Quis locus obedientiae, ubi tristitiae cernitur aegritudo? Indicant plerumque voluntatem animi signa exteriora et difficile est, ut vultum non mutant, qui mutant voluntatem.² Si progredi velis in virtute obedientiae, cum magna vultus alacritate suscipe iubentis imperium. In ecclesia tales subditi, quales queruli et sursurrantes et cum morositate et obnubila facie et cum tergiversatione solent obedire, aequiparandi sunt membris corporis infirmis, quae necessario deberent moveri et tamen sine magno dolore moveri vix valent.

Obediamus itaque, fratres in Christo charissimi, praepositis nostris et subiaceamus eis. Ipsi enim pervigilant,

¹ Thesaurus spiritualis Societatis Iesu. Roehampton, 1874. Pag. 687 sq.

² Sermo de obedientia.

quasi rationem pro animabus nostris reddituri, ut hoc faciant *cum gaudio et non gementes*. *Hoc enim non expedit nobis*. (Hebr. 13, 17). Ex quibus verbis apostolicis recte colligitur, magno gaudio esse superioribus obedientiam subditorum hilarem. Sed cur ita? Numquid ea de causa, quod videant, sibi subditos subiici et parere? O quam inepte! Superiores non quaerunt vanam gloriam et honorem puerilem. Ratio talis gaudii est, quia vident, subditos per obedientiam proficere. »Quando laborat«, quaerit s. Augustinus, »cum gaudio operarius in agro?« Et respondet: »Quando attendit arborem et fructum videt; quando attendit segetem et ex fructu areae prospicit ubertatem; et quod non sine fructu laboravit, non sine causa dorsum curvavit, manus attrivit, frigus et aestum toleravit.«

Idem igitur est, quod ait apostolus nationum, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes; non enim expedit vobis. Planè mira verborum constructio! Numquid dicit: non expedit illis, id est, superioribus? Minime, sed: non expedit vobis, id est, subditis. Nam praepositis, quando contristantur de malis subditorum, expedit illis, ipsa tristitia prodest illis, sed non expedit subditis.

Praestantior quintus gradus est, praecepta adimplere *viriliter*.

Manum misimus ad magna et fortia. Agendum igitur est magnanimiter, obediendum est fortiter, neque inter verborum asperitatem regalis illa semita obedientiae est relinquenda. Quid sit viriliter obsequi, explanat s. Bernardus Claravallensis: »Si tribulatio intonat«, inquit, »si persecutio resultat, si hostes tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter praepediunt, tu obedientiae viam non deseras, sed dicas cum psalmista: Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua«. Ergo *viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino*. (Ps. 30, 31).

Quandocunque aliquid arduum nobis esse videtur, aspiciamus Salvatorem mundi in cruce pendentem, qui

obediens factus est usque ad mortem turpissimam insimul et dolorosissimam, quique sacris litteris nobis porrigit Ieremiae prophetae (48, 10) textum: »*Maledictus, qui facit opus fraudulenter*», seu negligenter, uti interpretantur Patres Tridentini.

Eminentior sextus gradus est, obedire *humiliter*.

Ubi arescit humilitas, et vera obedientia florescere nequit. Sic iam Samuel ad Saul locutus est: »*Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? Et unxit te Deus in regem Israel et misit te Dominus in viam et ait: Vade et interfice peccatores Amalec et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum. Quare ergo non audisti vocem Domini, sed versus ad praedam es et fecisti malum in oculis Domini?*«. (I. Regg. 15, 17 sqq). Humilem obedientiam quam maxime refulgere in Iesu Deohomine, attestatur beatus Paulus in epistola ad Philippenses: »*Semetipsum exinavit . . . humiliavit . . . factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*« (Philipp. 2, 7. 8).

Obediamus igitur humiliter, ne deficiente humilitate pereat obedientiae virtutis vis omnis ac dignitas et merces.

Altissimus demum gradus est, obedire *integre et perseveranter*. Perseveranter sine taedio, id est, continuo, indesinenter, non tantum una hebdomada, unico mense, ab initio muneris suscepti, sed a principio usque ad finem. Non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. (Matth. 10, 22).

Integre, siquidem nulla obedientia parvi pendenda. Qui offenderit in uno, factus est omnium reus. Moyses, vir, qualis nullibi in antiquitate reperitur, dux et legislator populi foederalis, ob unam inobedientiam apud Aquas Contradictionis, quia non confestim obsecundavit Deo, ut percuteret petram, sed prius populum obiurgavit, ab ingressu terrae sanctae exclusus est. Et rex Saul? Nonne de praeda facta delevit multa et meliora reservavit non sibi, sed ut immolaret Deo, et tamen locutus est Dominus

per Samuelem ad eum ista verba nostra introductoria, addens: »*Pro eo, quod abiecasti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex*«. (I. Regg. 15, 23). Plurimum reprehensus et misere abiectus est a Domino rex infelix, eoquod quaedam spolia ex caede Amalec contra Dei praeceptum reservavit, licet id fecisset ob honestum finem, nempe ut ex iis spoliis Deo in signum gratitudinis sacrificaret atque hostias offerret. — Et princeps apostolorum beatus Petrus, parum inobediens Christo Domino, lavari pedes suos ab Eo recusans et id ex magna reverentia, audivit statim: »*Si non laveris te, non habebis partem mecum*«. (Ioan. 13, 8).

En, quam graviter errent quantamque culpam admittant, qui quoad res leviores obedientiam infringere audent! Peccatum non tam in ipsa re quam potius in inobedientia consistit, quae etiam in transgressione rei minutissimae invenitur. Quum ergo tanti sit valoris obedientia, ut eius laesio etiam in minimis excludere possit a regno coelorum, quis nostrum adeo gravem virtutem non toto cordis affectu diligeret? A primo itaque gradu incipiendo et altius ascendendo necessarium est, ut in ipsa praecepti executione quam diligentissimi et exactissimi simus. Sit igitur obedientia nostra voluntaria et simplex, hilaris et fortis, humilis, integra et constans. Curramus, ut certo comprehendamus destinatum bravium vitae aeternae.

Caveamus, filioli mei, ne simus ex numero illorum, de quibus conqueritur s. Bernardus, obedientiae praeco, hisce verbis: »Multos quidem videmus post praecipientis imperium multas facere quaestiones. Cur, quare, quis hoc consilium adinvenerit? Quamobrem hoc praecipitur? Unde hoc venit? Ob quem finem hoc iubetur? Inde murmuratio, inde verba indignationem sonantia, redolentia amaritudinem, inde frequens excusatio et simulatio impossibilitatis. Vere obediens non attendit, cur praecipitur, sufficit ei, quod praecipitur. Scientis obedire parum interest, Petrus ne eius superior sit an Ioannes, cuiusne sit naturae. Evidens imperfectionis tessera est, ab huiusmodi

rebus dependere, timere mandantem et ob timorem obedire?« Et s. Chrysostomus ad illud Pauli (Rom. 13, 3. 4): »Vis non timere potestatem, bonum fac et habebis laudem ex illa, si autem malum feceris, time,« addit: »Timorem non fecit princeps, sed subditorum malitia.«

In reliquum, dilecti confratres, si natura societatis cuiusdam sana est, nonne per se intelligitur, eam sponte sua tendere ad cuncta, quae in praecedentibus de obedientia in nostram memoriam revocare adnissus sum? Et talis ordinata societas, Deo sint laudes sempiternae, est nostra dioecesis Lavantina. De exceptionibus non loquor, sunt enim exceptiones et quidem rarissimae. In audientia, habita die 24. mensis Aprilis anni 1891, quaesivit ex me inopinate sanctissimus in Christo Pater Leo XIII.: *Habes ne sacerdotes rebelles?* Attonitus fui de tali quaestione, potui tamen summo Pontifici gaudens respondere: *Deo gratias, tales sacerdotes ego non habeo.* Ad quod beatissimus Papa reposuit: *Gratulor tibi!*

*
* *

Sed tempus iam urget, ut finem perorationis meae sat prolixae accelerem. Permittatis adhuc pauca tantum verba.

Deus avertat, ut in futuro inter sacerdotes Lavantinos existerent, qui perfectioris vitae studium carperent in aliis, quippe qui non modo bonum ipsi facere nollent, sed et ab eo reliquos confratres distraherent, dicendo: Quid facitis? Ad quid tot reformationes, tot constitutiones? Ad quid admonitiones ad hoc illudve observandum? Vae, vae huiusmodi fratribus! Falsi fratres sunt, a quibus sedulo cavendum, alioquin eorum sermones et exempla optimi quoque confratris mores corrumpent aut saltem eum seducunt ad vitam otiosam et tepidam, quam comitatur summum salutis terrenae aeternaeque periculum. Ad rem loquitur s. Clemens Papa I: »Quicumque obediunt episcopis suis, videntur quidem aliquid gratiae conferre

Deo; qui autem eis non obediunt, indubitanter rei et reprobi existunt». ¹

Hinc si quis vestrum deprehenderetur in observandis statutis dioecesanis parum sollicitus bonae famae dioeceseos aut nostrae omnium reputationi uti impedimentum aut, ad quod tamen alludere reveor, uti farina, quae brevi tempore totam massam corrumpere posset, tunc strictissimi officii esset, adhibendi severiorem disciplinae modum. »Sapientissimi medici«, ait s. Chrysostomus, »ubi vident, ulcus egere ferro, admovent quidem sectionem, sed hoc non faciunt sine affectu et commiseratione; verum et moerent et gaudent non minus quam ipsi, qui secantur. Moerent ob dolorem, quem secando inferunt; gaudent autem ob sanitatem, quae hoc modo comparatur».


Idem et Paulus fecit, sapiens ille animarum medicus. Corinthios enim acriori obiurgatione, cum opus haberent, increpans laetatus simul et tristatus est. Contristabatur, quod dolorem intulit; laetabatur, quod profuit.

Vae superioribus nimis indulgentibus! Superiores, qui hinc inde severiorem aliquando disciplinam urgere detrectaverint, apud Deum procul dubio fierent culpabiles, imo hac iam vita graviter a Deo punirentur, sicuti punitus est Heli sacerdos, quippe qui, licet monuisset filios immorigeros, tamen non castigavit eos acrius, uti oportebat. Inde Deus contra Heli et familiam eius hoc sancivit decretum: »*Dixit Dominus ad Samuelem: Suscitabo in die illa adversus Heli omnia, quae locutus sum super domum eius, incipiam et complebo. Praedixi enim ei, quod iudicaturus sum domum eius in aeternum propter iniquitatem, eoquod noverat, indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. Idcirco iuravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis et muneribus usque in aeternum*«. (I. Regg. 3, 12-14). Decretum horribile, cuius executio infaustissima a nemine Vestrum ignoratur.

¹ Epist. coll. conciliorum oecumen. Tom. I. pag. 120.

Curemus igitur, ut severior disciplina non sit adhibenda, ut fugiamus terribilia iudicia Dei. Servemus ordinem, et ordo servabit nos, docente Ecclesiastico: »*Si volueris mandata servare, conservabunt te*«. (Eccli. 15, 14). Qui ordini vivit, Deo vivit. Resideat inter nos dulcis illa et iucunda relatio, quae interesse solet amicos inter et amicos, patrem inter et filios, pastorem inter et oviculas. In praesenti sacra Synodo traduntur Vobis statuta, quae sunt quaedam lineamenta vestrae sacerdotalis conversationis. Excipite illa ea charitate, qua vobis porriguntur. Alta mente omnia, nunc audita et posthac crebrius lecta, tenete, ut omnes ac singulas ordinationes sciatis observare. Spiritui illorum studeatis, genium imbibatis, et quae sibi velint, statim intelligetis.

Ut vero, unde exorsus est, ibidem terminetur sermo meus, Vos per Christum Dominum nostrum, qui sese nobis non modo praeceptorem sed etiam exemplar prae-buit obedientiae, coniuro et obtestor, ut ad eam virtutem toto pectore incumbatis, et gloriosae victoriae avidi Vosmetipsos superare studeatis, quo beatitudo aeviterna obtineatur. »*De cetero fratres,*« ut cum verbis Paulinis finem faciam sermonis synodalis, »*quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque iusta, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate.* (Philipp. 4. 8). *Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia Dei.* (Gal. 6, 16). *Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu*«. (Philipp. 4, 7). Amen et ita fiat, fiat!



Cum sermonem suum hora nona et dimidia finiisset, actionem synodalem aperuit Celsissimus Episcopus prae-cipiens, ut Lector Synodi decreta a) de Testibus syno-dalibus, b) de Iudicibus in partibus atque c) de Consiliariis

Iudicii ecclesiastici ac pro rebus matrimonialibus legeret. Lector igitur huic praecepto obsecutus praelegit decretum de Testibus synodalibus, quos Celsissimus ex more Decanos dioecesis constituit, et cum quae eorum officia essent, ipse exposuisset, decretum de invitatione eorundem ad iusiurandum per sacras reliquias, de ara maiori ecclesiae cathedralis ad hoc asportatas, praestandum legi imperavit.

Quod cum omnes praesentes¹ in manus Ordinarii praestitissent, decretum de Iudicibus in partibus lectum est. Instructione de eorum officiis data, quos nominavit, Celsissimus ad iusiurandum per sancta Evangelia modo invitari iussit. Hi vero sunt creati:

Iudices in partibus.

P. T. Rev. Dom. Laurentius Herg, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Ioannes Križanič, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Carolus Hribovšek, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Josephus Pajek, ut supra.

P. T. Rev. Dom. Ioannes Mlakar, ut supra.

Qui omnes iuramentum praescriptum praestiterunt praeter Dom. Ioannem Križanič absentem, qui posthac die 3. Novembris idem fecit.

Exinde decretum de dioecesano Iudicio ecclesiastico pro rebus cleri et etiam matrimonialibus iussu et expositione Celsissimi lectum est atque omnes, quos Idem consiliarios nominavit, ad iusiurandum praestandum invitati sunt. Iam hi sunt:

Consiliarii Iudicii ecclesiastici dioecesani.

Praeses:

P. T. Rev. Dom. Ignatius Orožen, Praepositus Capituli ecclesiae cathedralis, Protonotarius apostolicus ad instar participantium, Consiliarius consistorialis, Director Cancellariae princ.-episc. Ordinariatus.

¹ Absentes serius et quidem die 3. mensis Novembris anni decurrentis in Sacello episcopali aequale iuramentum in manus Praesulis emiserunt.

Consiliarii:

- P. T. Rev. Dom. Laurentius Herg, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Ioannes Križanič, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Iacobus Philippus Bohinc, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Carolus Hribovšek, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Iosephus Pajek, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Ioannes Mlakar, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Franciscus Ogradi, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Iosephus Hrzič, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Martinus Strajnsak, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Thomas Rožanc, ut supra.
 P. T. Rev. Dom. Iacobus Meško, ut supra.
 Adm. Rev. Dom. Iosephus Tombah, ut supra.
 Adm. Rev. Dom. Franciscus Dovnik, ut supra.
 Adm. Rev. Dom. Bartholomaeus Voh, ut supra.

Quorum iuramento suscepto Reverendissimus Dominus constitutiones synodales et quidem 1) de quaestione sociali expedienda atque 2) de studio sacrae scientiae colendo ad instantiam Promotoris praelegi imperavit.

Quae cum perlectae essent, Promotor pro indicenda tertia Sessione publica institit, et iussu Celsissimi decretum de tertia ac ultima Sessione publica, feria VI. die 2. Octobris in festo s. Mariae de Cervellione hora septima matutina habenda, praelectum est atque benedictione Reverendissimi Episcopi accepta sub silentio, gratias agentes, Synodales discesserunt.

Marburgi, pridie Kal. Octobris 1896.

Dr. Ioannes Mlakar,


Notarius Synodi.

Dr. Antonius Suhač,

Testis.

Antonius Lacko.

Testis.



Tertia et quarta Congregatio generalis.

I.

Die 30. Septembris; hora tertia post meridiem, Congregatio generalis tertia Synodi habita est, ad quam Celsissimus Princeps-Episcopus in valvis ecclesiae s. Aloysii modo praescripto a Synodalibus exceptus, Vesperas cum Completorio una cum Congressoribus persolvit et precibus, in Pontificali Romano praeceptis, fuis Directori exercitiorum spiritualium, ut secundam meditationem haberet, benedixit. Hic e sacro ambone gravem de sacerdotis peccati gravitate sermonem multa cum facundia et, in Deo speramus, magno etiam effectu per unam horam produxit. Grave scilicet esse sacerdotis peccatum, ait, ratione sui, non minus vero etiam ratione speciei, cum esset scandalum vix unquam reparabile et sacrilegium dirissimae notae.

Meditatione finita Celsissimus Antistes annuntiavit, se litteras encyclicas „*Fidentem piumque animum*“ de die 20. Septembris 1896 Leonis PP. XIII. modo excepisse, quae de sacratissimo Rosario beatae Mariae Virginis agerent, quare Synoditae, voto Suae Sanctitatis obsequentes, die prima Octobris intra Missam synodalem sacrum Rosarium recitaturi essent.

Deinde constitutionem synodalem 1) de arte ecclesiastica colenda praelegi imperavit, qua finita adhuc 2) constitutio de cantu ecclesiastico et musica sacra Synoditis patefacta est.

Interim nuntius venerat, sacerdotem Ignatium Hauptmann, in quo optima spes iucundissimae operationis in vinea Domini praesumi potuit, graviter decumbentem, parochum quemdam, in Synodo praesentem, rogare ad sa-

cramenta moribundorum sibi conferenda. Antistes, paterno suo corde contristatus, eidem licentiam abeundi concessit atque Synodales rogavit, ut pro infirmo fratre orarent.

Tum Procurator cleri, a Reverendissimo Praesule invitatus, quinque preces ad Eundem patefecit, quarum duabus Reverendissimus Dominus, de Rosario scilicet una cum Litaniis b. Mariae Virginis inter Missam synodalem, in die sequente celebrandam, a Synoditis recitando, et de tempore pro exercitiis spiritualibus cleri dioecesani, quovis anno subeundis, non ante diem 15. Septembris praefigendo, quantum fieri potuisset, simpliciter annuit, ad reliquas vero se die sequente, in Congregatione generali quarta, suam sententiam esse dicturum pollicitus est.

Quod cum Synodales gratis animis acceperissent, preces, post actionem synodalem dicendae, persolutae sunt et finis Congregationis generalis factus est.

Marburgi, pridie Kal. Octobris 1896.



II.



ane diei 1. Octobris hora septima, in festo s. Remigii Confessoris Pontificis, Congregatio generalis quarta celebrata est. Celsissimus Dominus in portis ecclesiae s. Aloysii a Synodi sodalibus exceptus, cum ad altare maius sedem sibi praeparatam occupavisset, ad Tertiam recitandam Antiphonam dixit et cum Synodi clero eam absolvit. Quo facto Missae sacrificium Dom. Laurentius Herg, Decanus Capituli cathedralis, assistente Reverendissimo Episcopo in Pluviali albi coloris, celebravit. Inter illud Celsissimus cum Synodalibus sacratissimum Rosarium et Litanias b. Virginis Mariae, secundum formulare in »Collectione rituum dioecesis Lavantinae« (pag. 464

sqq.) praescriptum, recitavit atque sacrificio finito, paramenta sacra indutus cum sua assistentia Synodi clero benedictionem cum Sanctissimo in ostensorio impertivit. Mox paramentis rubei coloris acceptis, preces ante synodalem actionem una cum clero absolvit et Rev. Dom. Directori exercitiorum spiritualium ad tertiam meditationem proferendam benedixit.

Hic sacrum suggestum ascendit et miti sed gravi voce sermonem per unam horam de peccati sacerdotis poena atque eius reparationis suavitate habuit. Poena enim delicto adaequatur atque summum cum sacerdotis sit peccati delictum, summa etiam sacerdotis inpoenitentis poena in inferno sit necesse est. Quanta ex hoc causa est, dum adhuc poenitentiae tempus et locus est, poenitentiae non simulatione, sed veritate agenda!

Sermone finito Celsissimus Praesul actionem synodalem fieri iussit constitutionibus praelegendis. Hae iam praelegebantur: 1) De cultu sanctissimi Eucharistiae sacramenti. 2) De agendi ratione circa ephemerides. 3) De Libris chronicis parochiarum. 4) De Museo dioecesano instituendo. 5) De Anniversario depositionis episcopi proxime defuncti celebrando. 6) De testamentis clericorum et de eorundem ab intestato defunctorum haereditatibus. 7) De collationibus sive de conferentiis pastoralibus et de elaborationibus theologicis.

Prima constitutione enunciata Reverendissimus Antistes occasionem habuit, ut rogationi Synodali, pridie in tertia Congregatione generali propositae, pro modo sufficeret: ut scilicet Romae licentia expeteretur, qua sacerdotes, cum sanctissimum Eucharistiae sacramentum populo extra Sacrum dispensarent, ex antiquo more lingua vernacula uti possent, licet id «Collectionis rituum dioecesis Lavantinae» rubricis prohiberetur, Celsissimus Ordinarius iam respondit: Eiusmodi petitionem, ait, cum approbatio illius »Collectionis rituum« peteretur, Romae exhibitam atque veteris etiam consuetudinis, quae ad hoc

usque tempus in dioecesi Lavantina vigeret, mentionem factam esse, nihilo minus vero sacram rituum Congregationem respondisse: »Non expedire.« Caeterum Rituale quoque archidioecesis Vindobonensis, ab eadem sacram rituum Congregatione anno 1888 approbatum, latinam tantum formam dispensandae sanctissimae Eucharistiae exhibere, Reverendissimus Pontifex conclusit.

Huic dissolutioni deinde adiecit Idem Celsissimus Episcopus responsum suum ad aliam rogationem cleri, in eadem Congregatione Ei per Procuratorem exhibitam, videlicet de applicatione Missae, in festo s. Michaelis archangeli parochis pro populo facienda, sed cum in Synodo congregati, Sacrum non fecissent, necessario omissa. Se quidem, ait, non posse auctoritate propria parochos dispensare ab applicatione sacrificii necessario pro populo in festo s. Michaelis archangeli facienda, praesumpta tamen licentia apostolicae Sedis huic cleri synodalis rogationi sufficere velle. Ad illam tamen, ut scilicet facultatem parochis concederet stipendiorum pro Missa in diebus festis chori, non fori ad alios sacerdotes transmittendorum, negative respondit.

Quae cum Reverendissimus Praesul Synoditis ex voto expediisset ac constitutiones illae, non minus graves quam practicae, cum ad finem usque perlectae essent, preces post actionem synodalem dicendae ab Ordinario una cum clero persolutae et Synodales ad confessionem sacramentalem faciendam paterne dimissi sunt.

Marburgi, die Kal. Octobris 1896.

Dr. Ioannes Mlakar,


Notarius Synodi.

Dr. Antonius Suhač,

Testis.

Antonius Lacko,

Testis.



Quinta et ultima Congregatio generalis.



ora quarta postmeridiana, die prima Octobris, Congregatio generalis quinta et simul ultima, Episcopo ut ordo praescribit excepto, precibus ante actionem synodalem incepit, deinde vero Reverendissimus Ordinarius ad materiam synodalem continuandam constitutiones praeparatas legi praecepit. Igitur lecta est constitutio 1) de sollemnitate Anniversarii creationis ac coronationis summi Pontificis obeunda.

Hac perlecta Celsissimus Princeps telegramma per Secretarium Synodi Sanctissimo Patri Leoni PP. XIII. mittendum praelegi imperavit et cum Synodales unanimiter acclamavissent, telegramma hisce verbis ad Suam Sanctitatem missum est.

Summo Pontifici Leoni XIII.

Romae. Vaticano.

Episcopus Lavantinus cum centum septuaginta sacerdotibus in Synodo dioecesana cras finienda congregatus, ut Sanctitatis Vestrae constitutiones in praxim traducat, manifestat affectus illimitatissimae venerationis et inconcussae obedientiae erga cathedram infallibilem, erga Patrem et Doctorem omnium, erga visibilem hisce in terris Vicarium Iesu Christi, pro cuius incolumitate crastinam generalem communionem oblaturus est, humillime ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus implorat benedictionem apostolicam.

† Michael,

Episcopus.

Altera iam die responsum Celsissimo Domino renunciatum est, quod sonat:

Illustrissimo Michaeli Napotnik, Episcopo
Lavantino,

Roma.

Marburg, Austria.

De filiali officio Tuo, nomine sacerdotum Tuae dioecesis oblato, gratias agit Summus Pontifex, atque petitam apostolicam benedictionem amantissime impertitur, uberes adprecans fructus Synodi feliciter expletae.

M. Cardinalis **Rampolla.**

Pro clementissima responsione humillimae actae sunt gratiae sequente relatione:

Beatissime Pater!

Humiliter subsignatus Episcopus Lavantinus nimio affectus gaudio de apostolica benedictione, quam Sanctitas Vestra ex meis precibus primae meae Synodo dioecesanae, nuper feliciter expletae, clementissime impertiri dignata est, simulque obsecundans gestientis cleri mei votis, humillimas atque ferventissimas Sanctitati Vestrae ago gratias, sperans, optimos fore huius Synodi fructus, utpote in qua viginti quinque statutis ea, quae a Sanctitate Vestra in sapientissimis constitutionibus atque encyclicis nobis mandata sunt, indigentiarum loci respectu habito in praxim deducuntur et quidem cuncto applaudente clero.

Pro qua gratia maximas rependens grates, qua par est reverentia et obedientia, et ego ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus benedictionem apostolicam enixe exoro.

Sanctitatis Vestrae

humillimus ac devotissimus servus

† **Michael,**

Episcopus.

Marburgi, die 3. mensis Octobris 1896.

Exinde Reverendissimus Pater de calamitatibus, quibus dioecesis Lavantina anno currente pressa est, speciale *votum synodale* tum cleri cum populi fidelis in perpetuum duraturum proposuit, quo divina misericordia moveretur, ut miserae plebi christianae parceret, et annuente Synodo decrevit, ut in Dominica V. post Pascha coram Sanctissimo in hunc finem Rosarium mariale, Litaniae omnium Sanctorum atque Oratio ad repellendas tempestates quovis anno in ecclesiis parochialibus recitarentur.

Constitutio deinde 2) de precibus pro Imperatore ac Rege praelecta est et simul ad caes. et reg. apostolicam Maiestatem sequens telegramma, devotissimum homagium Principis-Episcopi et cleri synodalis exprimens, missum est.

An Seine kaiserliche und königliche Apostolische Majestät

Franz Joseph I.

Wien.

Anlässlich des bevorstehenden Allerhöchsten Namensfestes Eurer kaiserlichen und königlichen Apostolischen Majestät wird der Fürstbischof von Lavant mit 170 Diöcesanpriestern, die auf der Diöcesan-Synode versammelt sind, um entsprechend den Constitutionen Seiner Heiligkeit Papst Leo XIII. das Wohl der Kirche und des geliebten österreichischen Vaterlandes wahrzunehmen, morgen bei der Generalcommunion für das Wohl Eurer kaiserlichen und königlichen Apostolischen Majestät und des Allerhöchsten Kaiserhauses Gott dem Allmächtigen seine Gebete aufopfern, und fühlt er sich mächtig gedrängt, Eurer kaiserlichen und königlichen Apostolischen Majestät seine treueste Huldigung in tiefster Ehrfurcht gehorsamst darzubringen.

Dr. Michael Napotnik,

Fürstbischof.

Responsum Celssimus altera die accepit:

Cabinetskanzlei Sr. k. und k. Apostolischen Majestät
an

Seine fürstbischöfliche Gnaden Dr. Michael Napotnik
in Marburg.

Budapest udvar.

Seine k. und k. Apostolische Majestät danken allergnädigst Eurer fürstbischöflichen Gnaden und der Diöcesansynode für die anlässlich des bevorstehenden ah. Namensfestes auf telegraphischem Wege dargebrachte Huldigung.

Im ah. Auftrage: Papay.

Tum vero constitutio 3) de iuribus et officiis Decanorum enunciata est. Cum tempus urgeret, Episcopus omissis aliis, licet optimis, constitutionibus, constitutionem 4) de Seminario puerorum episcopali proponi iussit. Constitutione denique 5) de conditionibus et praecautiōibus, sub quibus animarum curatores in statum quiescentiae transire possint, praelecta Celssimus Antistes Procuratorem cleri invitavit, ut, si quae eiusdem vota habuerit, ea proferret. Hinc ille benignissimae obsecutus invitationi, proposuit haec vota: 1) de licentia ciborum esurialium condiendorum omnibus diebus ieiunii per annum larido sicuti lacte; 2) de decreto pronuntiando, ut Decani visitatione canonica sacerdotes poscerent, locum sibi designarent, quo testamentum suum recondere; 3) de ientaculo clericis in Seminario maiori dando; 4) de eligendis in residentiali civitate viris artis ecclesiasticae peritis, qui occasione data parochis consulerent, si novas ecclesias aedificarent vel quas habent, ad leges artis reficerent;¹ 5) de Collectione rituum nuper pro dioecesi Lavantina,

¹ Desiderata Commissio constituta est, et nomina Praesidis et Consultorum publicata reperiuntur in folio dioecetano: Kirchliches Verordnungsblatt für die Lavanter Diöcese. 1896. num. VIII. pag. 10.

a sacra rituum Congregatione approbata et sumptibus episcopalis Cancellariae edita, per sacerdotes etiam singulos emenda; 6) de cantu in Missis cantatis sine ministris lingua vernacula permittendo atque 7) de Sessione ultima publica hora quinta matutina incipienda. Hoc ultimo cleri synodalis voto Celsissimus Praesul, necessitate quadam vel opportunitate perpensa, annuit, reliquis vero pro eorum natura et sua facultate renuit vel annuit, et cum tempus discedendi iam pressisset, precibus post actionem synodalem persolutis, huic postremae adeo memorabili Congregationi generali finem dedit.

Marburgi, Kal. Octobris 1896.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Antonius Suhač,
Testis.

Antonius Lacko,
Testis.



Tertia et ultima Sessio publica.



elissimus Ordinarius cum votis Synodaliū obsecutus, die 2. Octobris, quo in dioecesi Lavantina festum s. Mariae de Socos celebratur, iam hora 5. matutina in ecclesiam s. Aloysii advenisset, omnes Synodales, veste talari et choralī cum birreto vel habitu sui ordinis et superpelliceo induti, Eum in portis ecclesiae devote exceperunt et in sollemni processione ad altare maius comitati sunt. Ex quo Reverendissimus Dominus, Tertia cum clero alternatim recitata, Missam de sanctissima Trinitate cum sollemni assistentia et cantu choralī¹ celebravit, inter quam omnis clerus synodalis ad sacram communionem accessit et plures quoque laici fideles ad mensam dominicam admissi sunt. Sacerdotes etiam haustum vini pro ablutione acceperunt.

Inter hanc Venerabilis Patris Missam plures quidem laici fideles sacra synaxi refecti sunt, multo tamen plures, cum in hoc Sacro ad sanctam communionem se accedere posse non sperarent, vel in sacello s. Aloysii post vel inter Synodi actionem in ecclesia cathedrali aut etiam in ecclesiis suburbanis, quo indulgentias plenarias ex apostolicae Sedis indulto²) lucrarentur, divina sacramenta susceperunt.

Paramentis porro albi coloris depositis Illustrissimus Dominus mox Pluviale rubei coloris ad preces, ante

¹ Concentum sacrum peragentes cantaverunt Introitum: „*Benedicta sūt*“, Graduale: „*Benedictus es*“, Offertorium: „*Benedictus sūt*“, Ordinarium: *Missae in festis solemnitibus*. Cuncta in cantu Gregoriano editionis officialis et authenticae sacrae rituum Congregationis (Ratisbonensis) comitante organo.

² Litt. brev. „Cum sicut accepimus“ de die 16. Maii 1890.

Sessionem publicam in tertia die Pontificalis Romani praecepto dicendas, induit et cum preces essent persolutae, hanc synodalem habuit allocutionem.

Allocutio valedictoria,

habita

in tertia eaque ultima Sessione publica synodali, in festo
s. Mariae Cervellensis, die 2. mensis Octobris.

**Ornatissimi, Reverendi ac Venerabiles fratres filiique
in Christo charissimi!**

 *e Deum laudamus, te Dominum confitemur. . . In te Domine speravi, non confundar in aeternum! Ita nunc clamo corde iubilante. Gratiae immortales et laudes perennes sint Deo Optimo Maximo, cuius favore licet immerentes nostram Synodum, ad quam in nomine Domini conveneramus quamque propitio Numine divino prospere et rite pertractavimus, hodie feliciter complemus ac terminamus. „Beati sumus, Israel, quia, quae Deo placent, manifesta sunt nobis“. (Baruch 4, 4).*

Corde dilatato dico gratias reverentes et quam maximas Vobis, qui tam copiosa multitudo in mea Synodo comparuistis eamque opera non mediocri patientiaque incredibili iuvistis, id quod de Synodi ministris potissimum valet, quippe qui omni laude digno labore extraordinario functi sunt suis muniis et officiis. Porro grates meas pastorales pando et exhibeo fratribus nostris absentibus, qui durante Synodo pro Vobis assentibus libenti animo exercuerunt spiritualem animarum curam. Omnibus hic praesentibus viris providis et absentibus probis salus, benedictio et retributio a Domino! Omnibus messis multa, felix et fausta! Et ipse Deus merces magnanimis!

De caetero, fratres et filii mei in Domino dilecti, optimas et iucundissimas Deo perpendemus ac referemus gratias, quodsi, quae in synodali conventionē saluberrime edicta et statuta sunt, exacte et sancte observaturi simus. Studeamus igitur pro viribus, ut statuta et decreta synodalia sollerter in exitum deducamus, et quidem omnes indiscriminatim tam nos praesentes quam nostri fratres absentes. Optimae leges nihil valent, nisi inviolate observentur. Collatis in unum viribus maximaque voluntatum conspiratione et concordia tulimus leges *synodales*, non ut ipsas transgrediamur ac negligamus, imo multo magis ut eas studiose et accurate observemus omni tergiversatione amota et fraude seclusa.

Adimplete, o fratres dilecti, sedulo, quae Vobis iniungunt statuta synodalia. Vicens dioeceseos status dependet a vigente disciplina cleri dioecesani. Excellens clerus, excellentes quoque fideles. „*Fratres, vos estis presbyteri in populo Dei, et ex vobis pendet anima illorum*“. (Iudith 8, 21). Pro Deo et propter Deum sitis lux mundi et sal terrae; estote lucerna super candelabrum posita, ut praefulgeatis omnibus, qui in domo Dei sunt et qui foris versantur; estote genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. (I. Petr. 2, 9). Deus det, ut repleti bono spiritu revertamini a Synodo ad fideles, prouti ab ordinatione rediistis domum, aestuantes spiritu sacri fervoris et ardentēs zelo religioso.

Hoc ictu oculi recordor sollemnium verborum beati Pauli apostoli: „*Nos gloria vestra sumus, sicut et vos nostra: in die Domini nostri Iesu Christi*“. (II. Cor. 1, 14). S. Paulus nil frequentius asserit et fortius affirmat, quam quod christiani gaudium, spes, solamen et salus virorum apostolicorum, et hi laetitia, expectatio, consolatio et beatitas christianorum futuri sint in die Domini. Virtutes fidelium sint oportet fontes vitae et gloriae pastorum. Sacerdos salvus fiet ob pietatem, iustitiam et ob bona opera fidelium, et fideles vivent in aeternum ob fervorem

et sanctitatem sacerdotum. In die Domini oviculae cum pastoribus et pastores cum oviculis comparebunt, et sors unius cum sorte alterius ita erit coniuncta, ut fas sit dicere, utrumque fore salvum aut utrumque damnatum. O quae ratio quaeque causa ex hoc pro sacerdotibus, ut oves et agnos suos pascant charitate, ut pro ipsis ponant vitam suam; sed et quam potens impulsus pro fidelibus, ut pastores suos ament et honorent, ipsos audiant atque sequantur!

Quae attenta dictaque multo plus valent de me et de Vobis. *Nos gloria Vestra sumus et Vos nostra in die iudicii.* Vestra sors est mea, et mea Vestra. „*Tunc enim vivimus, si vos statis in Domino*“. (I. Thess. 3, 8). Ideo Vos omni amore amplector et persequor, cupiens Vobiscum pati, Vobiscum vivere et mori. Utinam omnes salvare possem moriendo pro singulis, lubenter id facerem per gratiam Dei, quam supplex invoco et sine qua nihil possum. Maneamus in Deo una anima et unum cor. Adiuvemus nos invicem orationibus atque laboribus. Et perpes corona nostra erit in die Domini: *Dominus ipse.*

Ut nobis hocce obtingat, statuta synodalia debent esse immutabilis norma agendi tum pro hic congregatis cum pro illis, qui huic ornatissimo coetui synodali intervenire nequiverunt. Quibus absentibus promulgate, quaecunque synodaliter fuere pertractata et perfecta, condita, decreta, ac sancita, salvis dogmatibus legibusque ecclesiasticis et sacris canonibus in suo robore ipso iure manentibus. Domum reversi estote apostoli nostrae Synodi, quae quasi fuit, quod sunt alibi conventus catholicorum; renuntiate confratribus et cooperatoribus in vinea Domini actiones et constitutiones synodales, excitate et movete eos fraterna charitate, ut et ipsi pro viribus studeant, statuta synodalia probe tenere, fidelissime observare et perfectissime exequi. *Hic liber mandatorum Dei, et lex, quae est in aeternum. Omnes, qui tenent eam, pervenient ad vitam, qui autem dereliquerunt eam, in mortem.*

(Baruch 4, 1). *Fili, serva mandata mea, et vives.* (Prov. 7, 2). *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* (Ps. 118, 165).

Velitis imprimis Vos, admodum Rev. Dom. Decani, qui ab antiquitus episcopi oculi et aures, manus et pedes compellari consuevistis, Vos, qui Testium synodaliū vices geritis, omni conamine diligentiaque in id iugiter intendere, ut clerus decanalīs dirigatur statutis synodalibus. Consimiliter etiam Vos, Rev. Dom. Parochi, solliciti sitis, ut adamatos confratres, cooperantes et adiutores in agro dominico, verbo moveatis et exemplo non repellatis, sed trahatis ad statuta synodalia stricte et punctualiter observanda. Clamate et dicite ipsis, uti Iosue clamavit et dixit suis: „*Confortamini et estote solliciti, ut custodiatīs cuncta, quae scripta sunt in volumine legis huius . . . et non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram*“. (Ios. 23, 6).

Legite et alios facite legere attentissime egregiam et gravem exhortationem, quam Patres s. Udalrico, illustri episcopo Augustano (923—973), adscribunt quamque Vobis typis cusam et evulgatam suppeditat ordo et processus in actionibus synodalibus.

* *

*

Venerabiles fratres, si omnes omnia haec monitoria verba *posueritis in cordibus vestris et in animabus vestris* (Deut. 11, 18) atque stricte ista observaveritis, vinea Lavantina, a Deo mihi concredita, uvas, non vero labruscas paritura, et ager Lavatinus, a Domino mihi commissus, triticum et non lolium prolaturus est, et ovile nostrum acceptum erit pastori magno ovium, Domino nostro Iesu Christo. (Hebr. 13, 20). In Deo confidens, dilectum meum clerum ita esse acturum, in nomine Domini et in osculo pacis dimitto nunc Synodales, *commendans eos*, ut s. Pau-

lus suos commendavit, *Deo et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare et dare haereditatem in sanctificatis omnibus.* (Act. apost. 20, 32).

Corpore quidem nunc seiungimur, ast animo coniuncti et spiritu semper coadunati manemus in sacratissimo Corde Iesu, cui nos ad calcem sacrae Synodi offerre et vovere, dedicare ac consecrare volumus. Modo discessuris ultimum *vale* defero et ex pleno animo exopto, ut Gabriel cum Maria et Raphael cum Tobia ac Michael cum tota coelesti hierarchia sint Vobis duces et comites in via. Redeatis, filioli mei, fide firmiores charitateque fervidiores ad gregem dilectum, ac custodiatis eum, ne fures neve lupi neque aliae bestiae rapaces noceant agnellis et oviculis Vestris. Ad finem Vobis et Vestris oviculis ex visceribus cordis mei in pignus coelestis benedictionis, in signum gratitudinis meae episcopalis et in testimonium benevolentiae meae pastoralis peramanter impertior sacram benedictionem.

Ÿ. Sit nomen Domini benedictum.

R. Ex hoc et nunc et usque in saeculum.

Ÿ. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Ÿ. Benedicat vos omnipotens Deus:
Pater et filius et Spiritus sanctus.

R. Amen.

Laudetur Iesus Christus!



Quam allocutionem cum Celsissimus Episcopus, non sine lacrimis ex parte loquentis Praesulis et audientis quoque cleri, finiisset, ad instantiam Promotoris decretum

a) de statutis Synodi servandis praelegi imperavit et clero acclamante elenchum eorum, qui Synodo interesse debuerunt, cum, qui aderant, nomina sua manu propria in speciali catalogo inscripsissent, praelegendum esse non censuit. Neque temporis angustia permisit, ut gravis admonitio s. Udalrici¹ praelegeretur, sed Reverendissimus Ordinarius cum Synodi officialibus et sodalibus pro eorum cooperatione gratias egisset et omnes statuta dioecesana stricte servare et speciatim Decanos, ut in universa dioecesi eorum accuratissimae observationi invigilarent, sollicitos esse facundo sermone et sancto ardore iussisset, decretum b) de Synodo finienda et c) de proxima Synodo contrahenda per Lectorem Synodi enunciandum mandavit.

His peractis Celsissimus orationem post Sessionem publicam finalem dixit, quam hymnus s. Ambrosii *Te Deum* secutus est. Quo persoluto Reverendissimus Praesul, ut dedicatio et consecratio totius dioecesis sacratissimo Cordi Iesu renovaretur, instructionem praemisit succedentis tenoris:

In Domino Dilecti!

Quamplures e toto orbe catholico ad Papam Pium IX. felicitis recordationis episcoporum postulationes ac pene innumerae christifidelium petitiones advenerunt, quibus enixe rogabatur, ut Ipse ad fovendam augendamque pietatem erga sacratissimum Cor Iesu universum mundum eidem sanctissimo Cordi consecrare dignaretur.

Iam vero sanctae memoriae Papa Pius IX. rei gravitatem coram Deo animo reputans, ut aliquo modo pientissimis votis satisfaceret, *Orationem* approbavit illamque quocunque idiomate in versione fidei recitandam proposuit iis omnibus, qui sacro Cordi Iesu se ipsos devovere voluerint. Sacra rituum Congregatio per decretum de die

¹ Praeclara admonitio reperitur typis cusa pag. 45—49.

22. Aprilis 1875 omnibus locorum Ordinariis praefatam precationis formulam transmisit, ut, si ita in Domino iudicaverint et ovium sibi commissarum bono expedire censuerint, eam edendam curarent, ac fideles ipsos hortarentur, ut illam vel coniunctim vel privatim die 16. Iunii 1875 recitarent, qua die secundum centenarium recurrit a revelatione facta ab ipso Redemptore beatæ Margaritæ Mariæ Alacoque, devotionem erga Cor Iesu propagandi.

Iacobus Maximilianus, pius praedecessor meus, litteras circulares die 19. mensis Maii anni 1875 direxit ad clerum dioecesanum, quibus illum admonuit, ut enuntiata die 16. vel vero 20. mensis Iunii praedicti anni fideles ad sese divino Cordi Iesu vovendum moverent, id quod factum est per totam peramplam dioecesim.¹ Nos itaque in hac sacra Synodo congregati, solummodo renovare ac repetere volumus praeaudatam totius dioeceseos consecrationem sanctissimo Cordi Iesu.

Persolvamus igitur coniunctim orationem, ad hoc a me compositam et Vobis propositam: *O dulce Cor Iesu!*²



Oratione cum piis cordium affectibus et sub magnis animorum motibus persoluta, cum e speciali indulto Sanctissimi Patris Leonis PP. XIII. indulgentiae plenariae Synodi sodalibus et populo christiano dioecesis Lavantinae concessae essent, a Celsissimo Ordinario forma praescripta in fine promulgatae sunt. Deinde praelectum est d) decretum de Synodo dimittenda.

¹ Videsis: Litteras circulares ad clerum curatum dioecesis Lavantinae de die 19. Maii 1875 Nr. 1195, ubi reperies memoratam *Orationem* in translatione theodisca et slovenica, qua fideles sese Cordi Iesu dedicare possunt.

² Oratio reperitur typis cusa pag. 49—51.

Suffragia, in fine Synodi dioecesanæ persolvenda, ordine praescripto cum magna animorum commotione facta sunt, post haec vero Reverendissimus Praesul, ad Synodales versus, dixit: *Totius Synodi Clero pacem, concordiam et gratiam a Domino!* Cleri vero responsio: *Deo gratias! Amen* — laetum finem et uberes fructus Synodi quasi anticipando per vasta ecclesiae s. Aloysii loca resonuit. *Faxit Deus!*

Diaconus postremo exclamavit: *Recedamus in pace,* cui Congressores responderunt: *In nomine Domini.*

Itaque cum quae in hac Synodo expedienda erant, Deo adiuvante expedita essent, Celsissimo Ordinario Plur. Rev. Dom. Laurentius Herg, Decanus Capituli cathedralis infulatus, totius cleri synodalis nomine hisce ferme verbis gratias egit:

Celsissime ac Reverendissime
Princeps-Episcopo!

Synodus dioecesana, quae ut felici cum effectū celebraretur et ad finem faustum adduceretur, Amplitudo Tua omnia, quae ad eam necessaria vel utilia erant, eximia cum industria praeparavit ac disposuit, ad finem suum modo properat. Quem antequam accipiat, mihi quaeso liceat Capituli ecclesiae cathedralis nomine omniumque etiam Synoditarum Celsitudini Tuae pro summa sollicitudine et mira quadam dilectione, qua nos paterno plane affectu amplectitur, gratissimi animi sensa humili, sed sincero verbo pandere.

Ecclesia catholica iure ac merito „*castrorum acies ordinata*“ (Cant. 6, 3) dicitur eique spiritualis semper „*adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae*“ (Eph. 6, 12) pugna est. Atqui ubi pugna est, milites quoque et duces

necessarii sunt, qui acies ordinent, dirigant certamina. Milites in ecclesia catholica Christi fideles sunt, baptismatis sacramento in familiam, confirmationis vero in militiam Christi conscripti; duces autem sunt Romanus Pontifex, Christi vicarius, et Episcopi, successores apostolorum: ille pro tota ecclesia, hi in sua quisque dioecesi. Ut igitur Sanctissimum Patrem Leonem XIII. supremum ducem omnium fidelium, ita Te, Celsissime Episcope, dioecesis Lavantinae supremum ducem laetis animis agnoscimus et reveremur. »Dominus namque Deus, qui miro ordine ministeria angelorum hominumque dispensat« (Orat. in festo s. Michaelis archangeli), Te, Reverendissime Princeps, rectorem benevolum et custodem vigilem nobis dedit. Sub Tua iam directione et cura provida, quomodo legitime nos oporteat concertare pro gloria Dei et animarum pastoralis curae nostrae commissarum salute, Dei favente gratia istis deliberavimus diebus. Pro legitimo tamen certamine disciplina accuratissima opus est, quippe cum sine ea de hostibus triumphus sperari non possit.

Ad disciplinam istam in nobis et in dioecesi Lavantina generatim restaurandam in hac, quae ad finem accelerat, Synodo decreta sunt condita et statuta composita, quibus fideliter observatis bonum certaturi sumus certamen, quia Dominus ipse nobiscum erit et „*si Deus pro nobis, quis contra nos*“ (Rom. 8, 33), vel uti Tuum episcopale Insigne seu Emblema gentilitium habet: „*Quis ut Deus, fortitudo mea?*“ Hoc vero modo bene speramus fore, ut Deus nostro in cura animarum labori benedicat et nobis legitime certantibus immarcescibilem coronam largiatur.

In hunc igitur finem ac tesseram inconcussae fidei nostrae et obedientiae iuramentum, in die ordinationis nostrae emissum, sollemni hoc momento renovamus unoque ore edisserimus:

Celsissime ac Reverendissime Princeps-Episcope! Ad praelia Domini Sabaoth praelianda parati sumus,

sub vexillo sanctae Crucis, Te ducem sequemur, Tua nunquam deseremus signa, ideo obedientiam Tibi promittimus ac reverentiam ad ultimum usque halitum vitae. Fiat, fiat!



Quo sermone cum alteri Synodo dioecesanae laetus finis datus esset, Celsissimus Ordinarius de effectu gaudens, non dolens de labore in Episcopium se contulit, et Synodi clerus „*spiritu mentis suae renovatus*“ (Ephes. 4, 23) atque „*confortatus in Domino et in potentia virtutis eius*“ (Ephes. 6, 10) ad suos quisque fideles recessit.

Marburgi, die VI. Non. Octobris 1896.

Dr. Ioannes Mlakar,
Notarius Synodi.

Dr. Antonius Suhač,
Testis.

Antonius Lacko,
Testis.



Synopsis

sodalium Synodi dioeceseanae,
quam celebravit

Celsissimus ac Reverendissimus Dominus

MICHAEL,

Princeps-Episcopus Lavantinus.

I.

Plur.	Rev.	Dom.	Ignatius Orožen, ut supra.
»	»	»	Laurentius Herg, ut supra.
»	»	»	Iacobus Phil. Bohinc, ut supra.
»	»	»	Carolus Hribovšek, ut supra.
»	»	»	Iosephus Pajek, ut supra.
»	»	»	Ioannes Mlakar, ut supra.
»	»	»	Martinus Strajnsak, ut supra.
»	»	»	Thomas Rožanc, ut supra.
»	»	»	Ioannes Bosina, ut supra.
»	»	»	Iacobus Meško, ut supra.
»	»	»	Antonius Hajšek, ut supra.

Nota. Plur. Rev. Dom. Ioannes Križanič, Capituli cathedralis Canonicus senior, Synodo interesse non potuit, cum ad Congressum antimassonicum generalem, diebus 26. usque ad 30. Septembris inclusive Tridenti celebrandum, dioecesis Lavantinae ablegatus abiisset.

Rev. Dom. Iosephus Majcen, ut supra.

II.

Plur.	Rev.	Dom.	Franciscus Ogradi, ut supra.
»	»	»	Iosephus Heržič, ut supra.

III.

Adm. Rev. Dom. Franciscus Feuš, ut supra.
 Rev. Dom. Iosephus Zidanšek, ut supra.
 Rev. Dom. Martinus Matek, ut supra.
 » » Aloysius Meško, ut supra.
 » » Iacobus Hribernik, ut supra.

IV.

Adm. Rev. Dom. Caf Iacobus, ut supra.
 » » » Dovnik Franciscus, ut supra.
 » » » Fleck Iosephus, ut supra.
 » » » Gregorec Leopoldus, ut supra.
 » » » Hecl Augustinus, ut supra.
 » » » Jurčič Iosephus, ut supra.
 » » » Jug Franciscus, ut supra.
 » » » Kralj Iosephus, ut supra.
 » » » Lempl Iacobus, ut supra.
 » » » Skuhala Ioannes, ut supra.
 » » » Stoklas Mathias, ut supra.
 » » » Tombah Iosephus, ut supra.
 » » » Verk Henricus, ut supra.
 » » » Voh Bartholomaeus, ut supra.

V.

Adm. Rev. Dom. Janežič Franciscus sen., Consiliarius consistorialis, Professor institutionis religiosae in c. r. paedagogia Marburgi.
 Rev. Dom. Janežič Franciscus iun., ut supra.
 » » Kavčič Iacobus, ut supra.
 » » Medved Antonius, ut supra.

VI.

Rev. Dom. Arzenšek Aloysius, Parochus ecclesiae s. Crucis in Trbonje.
 Adm. Rev. Dom. Arzenšek Mathias, Consiliarius episcopalis, Parochus eccles. s. Pancratii in Griže.
 » » » Bezenšek Georgius, ut supra.

Rev. Dom. Bizjak Vincentius, Parochus ecclesiae
s. Philippi et s. Iacobi in Laporje.

» » Bohanec Ioannes, Parochus ecclesiae
omnium Sanctorum (Svetinje).

» » Borsečnik Antonius, Parochus ecclesiae
ss. Trinitatis in Gornja Polskava.

» » Brezovšek Martinus, Parochus ecclesiae
s. Martini in monte Pohorje.

» » Cilenšek Aloysius, Parochus ecclesiae
s. Antonii in Stoperce.

» » Cilenšek Blasius, Parochus ecclesiae s. Ni-
colai in Monsberg.

» » Cizej Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Martini penes Schallek.

» » Črnko Iosephus, Parochus ecclesiae
s. Laurentii in Vuhred.

» » Črnko Marcus, Parochus ecclesiae s. Ni-
colai in Sevnica.

» » Dekorti Iosephus, Parochus ecclesiae
s. Elisabethae in Ljubno.

Adm. Rev. Dom. Erjavec Petrus, ut supra.

Rev. Dom. Ermenc Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Laurentii in Luče.

» » Ferk Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Margaritae ad fluv. Pesnica.

» » Fischer Antonius, Parochus ecclesiae s. Iacobi in Collibus slovenicis.

» » Fischer Andreas, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Zagorje.

» » Frass Iosephus, Parochus ecclesiae
s. Chunegundis inferioris.

Adm. Rev. Dom. Fröhlich Antonius, Sacerdos iubilans,
Consiliarius episcopalis, Archiparochus ecclesiae s. Crucis penes
Slatina.

» » Gaberc Simon, Consiliarius episcopalis,
Parochus ecclesiae s. Annae in Fram.

Rev. Dom. Gajšek Ioannes, Parochus ecclesiae s. Viti
penes Ponikva.

» » Geršak Vincentius, Parochus ecclesiae
s. Michaelis in Vransko.

» » Gmeiner Carolus, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Širje.

» » Govedič Ioannes, Parochus ecclesiae
s. Michaelis penes Schönstein.

» » Grušovnik Adam, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Eremo.

» » Heber Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Stephani in Spodnja Polskava.

» » Hirti Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Slivnica.

» » Horvat Iosephus, Parochus ecclesiae
s. Laurentii in Bizeljsko.

» » Hrastelj Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Bartholomaei in Ribnica.

» » Hrastel Gregorius, Parochus ecclesiae
s. Margaritae in Selnica.

» » Hrovat Paulus, Parochus ecclesiae s. Iu-
doci in Kozjak.

» » Irgl Franciscus, Parochus ecclesiae s. Ma-
riae in Sladkagora.

» » Jan Ferdinandus, Parochus ecclesiae
s. Petri ad fluvium Savinja.

Adm. Rev. Dom. Jazbec Antonius, Consiliarius episco-
palis, Parochus ecclesiae s. Elisa-
bethae in Slovenji Gradec.

Rev. Dom. Jurkovič Martinus, Parochus ecclesiae
s. Petri penes Marburgum.

» » Kapler Ioannes, Parochus ecclesiae s. Cru-
cis supra Marburgum.

» » Karba Mathias, Parochus ecclesiae s. Ae-
gidii in Zreče.

» » Kelemina Mathias, Parochus ecclesiae
s. Aegidii in Collibus slovenicis.

Rev. Dom. Klepač Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Danielis in Razbor.

» » Kocuvan Antonius, Parochus ecclesiae
s. Iacobi in Lembach.

» » Kolarič Iosephus, Parochus ecclesiae
s. Martini ad fluvium Paka.

» » Kolednik Iacobus, Parochus ecclesiae
s. Martini in Haidin.

» » Koren Mathias, ut supra.

» » Kos Aloysius, Parochus ecclesiae s. Mar-
tini in Rožna Dolina.

» » Košar Ioannes, Parochus ecclesiae s. Ia-
cobi in Galicija.

» » Kotnik Iosephus, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Olimje.

» » Kozinc Ioannes, Parochus ecclesiae
s. Magdalenae in Slivnica.

» » Kragl Martinus, Parochus ecclesiae s. Ni-
colai in Polje.

» » Kralj Martinus, Parochus ecclesiae s. An-
dreae in Leskovec.

» » Kreft Aloysius, Parochus ecclesiae s. Mar-
tini in Ponikva.

» » Kukovič Blasius, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Dobje.

» » Kunce Ioannes, Parochus ecclesiae s. Ge-
orgii ad fluv. Ščavnica.

Adm. Rev. Dom. Lacko Antonius, ut supra.

Rev. Dom. Leber Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Viti penes Waldegg.

» » Lednik Antonius, Parochus ecclesiae
s. Spiritus in Loče.

Adm. Rev. Dom. Lenart Ioannes, Consiliarius episcopalis,
Parochus s. Crucis in Poličane.

» » » Lendovšek Michael, ut supra.

Rev. Dom. Lipold Ioannes, Doctor s. Theol., Parochus
ecclesiae s. Petri penes Svete Gore.

- Rev. Dom. Marinič Iacobus, Parochus ecclesiae s. Iacobi in Sobota.
- » » Merc Iacobus, Parochus ecclesiae s. Petri et s. Pauli Reichenburgi.
- » » Merkuš Antonius, Parochus ecclesiae s. Michaelis in Žitale.
- » » Mešiček Iosephus, Parochus ecclesiae s. Laurentii Runae.
- » » Meško Martinus, Parochus ecclesiae s. Magdalenae in Kapele.
- » » Murkovič Franciscus, Parochus ecclesiae s. Barbarae penes Borl.
- » » Ogrizek Franciscus, Parochus ecclesiae s. Mariae in Črešnjice.
- » » Osenjak Martinus, Parochus ecclesiae s. Mariae in Wurmberg.
- » » Pajtlar Ioannes, Parochus ecclesiae s. Ruperti in Collibus slovenicis.
- » » Pečnik Iacobus, Parochus ecclesiae s. Bartholomaei in Radvanje.
- » » Pernat Antonius, Parochus ecclesiae s. Mariae in Dobova.
- » » Pignar Franciscus, Parochus ecclesiae s. Mariae ad Nives in Velka.
- » » Plaskan Vincentius, Parochus ecclesiae s. Bartholomaei in Zibika.
- » » Plešnik Michael, Parochus ecclesiae s. Pauli penes Pragwald.
- » » de Pohl Iosephus, Parochus ecclesiae s. Michaelis in Pišce.
- » » Presečnik Gregorius, Parochus ecclesiae s. Udalrici in Podgorje.
- » » Prešern Ioannes, ut supra.
- » » Raktelj Rudolphus, Parochus ecclesiae s. Mariae in Kalobje.
- » » Rath Franciscus, Sacerdos iubil., Parochus eccl. s. Laurentii in campo Dravi.

Rev. Dom. Rath Paulus, Parochus ecclesiae s. Aegidii penes Turjak.

» » Ribar Antonius, ut supra.

» » Sattler Iosephus, Parochus ecclesiae s. Mariae in Črna Gora penes Petovium.

» » Selič Valentinus, Parochus ecclesiae s. Mariae in Kostrivnica.

» » Sinko Iosephus, Parochus ecclesiae s. Wolfgangi penes Biš et Trnovec.

» » Slavič Franciscus, Parochus ecclesiae s. Antonii in monte Pohorje.

» » Slekovec Matthaeus, ut supra.

» » Smrečnik Franciscus, Parochus ecclesiae s. Aegidii penes Schwarzenstein.

» » Sorglechner Iosephus, Parochus ecclesiae s. Mariae in Cirkovce.

» » Sovič Iosephus, Parochus ecclesiae s. Laurentii supra Marburgum.

» » Sparhakl Ioannes, Parochus ecclesiae s. Petri in Medvedje Selo.

» » Srobotnik Adolphus, Parochus ecclesiae s. Primi in monte Pohorje.

» » Stajenko Ioannes, Parochus ecclesiae s. Petri et s. Pauli in Htinje.

» » Strnad Mathias, Parochus ecclesiae s. Cantii in Rečica.

» » Strašek Michael, Parochus ecclesiae s. Ioannis in Vineis.

» » Stuhec Marcus, Parochus ecclesiae s. Laurentii in Stranice.

Adm. Rev. Dom. Suhač Antonius, ut supra.

Rev. Dom. Škorjanc Franciscus, Parochus ecclesiae s. Stephani in Gomilsko.

Adm. Rev. Dom. Šlander Antonius, ut supra.

Rev. Dom. Šoštarič Ferdinandus, Parochus ecclesiae ss. Trinitatis in Mala Nedelja.

Rev. Dom. Schmid Michael, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Solčava.

» » Schwarz Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Martini in Kamnica.

» » Tamše Valentinus, Parochus ecclesiae
s. Mariae in Prihova.

Adm. Rev. Dom. Trstenjak Iacobus, Consiliarius episco-
palis, Parochus ecclesiae s. Marga-
ritae prope a Petovio.

Rev. Dom. Tomanič Ioannes, Parochus ecclesiae
s. Urbani prope a Petovio.

» » Tomažič Marcus, Parochus ecclesiae s. Mi-
chaelis in Pilštanj.

» » Trampuš Ioannes, Parochus ecclesiae
s. Wolfgangi in Kog.

» » Tribnik Carolus, Parochus ecclesiae
s. Mauritii in Jurklošter.

» » Vidmaier Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Valentini in Žusem.

» » Vidovič Iacobus, Parochus ecclesiae s. Le-
onardi supra Tiberium.

» » Viher Philippus, Parochus ecclesiae
s. Martini penes Wurmberg.

» » Vračun Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Nicolai penes Wiederdries.

» » Vraz Antonius, Parochus ecclesiae s. An-
tonii in Collibus slovenicis.

» » Vraz Ioannes, Parochus ecclesiae s. Flori-
ani ad montem Boč.

» » Vtičar Georgius, Parochus ecclesiae
s. Annae in Prevorje.

» » Wolf Ioannes, Parochus ecclesiae s. Le-
onardi in Zabukovje.

» » Wurzer Mathias, ut supra.

» » Zdolšek Andreas, Parochus ecclesiae s. Ste-
phani penes Žusem.

- Rev. Dom. Zdolšek Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Georgii sub Tabor.
- » » Zmazek Franciscus, Parochus ecclesiae
s. Benedicti in Collibus slovenicis.
- » » Zupanič Iacobus, Parochus ecclesiae s. Os-
waldi in Drauwald.
- » » Žekar Martinus, Parochus ecclesiae
ss. Trium Regum in Studenice.
- » » Žičkar Iosephus, ut supra.
- » » Žmavc Georgius, Parochus ecclesiae s. Ge-
orgii in Remšnik.

VII.

- Rev. Dom. Skrbec Martinus, Expositus ecclesiae
s. Margaritae in Planina.
- » » Mikuš Valentinus, Provisor ecclesiae
s. Georgii penes Reicheneck.

VIII.

- Rev. Dom. Čede Iosephus, Capellanus in suburbio
s. Magdalenae Marburgi.
- » » Cestnik Antonius, ut supra.
- » » Čížek Iosephus, ut supra.
- » » Haubenreich Aloysius, Pr.-Ep. Censor
rationum ecclesiarum Marburgi.
- » » Hudovernik Ludovicus, ut supra.
- » » Korošec Franciscus, ut supra.
- » » Sver Aloysius, Curatus in c. r. carceribus
publicis Marburgi.
- » » Štrakl Matthaeus, ut supra.
- » » Tajek Iacobus, ut supra.
- » » Vreže Ioannes, ut supra.

IX.

- Rev. Dom. Javšovec Franciscus, ut supra.

- Rev. Dom. Cajnkar Iacobus, Presbyter ordinis equi-
tum Teutonicorum, Administrator
ecclesiae s. Spiritus in Središče.

Rev. Dom. Gliebe Andreas, Presbyter ordinis equitum Teutonicorum, Administrator ecclesiae ss. Trinitatis in Velika Nedelja.

Rev. P. Heric Callistus, ut supra.

Adm. Rev. Dom. Jenič Gregorius, ut supra.

Adm. Rev. Dom. Jerančič Victor, ut supra.

Rev. P. Kreiner Odoricus, ut supra.

» » Pavec Ioannes ordinis s. Benedicti, Vicarius ecclesiae s. Georgii ad fluv. Pesnica.

» » Schönwetter Nazarius, ut supra.


Rev. Dom. Schwinger Albinus, Presbyter ordinis equitum Teutonicorum, Administrator ecclesiae s. Nicolai penes Friedau.

Rev. P. Vagaja Rudolphus, ordinis s. Benedicti, Vicarius ecclesiae s. Andreae in Svičina.

Rev. Dom. Venedig Willibaldus, Presbyter ordinis equitum Teutonicorum, Administrator ecclesiae s. Iacobi in Friedau.

Eorum igitur, qui alteri Synodo dioecesanae actu intererant, numero 184 recensentur; caeteri vero, qui de iure Synodo interesse debuerunt, absentiam suam vel scripto per se vel ore per Procuratorem cleri rite excusaverunt. Causas ab eis prolatas Iudices querelarum et excusationum examini subiecerunt atque Celsissimo Ordinario discutiendas proposuerunt. Quae cum canonicae et ideo legitimae e. gr. senium, adversa valetudo, morbi in plebanatu grassantes, urgens providendorum necessitas, exequiae pro defunctis persolvendae, officia parochialia, quae moram non patiuntur, et generatim cura animarum, cum qui parochi vices gereret, non posset inveniri, ab Episcopo approbatae essent, frequentia Synodi clero dioecesis Lavantinae omnino digna declarari potuit.

Pars tertia.



Decreta

ad formam Synodi spectantia una cum
formulis pro praxi.



Decreta

ad formam Synodi spectantia una cum
formulis pro praxi.¹

I.

Decreta synodalia.

Decretum

de Synodo aperienda et incoepa.



n nomine sanctissimae ac individuae Trinitatis,
Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Nos MICHAEL, Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus, s. Theologiae Doctor,
ad Dei omnipotentis ac beatissimae Virginis Dei matris
Mariae et Patronorum nostrorum s. Ioannis Baptistae,
b. Ioseph et s. Andreae apostoli laudem Synodum Nostram

¹ Barth. Gavanti, Praxis exactissima synodi dioecesanæ. Part. IV. cap. 10. — D. Bouix, Tractatus de episcopo, ubi et de synodo dioecesana. Parisiis, 1859. Tom. II. pagg. 413—422. num. 1.—XXVIII. Sub num. XVIII. reperitur formula capitum perpulchrae orationis mentalis, quae aliquantisper in synodis fieri solet sub finem uniuscuiusque sessionis publicae. — Vinc. Maximil. Sattler, die Dioecesan-Synoden. Regensburg, 1849. Anhang der üblichen Formularien. pagg. 340—391. — Pii Martinucci, Manuale sacrarum caeremoniarum. Romae, 1880. vol. V. lib. 6. cap. 41. de synodo dioecesana. pagg. 387—427. — Angeli Lucidi, De visitatione sacrorum Liminum instructio sacrae Congregationis Concilii. Romae, 1883. vol. I. cap. II. pagg. 218—235. — Synodus dioecesana Pistoriensis et Pratensis ab Illmo et Rmo D. D. Marcello Mazzantio episcopo Pistoriensium et Pratensium SS. D. N. Leonis PP. XIII. praelato domestico et solio pontificio Assistente habita Pistorii in templo maximo anno 1892 diebus 12. 13. 14. Octobris. Pistorii. Ex typographia episcopali Fratrum Bracalium. 1893. 8°. XXIV + 298 pagg. (Constitutiones synodales communicantur in: Archiv für das kath. Kirchenrecht. Mainz, 1896. Tom. LXXV. fasciculo II. pag. 228—260; fasciculo III. pag. 430—461. Tom. LXXVI. fasciculo IV. pag. 55—83 et sq. fasc.)

dioecesanam hac ipsa die 28. mensis Septembris, incidente simul die festo s. Wenceslai, aperimus et incipimus atque modo apertam et incoeptam declaramus. Faxit idem omnipotens Deus pro sua misericordia precibusque beatissimae Virginis et eorundem Sanctorum aliorumque, ut, quemadmodum speramus, ex hoc sacro coetu lumen et Spiritum omnes reportemus ad officia nostra secundum voluntatem Dei peragenda. Per Christum Dominum nostrum.




Decretum

de professione fidei emittenda.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Sacrosancta Tridentina Synodo illud gravissime sancitum est, ut quicumque ecclesiastica beneficia obtinebunt, qui item ad dioecesanam Synodum convenire debent, omnes in ea ipsa Synodo, ad quam primo convenient, professionem fidei faciant et observent.¹ Idcirco sacri Concilii ordinationem pie venerantes imperamus et praecipimus, ut omnes in hac Synodo congregati et actu praesentes professionem fidei secundum formam, a Pio sanctae memoriae Papa IV. sancitam², una cum additamento oecumenici Concilii Vaticani, a Pio felicitis recordationis Papa IX. praescripto,³ palam et publice emittant. Deus autem det nobis fidei, spei et charitatis augmentum, et, ut mereamur assequi, quod promittit, Ipse nos faciat amare, quod praecipit. Per Christum Dominum nostrum.



¹ Sess. 25. cap. 2. de reform.

² Bulla „Iniunctum nobis“ de Idibus Novemb. 1564.

³ Formulam tradit sacra Congregatio Concilii die 20. Ianuarii 1877. Affertur in hoc libro pagg. 54—56.

Decretum

de servando secreto.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Cum in actionibus synodalibus et in materiae tractandae modo varia evenire possint, quae ad notitiam aliorum delata tum sinistras rei interpretationes cum maligna praeiudicia, imo et procaces cavillationes nec non exinde oriundam rerum ac personarum vilipensionem provocare possent, idcirco omnes et singulos Synodales officio servandi secreti quoad dictos casus devinctos esse declaramus et palam pronuntiamus.

Promitemus itaque per fidem sacerdotalem, fore, ut celanda religioso silentio celaturi simus.

Decretum

de praeiudicio non afferendo.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Traditae a Patribus providae ordinationi, ut peculiari decreto de praeiudicio non afferendo occurratur fragilitati humanae, decernimus et declaramus, si cui contigerit suo loco non sedere aut incedere aut vocari aut aliud quidpiam agere; propterea nemini novum ius acquiri nec quidquam de cuiusque iure possessioneve detrahi, sed in eo ipso statu permanere, in quo ante hanc Synodum esse reperiebatur.

Decretum

de modo vivendi.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Quoniam nihil fere saepius et divinis litteris et ecclesiasticis monumentis commendatum est, quam clericalis

ordinis hominum vitae integritas, innocentia, fides, religio, pietas virtutumque omnia ornamenta, quibus domus Dei potissimum extollitur, ideo clerum Nostrum hic praesentem monemus et per viscera misericordiae Dei obtestamur, ut cum semper tum maxime hoc tempore in verbo, in conversatione, in charitate laicis hominibus praeleceat omni virtutum splendore. Ordinem igitur in actionibus synodalibus servandum omnes et singuli Synodales religiosissime observent. Volumus enim et desideramus ex animo, ut in nomine Domini collecti Illum ipsum in medio nostri experiamur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum.

Decretum

de non discedendo.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Dum a Domino supplices precamur, ut omnium, quos in hac Synodo congregavit, exitum quoque custodire dignetur, omnes et singulos charitate paterna monemus et obsecramus, imo cunctis more vetusto poena excommunicationis proposita vetamus, ne vestrum quispiam a civitate Marburgensi discedat, antequam haec Nostra dioecesana Synodus de more absoluta ac dimissa sit; sed huic Synodo synodalibusque actionibus, sessionibus ac conventibus quibuscunque, qui indicentur, omnes et singulos vos interesse iubemus eadem excommunicationis poena proposita.

Si vero fors cuipiam iusta et legitima evenierit discedendi causa, mandamus, ut eam prius Iudicibus querelarum et excusationum proponat examinandam et a Nobis probandam.

Decretum

de Iudicibus querelarum et excusationum.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Cum secundum antiquam disciplinam etiam in Synodo dioecesana constituendi sint Iudices synodales seu Iudices querelarum et excusationum, quorum est obortas fors querelas praeiudicium concernentes componere, porro eorum excusationes examinare, qui ad Synodum vocati non comparuerunt, vel qui in Synodo praesentes urgente tamen aliqua causa gravi discedere cupiunt, antequam actiones Synodi finitae sint: Nos, ut pia disciplinae vetustae servetur memoria et ut actiones synodales sine retardatione et singulorum gravamine expediri queant, consultum duximus, constituere Iudices querelarum et excusationum, quos hisce electos declaramus. Quorum nomina allegata sunt supra.

Decretum

de Synodi officialibus seu ministris.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Ut actiones synodales servato sacrae liturgiae tenore et venerabili traditionis ecclesiasticae more rite et ordinate peragantur, constituimus sequentes Synodi officiales seu ministros et quidem

Promotorem Synodi: ut supra.

Secretarium Synodi: ut supra.

Cui qua Lector additur: ut supra.

Notarium Synodi: ut supra.

Procuratorem cleri: ut supra.

Iudices querelarum et excusationum: ut supra.

Praefectum et Coadiutores hospitiorum: ut supra.

Magistrum cum Sociis caeremoniarum: ut supra.

Ostiariorum Synodi: ut supra.

Directorem exercitiorum spiritualium: ut supra.

Confessarios cum facultate Nostra absolvendi a casibus etiam Nobis reservatis, durante hac Synodo, pro clero in confessione audiendo, ut quisque redeat ad propria bene purgatus et Deo magis coniunctus ad utilitatem quoque populi dioecesani: ut supra.



Decretum

de propositis in Synodo eligendis Examinatoribus promovendorum ad beneficia curata.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Sacri Concilii Tridentini decretum¹ de eligendis in Synodo dioecesana Examinatoribus promovendorum ad beneficia curata exequi volentes, vestrae liberae electioni proponimus et commendamus sequentes viros ecclesiasticos, qui munus hoc in Nostra dioecesi gerant, quoad altera Synodus habebitur. Eorum nomina ut supra.

Publicatio

Examinatorum iam electorum.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Notum vobis facimus, quod per vestram liberam electionem sequentes viri ecclesiastici qua Examinatores synodales promovendorum ad beneficia curata constituti fuerunt. Nomina eorum ut supra.

¹ Sess. XXIV. cap. 18. de reform.

Decretum

approbationis Examinatorum synodaliū.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Electos in hac Nostra Synodo dioeciesana Examinatores synodales promovendorum ad beneficia curata, quorum nomina vobis iam in hesterna Congregatione generali synodali innotuerunt, auctoritate Nostra episcopali approbamus, mandantes insimul, ut designati et a Nobis approbati Examinatores synodales accedant, qua tales coram Nobis iusiurandum praestituri ad sancta Dei Evangelia, se fideliter munus executuros esse, uti sacrosancta Synodus Tridentina praecipit.¹

Formula

iuramenti pro Examinatoribus synodalibus.

Ego N. N. promitto, spondeo ac iuro, me Examinatoris synodalis officium, quod suscepi, quantum in me situm est, fideliter et sincere secundum decretum Tridentinum esse executurum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Decretum

de Testibus synodalibus.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Munus Testium synodaliū, quorum principale officium est, dioeciesin subinde perlustrare atque animadvertere, an quidquam alicubi contra decreta synodalia et statuta dioeciesana fiat, et omnia Episcopo veraciter referre, demandamus et iniungimus singulis Decanis pro districtu cuiuslibet decanali.

¹ Sess. XXIV. cap. 18. de reform.

Ut munus suum rite expleant, iurisiurandi religione adstringendi sunt ad omnia, quae resciverint et emendanda existimaverint, ingenue et sincere Episcopo renuntianda, et quod nec propter timorem nec propter praemium nec propter parentelam Ordinarium celaturi sint, quod contra voluntatem Dei aut rectam christianitatem in territorio ipsis commisso factum sit vel futurum erit.

Invitatio

Testium synodaliū ad praestandum iusiurandum.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Mandamus, ut designati et deputati a Nobis Testes synodales seu Decani hic praesentes accedant, coram Nobis iusiurandum qua tales praestituri.

Formula

iuramenti pro Testibus synodalibus.

Ego N. N. promitto, spondeo ac iuro, me Testis synodalis officium, quod suscepi, quantum in me situm est, fideliter et sincere cum debita diligentia esse executurum. Sic me Deus adiuvet et hae Sanctorum reliquiae.



Decretum

de Iudiciis in partibus.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Inhaerentes Concilii Tridentini decreto, quod iuxta constitutionem Papae Bonifacii VIII.¹ statuit, ut in Synodo dioecesana aliquot personae, dignitates aut personatus habentes seu ecclesiae cathedralis Canonici desig-

¹ Sess. XXV. cap. 10. de reform.

mentur deliganturque, quibus praeter locorum Ordinarios causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes auctoritate litterarum Sedis apostolicae vel Legatorum et Nuntiorum eiusdem committantur: sequentes viros, quibus causae delegentur iudicandae, donec altera Synodus habebitur, eligimus et electos declaramus, quos etiam, prouti oportet, Sedi apostolicae commendabimus. Quorum nomina ut supra.

Invitatio

Iudicium in partibus ad praestandum iusiurandum.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Mandamus, ut nominati a Nobis Iudices in partibus accedant coram Nobis iusiurandum qua tales praestituri.

Formula

iuramenti pro Iudicibus in partibus.

Ego N. N. promitto, spondeo ac iuro, me Iudicis in partibus officium, quod suscepi, quantum in me situm est, fideliter et sincere esse executurum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Commendatio

Iudicium in partibus Sedi apostolicae.

Praefatos Iudices in partibus propriis litteris de die 3. mensis Octobris anni labentis Sedi apostolicae commendavimus.

Sanctissime Pater!

A die 28. mensis Septembris usque ad diem 2. mensis Octobris anni dilabentis celebravi in civitate mea residentiali Marburgensi in ecclesia s. Aloysii, Seminarii clericorum episcopalis, Synodum dioecesanam.

In hac Synodo ad normam sacrosancti Concilii Tridentini (sess. XXV. cap. 10. de reform.) designati sunt subsequentes Iudices synodales seu Iudices in partibus:

Laurentius Herg, ut supra.

Ioannes Križanič, ut supra.

Carolus Hribovšek, ut supra.

Iosephus Pajek, ut supra.

Ioannes Mlakar, ut supra.

Rogo nunc enixe, quatenus Sanctitas Vestra hanc designationem ratam habere et in casibus obvenientibus praefatis Iudiciis causas ecclesiasticas ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandas committere dignetur.

Ad pedes Sactitatis Vestrae procumbens benedictionem apostolicam devotissime efflagito.

Sanctitatis Vestrae

humillimus et obsequentissimus servus

Michael,

Episcopus.

Marburgi, die 3. mensis Octobris 1896.



Decretum

de constitutis Consiliariis Iudicii ecclesiastici dioecesan.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Insistentes decretis Concilii Tridentini, iuxta quae in singulis dioecesibus constituenda sunt tribunalia ecclesiastica pro sacrorum canonum auctoritate et ecclesiastica disciplina tuenda et roboranda, notum facimus omnibus: Nos tale Iudicium ecclesiasticum dioecesanum pro causis cleri contentiosis nec non pro causis matrimonialibus diiudicandis sub praesidio Praepositi Capituli ecclesiae Nostrae cathedralis constituisse et sequentes viros huius Iudicii Consiliarios elegisse. Quorum nomina ut supra.

Invitatio

Consiliariorum Iudicii dioeceseani ad praestandum iusiurandum.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Mandamus, ut nominati a Nobis Consilarii Iudicii dioeceseani, hic praesentes, accedant coram Nobis iusiurandum qua tales praestituri. Consilarii absentes, qui in Synodo ex praescripto iusiurandum non praestiterint, illud praestent opportuno tempore; aliter munere suo fungi non permittuntur.

Formula

iuramenti pro Consiliariis Iudicii dioeceseani.

Ego N. N. promitto, spondeo ac iuro, me officium, quod qua Iudicii ecclesiastici dioeceseani pro causis cleri contentiosis nec non pro diiudicandis causis matrimonialibus Consiliarius suscepi, quantum in me situm est, fideliter et sincere esse executurum. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Decretum

indictionis primae Sessionis publicae.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Decernimus et indicimus, primam huius Synodi dioeceseanae Sessionem publicam fore crastina die, quae erit 29. mensis Septembris, mane hora septima. Cum ea ipsa die festum Dedicationis s. Michaelis archangeli celebrandum sit, gaudeamus in Domino, pie precantes, ut intercedente s. Michaelis archangelo, principe militiae coelestis, Synodum praesentem visitare, disponere et benedicere dignetur.

Datum in festo s. Wenceslai, die 28. Septembris 1896.

Decretum

indictionis secundae Sessionis publicae.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Decernimus et indicimus, Sessionem proximam et secundam fore crastina die mane, quae est 30. huius mensis Septembris, hora septima. Cum ea ipsa die festum s. Hieronymi Confessoris et ecclesiae Doctoris celebretur, laetemur et exulemus in Domino, suppliciter rogantes, ut intercedente maximo in exponendis s. Scripturis Doctore actiones nostras prosequatur, ut, quemadmodum de felici exordio gaudemus, de fausto quoque laetemur profectu.

Datum in festo s. Michaelis archangeli, die 29. mensis Septembris 1896.

Decretum

de officio mortuorum.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Decernimus et edicimus, cras pro episcopo in Domino requiescente Iacobo Maximiliano et pro omnibus clericis, qui post ultimam Synodum obierunt (48), sollemnem commemorationem fieri.

Decretum

indictionis tertiae eiusque ultimae Sessionis publicae.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Decernimus et indicimus, tertiam eamque ultimam huius Synodi publicam Sessionem fore feria VI., quae

erit dies 2. mensis Octobris, mane hora sexta. Insimul incidet festum s. Mariae de Cervellone, Virginis ordinis b. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis. Quam dum in Proprio Lavantino Virginem flagellis et catena corpus domantem, silentio et abstinencia animam custodientem et orationibus incessanter instantem praedicamus, exoremus Dominum ac Deum nostrum, ut ea interveniente actiones nostras, quas aspirando praevenire dignatus est, adiuvando propitius prosequatur, et ut cuncta nostra oratio et operatio per Eum coepta fructuose finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

Datum in festo s. Remigii Episcopi Confessoris, die 1. mensis Octobris 1896.

Decretum

de finienda Synodo.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Actis et absolutis omnibus singulis, quae, prout Spiritus suggestit, gerenda et constituenda videbantur in Domino, ut viva fides, pietas et disciplina ecclesiastica in clero et populo huius Nostrae dioeceseos, Deo largiente, conservetur et augescat — humillimas Deo omnipotenti, qui nos adiuvare et confortare dignatus est, gratias reddentes, Synodum Nostram dioecesanam concludendam esse decernimus et conclusam enuntiamus, ideoque omnes et singulos, in Synodo congregatos et abhinc sanctissimo Cordi Iesu consecratos et devinctos, dimittimus in nomine Domini.

Datum feria VI., quae est consecrata sanctissimo Cordi Iesu, die 2. mensis Octobris 1896.

Decretum

indictionis futurae Synodi.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Legi morique in sancta Dei ecclesia vigenti toto corde insistentes pro officio muneris Nostri episcopalis omnibus et singulis hic praesentibus notum facimus et declaramus, proximam Synodum, si Deus omnipotens et misericors permiserit, celebrandam fore anno futuro, prouti Concilium Tridentinum¹ sancit et urget, et quidem diebus a Nobis designandis et annuntiandis. Quodsi autem anno proxime sequenti supervenientibus impedimentis vix haberi possit, eam opitulante et miserante Deo alio haud praepedito anno contrahere intendimus.

Deus ipse pius et clemens, qui dispersa congregat et congregata conservat, benedicat nobis, ut prout in hac, sic etiam in futura Synodo exultemus et laetemur. Per Christum Dominum nostrum.

Datum feria VI. infra Dominicam XVIII. post Pentecosten, die 2. mensis Octobris 1896.

Decretum

de dimissione synodali.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus.

Ad gloriam omnipotentis Dei, ad laudem beatissimae Virginis Mariae ac sancti Michaelis archangeli, Nostri Patroni, et in honorem aliorum Patronorum decernimus Synodum dimissam. Hortamur autem omnes vos, fratres et filii dilectissimi, ut tales vos praebeatis in ministerio vestro, quales maxime decet sacerdotem ab omni munda-
narum cura segregatum, illudque maxime, cum redieritis, praestandum erit, ut populus omnes vos ab hac Synodo

¹ Sess. XXIV. cap. 2. de reform.

non mediocrem fructum reportasse intelligat, id quod fiet, si novo Spiritus sancti lumine illustrati, quae magna Synodorum est vis ac virtus, caeteris in omni opere vestro in posterum praelucere studueritis et in omni parte officii vestri omnem diligentiam adhibueritis.

Datum in festo s. Mariae de Socos, die 2. mensis Octobris 1896.

II.

Formulae synodales pro praxi.

Formula

instantiae Promotoris pro fidei professione.

Reverendissime Pater et Domine! Cavit sacrosanctum Concilium Tridentinum, ut omnes, qui beneficia ecclesiastica consecuti sunt quique Synodo interveniunt, fidei professionem faciant et praestent, prout illa Tridentina sanctione expressum est.

Ideo ego N. N. huius Synodi promotor humiliter peto et requiro, sanctionem illam legi et ad praescriptum ab iis, qui tenentur, omnia et singula praestari.

Respondet Episcopus: Ita fieri decernimus ac mandamus.

Formula

instantiae contra absentes, quam repetit Promotor, necessitante negligentia vel contumacia ad Synodum comparere obligatorum.

Reverendissime Domine! Cum iam dies et mensis venerit, quo tempore omnes et singuli ecclesiastici ordinis homines huius civitatis et dioecesis ad praescriptum legitime moniti Synodo huic iam praesentes esse debent; cumque multi non paruerint, sed usque adeo vel negligentes vel contumaces fuerint, ut neque praesentes adsint neque vero iusti impedimenti excusationem causamve aut nuntium miserint, ideo pro mei muneris officio N. N. huius Synodi Promotor eorum contumaciam accuso hocque iuste ad Reverendissimam Amplitudinem

Tuam, ut cum iisdem tamquam cum inobedientibus agi iubeat, ut canonicae subiiciantur disciplinae, prout iuris est, et sacrorum canonum ratio postulat.

Respondet Episcopus: Ita decernimus ac declaramus.

Formula

instantiae Promotoris pro rogitu Notarii faciendae.

Ego N. N. huius Synodi Promotor rogo Notarium synodalem, ut de omnibus et singulis in hac Sessione peractis unum conficiat Instrumentum iuridicum.

Respondet Episcopus: Conficiatur.

Respondet Notarius: Conficiam praesentibus testibus N. N. et N. N.

Formula

instantiae pro electione Iudicum et Examinatorum.

Reuerendissime Pater et Domine! Concilium Tridentinum Bonifacii VIII. constitutioni inhaerens decrevit, ut in conciliis dioecesanis aliquot personae, dignitates aut personatus habentes seu ecclesiarum cathedralium Canonici designentur deliganturque, quibus praeter locorum Ordinarios causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes, auctoritate litterarum Sedis apostolicae vel Legatorum eiusdem committantur. Decrevit insuper alia constitutione, Examinatores in dioecesana Synodo ab Episcopo ad minus sex proponi debere, ut in parochialium ecclesiarum vacatione tres ex illis ab Episcopo deligendi cum eo examen perficiant.

Quamobrem ego N. N. huius Synodi Promotor humiliter peto et insto, tot personas, quot et quales constitutiones praedictae postulant, et alioquin ad id aptas a Reverendissima Amplitudine Tua designari, ita, ut in hac Synodo pro huius dioecesis amplitudine Examinatores et Iudices deligantur, qui huiusmodi munus examinandi iu-

dicandive ex praescripto decretorum Concilii Tridentini praestent omnino.

Respondet Episcopus: Ita volumus ac mandamus.

Formula

instantiae pro decretorum lectione.

Reuerendissime Pater et Domine! Quo diligentior et cumulator sit dioecesanorum omnium decretorum iam editorum et adhuc edendorum observantia ad huius ecclesiae Lavantinae rationem bene gerendam, ego N. N. huius Synodi Promotor a Reverendissima Amplitudine Tua peto atque insto, sive rursus promulgari, sive monita eorum executionis de suggestu, ut moris est, et alia omnia edici et enuntiari, quaecunque in hac Synodo dioecesana pro prudentia et charitate Sua clero huic dioecetano edici aut promulgari constituit, quo idem clerus instructor in dies fiat et sollicitudinis studio inflammator sit ad omnem ecclesiasticae disciplinae rectam cumulatamque executionem perpetuamque observantiam.

Respondet Episcopus: Ita fieri decernimus.

Formula

instantiae pro continuanda lectione decretorum.

Reuerendissime Pater et Domine! Cum ea, quae coepta sunt legi, clero sint valde utilia neque potuerint angustia temporis absolvi, ego N. N. huius Synodi Promotor peto et insto, ea legi, quae desiderantur, antequam dimittantur Synodales.

Respondet Episcopus: Promulgari iubemus.

Formula

instantiae pro conclusione Synodi.

Reuerendissime Pater et Domine! Cum omnia, quae in hac dioecesana Synodo agenda et tractanda erant,

divina auxiliante gratia ad praeoptatum finem perducta sint, illud a Reverendissima Dominatione Tua peto ego N. N. huius Synodi Promotor, ut ipsam Synodum concludere et cum benedictione dimittere dignetur.

Respondet Episcopus: Ita decernimus et declaramus.

Formula

instantiae pro indictione futurae Synodi.

Antiquo canone cautum est, ut proximam Synodum dioecesanam in publica Sessione finali Episcopus indicet, ideo ego N. N. huius Synodi Promotor humiliter insto, Synodum dioecesanam proxime futuram in hoc synodali conventu omnibus, qui interesse debent, pronuntiari et indici.

Respondet Episcopus: Ita decernimus et ordinamus.

Formula

pro Procuratore cleri.

Reverendissime Pater in Christo et Domine! (Pro rebus a clero propositis formet Procurator libellos supplices, et legat modo conformi).

Libellus supplex

Procuratoris cleri secundae Synodi dioecesanae.

Reverendissime Pater in Christo et Domine!

Accedit cum fiducia ad Paternitatem Tuam clerus Lavantinus et cum debita modestia et reverentia exponit vota et desideria sua. Sunt autem haec.

1) Cum hesternae die Dedicationis sancti Michaelis archangeli nonnulli parochi, quibus incumbit officium applicandi pro populo huic officio, utpote in Synodo congregati satisfacere haud valuerint, quaerunt, an obligati sint proxima libera die applicationem supplere an non? Quapropter ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, humi-

liter peto et insto apud Reverendissimam Amplitudinem Tuam, ut de hac re benignissime decernere dignetur.

2) Synodi sodales quaestionem moverunt, possintne Missae pro populo applicandae in sic dictis festis abrogatis licite aliis sacerdotibus ad persolvendum dari? Hinc ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, hanc quaestionem humiliter Reverendissimae Amplitudini Tuae propono atque peto et insto, ut decisionem procurare dignetur.

3) Pro exercitiis spiritualibus tam salubribus, imo et necessariis tale tempus definiatur, quo clerici aliis non detinentur negotiis utique etiam expediendis. Hinc ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, humiliter peto et insto apud Reverendissimam Amplitudinem Tuam, ne respectu praeprimis catechetarum scholarum ruralium habeantur ista exercitia ante diem 15. Septembris. Quoad locum peto et insto, ut Reverendissima Amplitudo Tua alternatim seminarium clericorum episcopale Marburgi et balneas Aquarum acidularum ad Rogandum pro exercitiis instituendis benigne designare dignetur.

4) Cras instat prima dies a Summo Pontifice Leone XIII. toties commendatae devotionis sanctissimi Rosarii marialis. Quapropter ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, peto ac insto, ut dignetur Amplitudo Tua Reverendissima statuere, intra sanctam Missam privatam cras celebrandam a praesentibus sodalibus secundae Synodi Lavantinae clara voce recitandam esse ss. Rosarii partem primam nec non dicendas esse Litanias Lauretanas (absque Kyrie in fine), adiecta tamen Oratione praescripta in honorem sancti Ioseph sponsi B. M. V., dandamque esse in fine a Celitudine Tua benedictionem cum sanctissimo Sacramento, in ostensorio custodito.

5) Tristis experientia docet hinc inde sacerdotes sine scripto testamento decedere et exinde dolendas admodum exurgere difficultates. Hinc ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, humiliter peto et insto apud Amplitudinem Tuam Reverendissimam, ut occasione canonicae visi-

tationis singulos sacerdotes interrogare dignetur, utrum testamentum legibus ecclesiasticis et civilibus conforme paratum habeant. Locum repositionis testamenti sciat Decanus districtus illius, utpote cui incumbit cura de testamento vi »Instructionis« pro Decanis exaratae (punctum sextum) nec non cura pro persolutione Missarum nondum persolutarum.

6) Nonnulli synodales in votis habent clericis alumnis ob conservandam firmiorem valetudinem dandum esse ientaculum calidum.


7) Quoad institutionem in arte christiana et archeologia ecclesiastica magni esset momenti, si aliquot Marburgi degentes sacerdotes experti quasi Commissio designarentur, quorum consilium expetendum esset pro casu necessitatis a sacerdotibus in negotiis huc pertinentibus peragendis. Hinc ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, humillime peto ac insto apud Amplitudinem Reverendissimam Tuam, ut talem Commissionem pro arte christiana fovenda designare dignetur.

8) Cum in diversis ecclesiis Litaniae omnium Sanctorum cum aliquibus additamentis recitentur, quae in aliis ommittuntur, hinc ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, humiliter peto et insto apud Amplitudinem Tuam Reverendissimam, ut benigne statuere et decernere dignetur, ne qualiscumque disparitas in Litaniis persolvendis permittatur.

9) Sessio publica finalis pro die 2. Octobris hora sexta matutina indicta est. Cum vero plures clerici synodales, qui via ferrea domum reversuri sunt, vota sua exposuerint, ut haec Sessio finalis eadem die hora quinta aut saltem dimidia sexta matutina inchoaretur, quo commodius domum reverti possint, hinc ego Iosephus Heržič, Procurator cleri, peto et insto apud Reverendissimam Paternitatem Tuam, ut hoc votum perpendere benigne dignetur.



Pars quarta.



Constitutiones synodales.



Approbatio sollemnis

Constitutionum synodaliū.

MICHAEL,

Dei gratia et miseratione Princeps-Episcopus Lavantinus
et s. Theologiae Doctor.



Quum divina favente clementia Synodum dioecesanam diebus synodalibus 28., 29. et 30. mensis Septembris nec non 1. et 2. mensis Octobris anno ab Incarnatione Domini 1896 cum maxima cordis consolatione celebrasse Nobis contigerit, laetabundi Synodi istius Constitutiones salutare hisce approbare et publicare volumus, in quantum canonicis non obviant institutis.

Unica Nos novum vitae spiritualis fontem aperientes timoris subit cogitatio, ne scilicet, quae ad fidem amplificandam, ad pietatem fovendam, ad cleri populiue salutem promovendam, generatim quae ad bonum fundandum et ad malum eradicandum condita sunt, ullius culpa frustrentur, adeoque illa ipsa, in quibus a Domino potius remunerari desideramus, incuriae reatum et damnationis periculum provocasse videantur. Quod utinam nunquam eveniat! Cui provideat Deus!

Ideoque monemus in Domino dilectum clerum, ut fidelissima Constitutionum synodaliū observantia prae-lucens tum propriae sanctificationis augmentum tum reforescentis agri dominici solamen ac meritum acquirere connitatur. Item commonemus et adiuramus per charitatem Dei per dilectum gregem, ut quod pastores ipsi suggerunt ad salutem, gratus docilisque accipiat, non ut verbum hominum, sed sicut eloquium ministrorum Dei.

Itaque exquisito auditoque collegialiter congregati Capituli Nostri cathedralis consilio nec non accedente as-

sensu totius Synodi, ita ut facilius et efficacius ad executionem deducantur statuta dioecesana, quibus cleri universitas assenserit, in nomine sanctissimae et individuae Trinitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, Nos, auctoritate propria utentes, ad Dei adorationem et gloriam, ad laudem praecelsae Virginis ac Matris Mariae et in honorem nostrorum Patronorum s. Michaelis archangeli, s. Ioannis Baptistae, b. Ioseph et s. Andreae apostoli pro christiana morum disciplina reformanda, qua clerum populumque curae Nostrae episcopali concreditum eminere in Domino vehementer cupimus, in Synodo Nostra decernimus et declaramus, sancimus et constituimus sollemni ritu, praecipimus, iubemus ac mandamus sub merito salutaris obedientiae, haec, quae sequuntur, statuta.

Omnes et singulae leges in Nostra dioecesana Synodo latae plenam obligandi vim consequentur a die prima mensis Maii anni venturi 1897. Constitutionum synodali-um exemplar peculio singularum ecclesiarum curialium acquirendum esse iniungimus. Insuper in votis habemus et desideramus, ut clerici statutorum synodali-um codicem sibi emant. Ne autem editae Constitutiones in oblivionem veniant, clericos paterno affectu hortamur, ut synodalia decreta crebro pervolvant, memoriae mandent, Nobisque dioecesim et Decanis territoria sua visitantibus exactam de illis rationem reddant. Qua in causa vestigia sectamur Antonii Mariae Gratiani, episcopi Amerini, qui in sua Synodo anni 1595 idem statuit, addendo: »Nam quemadmodum magnopere illi collaudabuntur, quos studiose in eorum (statutorum) lectione versatos intelligemus, ita quorum notabilis negligentia tarditasque visa fuerit, pro eorum merito acriter a nobis corripientur atque obiurgabuntur«.¹

Dabamus in residentia Nostra Princ.-Episc. Marburgi, die 2. mensis Octobris 1896.

¹ Bened. XIV. de syn. dioec. lib. XIII. cap. 5. num. 14. — Romae, 1755. pag. 483.

Constitutiones synodales.

Notio praevia.

Benedictus XIV., Pontifex post hominum memoriam doctissimus, quaerit in absolutissimo suo de synodo dioecesana tractatu, quonam nomine dioecesanae synodi statuta et decreta sint appellanda? Adducens sententiam, illa non posse nominari constitutiones, ipse respondet: »Plane non videmus, cur constitutionis vocabulum nequeat cum omni proprietate aptari decretis, in synodo editis ab Episcopo. Quare concludendum est, synodos . . . dioecesanas, modo nomen canonis non adhibeant, nulla ratione prohiberi, ne sua statuta et decreta *Constitutiones* inscribant, quas quidem Constitutiones, quod a plerisque factum deprehendimus, expedit, ut ad maiorem legentium commoditatem in congruos titulos distribuant, et titulos in capita dividant.«¹

Cui sapienti consilio obsecuti Nostrae Synodi Constitutiones in sequentes titulos discernimus hosque in succedentia capita dispescimus.

Titulus primus.

De fide et doctrina catholica.

Caput I.

De fide catholica servanda eiusque tuendae cura.

Universa, qua late patet, dioecesi sexennio episcopatus Nostri perlustrata cum iucunditate accepimus, populum Nostrum in fide catholica bene

¹ Op. cit. lib. I. cap 3. num. 5. — Edit. Rom. 1755. pag. 10.

esse instructum hancque altas in eo egisse radices, quo fit, ut ab eo Dei servantur praecepta, sanctuaria frequententur, sanctificentur sabbata, sacramenta suscipiantur, tota etiam dioecesi singularis erga sanctam Deiparam Mariam veneratio celebretur.

Nihilominus cum plura in dies et graviora fidei pericula populo christiano undique imminere videamus, neque in ipsa dioecesi Nostra deesse, quorum mores non ex „*fide, quae per charitatem operatur*“ (Gal. 5, 6), sed „*ad desideria carnis*“ (ibidem 5, 16) instituantur, omni fere die experiamur, pro pastoralis, quo Dei favente clementia potimur, officio omittere non possumus, quin in ipso capite Constitutionum Synodi Nostrae dioecesanæ animarum pastores sollerter moneamus et in Domino adiuremus, ut his fidei periculis adiumenta fidei, cum sint multa, pro virili parte colligant ac suis quisque ovibus ex animo praestent.

Quo in munere ipsum imitabuntur Christum, qui cum viveret, „*circuibat omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum et praedicans evangelium regni*“ (Matth. 9, 35); et cum modo moreretur: „*Pater sancte, inquit (Ioan. 17, 11), serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos*“, neque cum coelos ascenderet, alio consilio apostolis suis praecepit: „*Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*“. (Marc. 16, 15 sq.). Ex quo perspicuum est, uti evangelium Christi discipulis suscipiendum, ita ministris Christi esse dispensandum. „*Hic iam, inquit ad rem apostolus (I. Cor. 4, 2), quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*“ — fidelis doctrina Christi ministranda, dispensandis mysteriis Dei.

»Quoniam vero«, ut Patres Vaticani¹ docent, »sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum eius consortium

¹ Sess. 3. de fid. cath. cap. 3.

pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit iustificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum ecclesiam instituit suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci».

Atqui de hac utriusque necessitate, fidei scilicet, qua salus subiective inchoatur, et ecclesiae, qua obiective praedicatur, multi et varii errores in orbe christiano circumvagantur et licet in dioecesi Nostra non multos esse gratulemur, qui eis inficiantur, curare tamen debemus et praecavere, ne simpliciores qui sunt fideles illorum exempla imitati, in fide periclitentur ac „*suave Christi iugum*“ abiiciant et „*leve onus eius*“ dimittant. (Matth. 11, 30). Neque enim hoc fidei periculum parvi quisquam ducere debet, cum id voce et calamo in dies augeatur eique libri, scholae, comitia ipsa adminiculum praestent.

Cui ut in tempore occurramus, armis, quae ipsa fides praebet, atque in primis verbo Dei animarum pastores uti oportet, quo e sacro suggestu, sive in concione sive in catechesi, animos fidelium positive veritatis christianae robore imbuant, et negative, quae ei opponuntur, rationis humanae commenta in errore convincant. Quod ut sibi prospere procedat, sacrae Scripturae vel singulas paginas, ss. Patrum volumina, sensum ecclesiae dogmatum ac generatim rerum divinarum scientiam probe calleant necesse est.¹ Quemadmodum vero in his lectione sua et continua meditatione diu noctuque versari debent, ita etiam maxima cum utilitate scriptis virorum, qui pietate et doctrina in ecclesia praeceunt, uti poterunt. Circumstantias etiam et indigentias temporum et locorum evangelii praecones negligere non licet,

¹ Syn. prov. Ultraiect. an. 1865. tit. 3. cap. 5. — Acta et decreta sacrarum conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis. Friburgi Brisgoviae, 1879. Tom. V. col. 807.

ut quae peculiari ratione sibi exponenda atque inculcanda sint, vere sciant, quo mala, quibus ii, qui audiunt, magis inficiantur, magis strenue etiam propulsent.

Ad rem Pius PP. IX. concionatores monet, ut »sanctissima religionis nostrae dogmata et praecepta, iuxta catholicae ecclesiae et Patrum doctrinam, gravi ac splendido orationis genere, populo clare aperteque annuntient; peculiaria singulorum officia accurate explicant, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles Dei verbo salubriter refecti, vitia omnia declinent, virtutes sectentur atque ita aeternas poenas evadere et coelestem gloriam consequi valeant».¹

Ne vero sacri oratores res, quae saecularia respiciunt et inter laicos non sine partium studio tractari solent, et personas vel generatim parochianorum vel speciatim ipsorum attinent, sacro loco pertractent, stricte prohibemus, quippe cum vel turpe lucrum sapiant vel rixas causent. »*Multum enim*, s. Paulus (II. Tim. 2, 16) inquit, *proficiunt ad impietatem*». Unde etiam »omnino a christianis suggestibus vaniloquia illa arcenda sunt, quae de theoreticis potius rebus quam practicis pertractant; de civilibus potius quam religiosis; maioris videlicet speciei quam fructus; quae proinde ephemeridum palaestris aulisque academicis apta forte erunt; at vero a loco sancto prorsus absona».² »*Nos autem*, cum apostolo (I. Cor. 1, 23), *praedicamus Christum crucifixum*«, quin potius »*Christum Dei virtutem et Dei sapientiam*«. (Ib. 1, 24).

Iam signum quoddam huius intentionis et quasi documentum publicum ea est fidei professio, quam ut animarum pastores data occasione emittant, decreta ss. conciliorum et summorum Pontificum³ constitutiones exigunt. Igitur Nos decreto concilii Tridentini⁴ insistentes

¹ Litt. encycl. die 9. Novemb. 1846.

² Litt. encycl. Leonis PP. XIII. iussu die 31. Iulii 1894 editae.

³ Pius IV. »*In sacrosancta*« die 3. Novemb. 1564; Leo XII. »*Quod divina*« die 26. Sept. 1825. — ⁴ Sess. XXIV. c. 12. de reform.

statuimus et praecipimus, ut professionem fidei catholicae, forma a S. P. Pio IV. praescripta et concilio Vaticano aucta, emittant

a) promoti ad canonicatum et dignitatem in ecclesia cathedrali, antequam publice installentur;

b) provisi de beneficiis, quibus cura animarum coniuncta est;

c) Examinatores synodales, Rectores seminariorum, Professores s. Theologiae, institutionis religiosae Professores in c. r. gymnasiis et generatim in scholis, quae ad ea secundum communem aestimationem proxime accedunt. Utrum vero alii etiam sacerdotes, e. gr. qui in episcopali cancellaria suo munere funguntur, professionem istam fidei emittere debeant, in singulis casibus decernemus.

Neque vero animarum pastores fidem catholicam theoretice solum et e sacro ambone, sed practice etiam et quasi vita sua in sua quisque parochia servare ac tueri debent, secundum illud: verba movent, exempla trahunt. Igitur christiana pietas, sacris verbi Dei praeconibus necessaria, etiam in exteriori agendi ratione fulgeat necesse est, neque quidquam in eorundem vita cum traditis e suggestu documentis pugnare debet; »secus enim«, ut s. Thomas Aquinas¹ animadvertit, »si doctrina est bona et praedicator malus, ipse est occasio blasphemiae in doctrinam Dei«.

Unde animarum pastores, ut ipsi eorum, quorum fides vel mores suspicionem movent, necessitudine non utentur, sic subditos suos, ut ab eisdem, quantum charitas christiana patitur, arctiori praesertim commercio abstineant, cum prudentia commonefacient. In primis vero eosdem hortabuntur, ne ulli religionis actui, quo in rebus fidei participatio vel communio in sacris cum haereticis exercetur, unquam intersint, ideoque ne quis haereticorum concionem audiat, patrinum in baptismo eorum agat, matrimonium quod vocant mixtum contrahat.

¹ Commentar. in Matth. 5.

Vehementer etiam optamus, ne fideles ulli ex eis famulentur, qui in fidem catholicam linguam acuunt, divino eos cultu prohibent vel generatim, quominus praeceptis ecclesiasticis sufficiant, eos impediunt. Sancta namque mater ecclesia, etsi nunquam rogare desistat, ut »*regnum Dei adveniat*« (Matth. 6, 10), et »*unum ovile et unus pastor fiat*« (Ioan. 10, 16), ab eo tamen hominum consortio, ex quo fidei detrimentum capere possint, filios suos ex industria arcet atque aegre fert iniuriam vel legis vel consuetudinis, qua parentes liberos suos eis instituendos tradunt, a quibus ne eisdem fidei periculum immineat, ipsa iure timet.¹

Gravis quoque fidei iactura eis saepe imminet, qui Iudaeis inserviunt. Hoc ecclesia vetat² et rarissime, cum scandalum et perversionis periculum removeatur, tolerari posse declarat. A diversoriis Iudaeorum et negotiationibus, nisi forte necessariae sunt, catholici fideles abstineant, contra semet ipsi mutuis adiuvere auxiliis debent, cum domestici sint fidei.

Id etiam animarum curiones cum diligentia et circumspecti cavebunt, ne sodalitates, quae cum finem culturae popularis promovendae habere videantur, hunc vero parum curant, sed ad choreas magis agendas et laetitias communes aliaque bonorum morum pericula offerenda vires intendunt, a parochianis frequententur. Nihil enim eis praebent, nisi occasionem temporis terendi, pecuniae proiciendae, salutis terrenae vel etiam aeternae perdendae.³

Denique cum aevum nostrum libris abundet et foliis periodicis, invidia rei catholicae plenis, nullum inter fideles fugit, quanta ex eis, nisi arceantur, et fidei et morum pericula evenire possint. Cum vero a fidelibus

¹ Syn. prov. Ultraiect. t. 3. c. 2. — Edit. cit. col. 801.

² Bened. XIV. encycl. „A quo primum“ die 14. Iun. 1751.

³ Cfr. s. Congregationis Episcoporum et Regularium instructionem „Quibus Hungaria“ de die 28. Maii 1896. art. X.

vix vel ne vix quidem arceri possint, animarum pastores suos non solum, ne pestifera huius modi volumina emant et legant, adhortari possunt, sed etiam, ut eis boni libri e. gr. in bibliotheca parochiali praesto sint, omnem navare operam ac folia, si quae frugi sint, legenda eis vel etiam emenda curare debent. Quod ut obtineatur, admodum etiam expediet, si catholicae consociationes, iam pluribus in locis utiliter institutae, latius propagentur.¹ In primis vero, si quae institutioni religiosae mutua quoque auxilia materialia iungunt, hae e. gr. collationes s. Vincentii a Paulo, sodalitates opificum adiutorum ac generatim operariorum catholicae ut in originario vigore conserventur, et si cui opus est, quam primum restituatur, magno opere desideramus.

Haec si aliave adminicula fidei animarum pastores opportuno tempore adhibeant atque assiduam eis pro suis orationem iungant, in Deo sperare possunt, ut oves suae suam vocem audiant seque continuo sequantur, neque eas quisquam rapiat de manu sua. (Ioan. 10, 28).



Caput II.

De clericorum circa res politicas agendi ratione.

Ariter ventilatur hisce diebus quaestio, utrum sacerdos, in cura animarum constitutus aut alio munere publico fungens, res politicas agere debeat et possit, annon. Divergentia de hoc themate circumferuntur placita. Sunt, qui putent, res politicas omnino non tangere sacerdotem, imo pro ipso quasi non existere debere. Dantur, qui affirmant, vocationi clericali haud adversari, si sacerdos more ac modo laicorum absque discrimine negotiis occupetur politicis.

¹ Ibidem artic. V. — Quoad bibliothecas parochiales cfr. Lavanter Conferenz-Schluss-Protocoll de die 6. Decembr. 1887. num. XXXIX. pag. 1—4.

In medio virtus. Sacerdos, doctor et ductor animarum, penitus partium studio se tradere nequit. „*Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.*“ (II. Tim. 2, 4. 5). Beatissimus in Deo Pater Leo XIII. scribit in epistola de die 8. mensis Decembris 1882 ad episcopos Hispaniae: »Profecto, sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana quam coelestia curare videantur, non est secundum officium. Cavendum igitur sibi esse intelligant, ne prodeant extra gravitatem et modum.«

Itaque sacerdos ne sit adeo deditus rerum politicarum studio, ut hocce evadat obiectum eiusdem curae atque occupationis principale, sicque eum in explendis officiis status sui et ordinis impediat. Grex enim fidelis a pastore suo non in rebus profanis, sed in sacra fide vitaeque christiana potissimum instrui vult. Caveat igitur fidelium pastor, ne occasione functionum ecclesiasticarum loquatur de causis civilibus, neve ulli politicae factioni adhaereat neve plus iusto et aequo uni alterive parti patrocinari videatur.

Attamen sacerdos, quamvis illi non expediat, prae omnibus se immiscere rebus politicis, indifferens prorsus esse nec debet nec potest quoad rerum politicarum statum. Vigil sit oportet animarum curator, ne falsa iudicia principiaque in parochia propagentur et dominantur; sollicitus sit necesse est observator, ne malae ac perversae sentiendi agendique rationes irrepanant, religioni catholicae haud minus, quam ordini civili periculosae et nocivae.

De iis autem, quae religionem attingunt, disponit et statuit ecclesia catholica, quae dux hominibus debet esse ad coelestia.¹

Romanus Pontifex est Vicarius Christi totiusque ecclesiae caput et omnium christianorum Pater et Doctor,

¹ Encycl. „Immortale Dei“ de die 1. Novembris 1885.

et qua talis gaudet plena potestate pascendi, regendi ac gubernandi universam ecclesiam; erga quam potestatem pastores atque fideles officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen ecclesiae pertinent. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.¹

Romanus Pontifex totius ecclesiae magister est et princeps, Episcopi autem rectores et capita sunt ecclesiarum, quas rite singuli ad gerendum acceperunt. Eis in sua cuique ditione ius est praeesse, praecipere, corrigere, generatimque de iis, quae e re christiana esse videntur, decernere. Participes enim sunt sacrae potestatis, quam Christus Dominus ecclesiae suae reliquit. Ex quibus elucet, adhibendam esse adversus Episcopos reverentiam praestantiae muneris consentaneam, in iisque rebus, quae ipsorum potestatis sunt, omnino obtemperari oportere.²

Ex sequentibus facile desumetur, quaenam a legitima potestate, nempe a romano Pontifice et ab Episcopis, de clericorum agendi ratione circa res politicas et generatim de regimine ecclesiae statuta sint.

Quae ex litteris encyclicis et epistolis sanctissimi Patris nostri Leonis XIII. allegantur, verbatim huc translata sunt, sola interdum ob contextum interruptum constructione immutata.

Hinc quoad civilem vivendi disciplinam ex doctrinis, quas ecclesia catholica probat, sequentes normae ad conscientiosam observationem proponuntur.

Maiestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur; pollent enim, qui imperant, auctoritate

¹ Conc. Vat. sess. 4. cap. 3.

² Ep. encycl. Leonis PP. XIII. „Cum multa“ de die 8. Decemb. 1882.

a Deo data. Spernere potestatem legitimam non magis licet, quam divinae voluntati resistere.¹

Sancta ecclesia catholica, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, societas supernaturalis est, genere et iure perfecta, cum adiumenta, ad incolumitatem actionemque suam necessaria, omnia in se et per se ipsa possideat.² Erronea ergo est doctrina dicentium, civilis potestatis esse definire, quae sint ecclesiae iura et limites, intra quos eadem iura exercere queat.³

De iis igitur, quae religionem attingunt, videt ecclesia ipsa et statuit remque christianam iudicio suo administrat.⁴ Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem.⁵ Inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio.⁶ Quidquid est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animarum cultumve Dei pertinet, id est omne in potestate arbitrioque ecclesiae.⁷

Catholicorum hominum operam rerum urbanarum administrationem et adolescentium ad religionem atque ad probos mores informationem nec non ipsam summam rempublicam complecti utile est atque honestum. Nullam velle rerum publicarum partem attingere esset in vitio; catholicis ipsis otiosis facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud magnam afferant.⁸

¹ Encycl. „Immortale Dei“ de die 1. Novemb. 1885. — Sanctissimi Domini nostri Leonis Papae XIII. Allocutiones, Epistolae, Constitutiones aliaeque Acta Praecipua. Volumen I. (1878—1882). Typis Societatis Sancti Augustini. Desclée, de Brouwer et Soc. Brugis et Insulis, 1887. — Volumen. II. (1883—1887). Ibidem editum 1887. pag. 148. — Volum. III. (1887—1889). Ibidem 1893. — Volum. IV. (1890—1891). Ibidem 1894.

² Ibidem. edit. cit. vol. II. pag. 150.

³ Syllabi Pii PP. IX. de die 8. Decemb. 1864 propositio XIX. — P. Clemens Schrader S. I.: „Der Papst und die modernen Ideen“. Vindobonae, 1866. Tom. I. pag. 23.

⁴ Encycl. „Immortale Dei“ de die 1. Novemb. 1885. Edit. cit. vol. II. pag. 151.

⁵ Ibidem. vol. II. pag. 152. — ⁶ Ibidem. vol. II. pag. 152. — ⁷ Ibidem. vol. II. pag. 153. — ⁸ Ibidem. vol. II. pag. 165.

Catholici utantur institutis populorum — nempe administratione communitatum, collegiis ad scholas sustentandas et gubernandas destinatis, societatibus ad scientias colendas determinatis, collegiis artificum et scriptorum, comitiis pro legibus proponendis, societatibus literariis — dentque operam, ut ad christianam formam omnis respublica traducatur.¹

Si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio.²

Statuere vero, quae sint doctrinae divinitus traditae, ecclesiae docentis est.³ Concordia animorum requirit et voluntates postulat ecclesiae romanoque Pontifici perfecte subiectas.⁴

In constituendis obedientiae finibus nemo arbitretur, ecclesiasticae auctoritati parendum in eo tantummodo esse, quod ad dogmata pertinet; sed hoc est praeterea in officiis christianorum ponendum, ut potestate ductuque episcoporum imprimisque Sedis Apostolicae regi gubernarique patiantur.⁵

Non pauci fallaci studio permoti, res in ecclesia geri suo ipsorum iudicio vellent usque eo, ut omne, quod secus agitur, moleste ferant. Hoc est non sequi potestatem legitimam, sed praevertere.⁶ Haec dispositio tanto magis valere in christiana republica debet, quanto Pontificis politica prudentia plura complectitur: eius enim est non solum regere ecclesiam, sed generatim civium christianorum actiones ita ordinare, ut cum spe adipiscendae salutis aeternae apte congruant.⁷

Ex quo apparet, praeter summam sententiarum concordiam et factorum necesse esse politicam potestatis eccle-

¹ Ibidem. vol. II. pag. 166. — ² Ibidem. vol. II. pag. 167. — ³ Encycl. „Sapientiae christianae“ de die 10. Ian. 1890. vol. IV. pag. 15. — ⁴ Ibidem. vol. IV. pag. 15. — ⁵ Ibidem. vol. IV. pag. 16. — ⁶ Ibidem. vol. IV. pag. 21. — ⁷ Ibidem. vol. IV. pag. 22.

siasticae observare in agendo sapientiam. Iam vero christianae rei administratio proxime, et secundum Pontificem romanum, ad Episcopos pertinet: qui scilicet, quamquam pontificalis fastigium potestatis non attingunt, sunt tamen in ecclesiastica hierarchia veri principes. Propterea quemadmodum Episcopis necessaria est cum apostolica Sede in gerendo episcopatu coniunctio, ita clericos laicosque oportet cum Episcopis suis coniunctissime vivere, agere. Nemo privatus arroget sibi circa negotia Episcoporum personam iudicis, quam Christus Dominus illi imposuit uni, quem agnis et ovibus praefecit.¹ Ut summum in gravi aliqua conquerendi materia concessum est rem totam ad Pontificem romanum deferre, id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut obiurgando.²

Convenit porro in causa gravi et nobili, nempe in defensione veri rectique, modum adhibere defensionis aequae nobilem et gravem. Scilicet pulchrum est eos, qui catholicum nomen defendunt, prae se ferre veritatis amorem constantem; sed simul oportet nihil eosdem suscipere, quod bono cuiquam viro iure displiceat, neque ulla ratione temperantiam deserere, quae cunctarum comes debet esse virtutum. In quo defensionis studio nemo sapiens probaverit aut stilum vehementem plus, quam satis est, vel quidquam vel suspiciose dictum, vel quod temere a personarum obsequio indulgentiaque discedere videatur.³

Hinc illis tantum ecclesiasticis viris tribuamus veniam adeundi populares conventus, in quibus magno animarum aestu de causa publica disputatur, in quorum potissimum sapientia confidimus, et in quibus maior

¹ Ibidem. vol. IV. pag. 22.

² Epist. Leonis XIII. „Est sane modestum“ ad archiepiscopum Turonensem de die 17. Dec. 1888. vol. III. pag. 185.

³ Epist. Leonis XIII. „Cognita Nobis“ ad episcopos provinciae Mediolanensis, Taurinensis et Vercellensis de die 25. Ian. 1882. vol. I. pag. 252.

aetas ac usus rerum effecit, ut prudentia, consilio et auctoritate possint multitudini duces esse.¹

Munus vel officium mere civile e. gr. in communitate, in districtu, nemini sacerdotum licet suscipere, quin prius facultatem ad id ab Episcopo obtinuerit. In electionum negotio vitandum, ne sacerdotes eorum partes sequantur, qui tamquam filii inobedientiae auctoritatem spernunt ecclesiasticam. Serio praecipimus in Domino, ut quicumque de clero sive ipse aspirat sive proponitur ab aliis, antequam candidaturam pro tali electione ad assembleas legislativas suscipit, Episcopum de hoc gravi negotio certiolem reddat, et nihil ulterius attentet, priusquam illius consensum et actionis veniam obtinuerit. »Quod in muneribus suis insumunt operari, qui sunt ex ordine cleri, tum sciant maxime fructuosum sibi proximisque salubre futurum, si se ad imperium eius nutumque finxerint, qui dioecesis gubernacula tenet.«² »*Vir obediens loquetur victorias . . . Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Equus paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.*« (Prov. 21, 28—31).

Hac ratione et via sacerdotalis ordo tamquam in specula communis salutis et in praesidio reipublicae ab Antistite collocatus, magnas patriae utilitates in iis, quibus iactatur fluctibus est allaturus.³ Nihil agant sacerdotes in negotiis politicis ad salutem animarum cultumve Dei pertinentibus nisi consulto et annuente Episcopo.⁴

De selectu ephemeridum recipiendarum tum clerici tum laici consiliariam adhibeant fidem; respuendas autem

¹ Epist. Leonis XIII. „Novum argumentum“ ad archiepiscopum Dublensem de die 1. Ianuar. 1883. Edit. cit. vol. II. pag. 3.

² Leon. XIII. epist. de die 8. Decembris 1882 ad episcopos Hispaniae. — Acta et statuta Synodi dioecesanæ Lavantinae . . . anno Domini 1883 celebratae. Marburgi, 1883. pag. 58.

³ Epist. Leonis XIII. „Novum argumentum“ de die 1. Ianuar. 1883. Edit. cit. vol. II. pag. 3.

⁴ Conc. Provinc. Turonense celebratum anno 1849.

meminerint tum illas, quae a Summo Pontifice vel ab Ordinario loci fuerint prohibitae. Ut ab ea corruptela fideles arceantur, parochi alique animarum curiones omni cura et severitate invigilabunt. Bonae ephemerides calamo, consiliis et aere iuvandae sunt. Eiusmodi scriptis optimis multum sane in omnibus gentibus esttribuendum ad utilitates rei sacrae et civilis, sive quod eas proxime tutentur et augeant, sive quod adversariorum in ipsarum damna nitentium elidant scripta et contagionem impuram coërceant.¹

Quae praemonita teneri atque observari mandamus in virtute sacri obsequii et sub merito salutaris obedientiae. „*Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo. Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam, quae praecipimus, et facitis et facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei et patientia Christi*“. (II. Thess. 3, 3—5).

Caput III.

De quaestione sociali expedienda.

uaestio socialis, quae orbem commovet et »exercet ingenia doctorum, consilia prudentum, conciones populi, legumlatorum iudicium, consilia principum«,² non ordinem tantum attingit oeconomicum et socialem, sed cum in principiis primis tum in ultimis consequentiis moralem quoque et religiosum. »Nihil siquidem socialismus cessat in religionem et in rempublicam turbulenter moliri; humana aequae ac divina miscere iura, atque evangelicae providentiae excidere beneficia quotidie contendit«. ³

¹ Encycl. Leonis XIII. „Cum multa sint“ de die 8. Decembris 1882. Edit. cit. vol. I. pagg. 305—307.

² Leonis XIII. litt. encycl. „Rerum novarum“ de conditione opificum de die 15. Maii 1891.

³ Epistola Leonis XIII. ad episcopos Belgii de die 10. Iulii 1895.

Urgentissimam effecerunt quaestionem: »rerum novarum semel excitata cupido . . . ; nova industriae incrementa, novisque euntes itineribus artes; mutatae dominorum et mercenariorum rationes mutuae; divitiarum in exiguo numero affluentia, in multitudine inopia; opificum cum de se confidentia maior, tum inter se necessitudo coniunctior; praeterea versi in deteriora mores.»¹

In misera et calamitosa fortuna prae caeteris ordinibus indigne versatur infimae sortis hominum pars maxima. »Nam veteribus artificum collegiis superiore saeculo deletis, nulloque in eorum loco suffecto praesidio, cum ipsa instituta legesque publicae avitam religionem exuisent, sensim factum est, ut opifices inhumanitati dominorum effrenataeque competitorum cupiditati solitarios atque indefensos tempus tradiderit. Malum auxit usura vorax, quae non semel ecclesiae iudicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem. Huc accedunt et conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum redacta potestatem, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini impo-
suerint.«²

Quod malum sanationem importune postulat. »Utcunque sit, plane videmus, quod consentiunt universi, infimae sortis hominibus *celeriter* esse atque opportune consulendum, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur« . . . »Accingendum ad suas cuique partes, et *maturrime* quidem, ne tantae iam molis incommodum fiat insanabilius cunctatione medicinae.»³
»Ubique iam deveniendum est ad actus, et quin amplius perdatur tempus sterilibus in discussionibus, id operetur factis, quod continetur in principiis.«⁴

¹ Litt. encycl. »Rerum novarum«.

² Litt. encycl. »Rerum novarum«.

³ Litt. encycl. »Rerum novarum«.

⁴ Leo XIII. in alloc. ad peregr. oper. Galliae. 1891.

1. Ad expediendam hanc quaestionem aequè difficilem ac periculosam quamvis opera et contentio desideretur tam ecclesiae quam reipublicae, dominorum ac locupletum, denique ipsorum, pro quibus contentio est, proletariorum, tamen maximas hac in re partes habet ecclesia. » Illud tamen sine dubitatione affirmamus, inania conata hominum futura, ecclesia posthabita, » et » causae huius exitus probabilis quidem nullus, nisi advocata religione ecclesiaeque, reperietur. « ¹

Habet autem ecclesia hac in re gravissima ducem ipsum Vicarium Christi, stipatum episcopis, milites vero pugnatores selectos omnes illos sacerdotes, qui minime rerum quaerunt, quae sua sunt, sed unice, quae Christi Iesu. Quam intimam coniunctionem cum superioribus et confratribus solliciti sint omnes sacerdotes servare in vinculo pacis, nec opus aliquod incipiant inauditum, prorsus novum, inconsulta auctoritate dioecesana.

Meminerint omnes, qui ad hanc causam expediendam sese accingunt, necessarium quidem esse laborem, sed incrementum pendere a Deo. „*Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam ... Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite, postquam sederitis.*“ (Ps. 126, 1. 2). Postquam sederitis et in oratione Deo vacaveritis, adiutorem habebitis eum, qui fecit coelum et terram; potentes eritis verbo et opere. Habeamus ergo primo zelum super nosmetipsos, et tunc iuste zelare poterimus etiam proximum nostrum,² et ut veri sacerdotes, ut sal terrae et lux mundi, ut operarii inconfusibiles, cum omni fiducia adire plebem, » nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum. « (II. Cor. 6, 3).³

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

² De Imitatione Christi. Lib. II. cap. 3. n. 1.

³ F. X. Godts C. Ss. R., „Scopuli vitandi in pertractanda quaestione de conditione opificum“. Typis societatis sancti Augustini. Desclée, De Brouwer et Socii. 1896. Editio 3. pag. 5 et 345.

Haud minus, ut ecclesia id, quod in ea est, conferat ad solvendam quaestionem socialem, desideratur in ministris eius scientia opportuna. Sacerdotes enim, parvi pendentes errores, nostris diebus grassantes, nec satis cognoscentes eorum naturam intimam, quomodo eos refutabunt? Oportet autem, ut homo Dei „*potens sit exhortari in doctrina sana et eos, qui contradicunt, arguere*“ (Tit. 1, 9). »Sacra vero scientia sacerdos eo vel magis fulgere ipse debet, quod aetate praesertim nostra nefarii homines, falsi nominis scientiae studentes et tenebras magis quam lucem diligentes, nihil non moliantur, ut, lumine evangelicae doctrinae extincto, mundum operiant caliginosa nocte erroris atque impietatis.»¹

Hinc acquirant sibi sacerdotes constitutionum Leonis XIII., hanc quaestionem attingentium,² ac praesertim constitutionis »Rerum novarum« notitiam completam intelligentiamque, quantum fieri potest, perfectam. Legant eam attente et iterum iterumque perlegant, et studeant et meditentur, donec mente teneant hanc apostolicam doctrinam. Nullus sacerdos se ab hoc studio excuset praetexendo, in eius parochia non dari socialistas; melius enim est, ut plebs veritatem accipiat ex ore sacerdotum genuinam, quam cum falsitate admixtam a seductoribus socialistis et pravis foliis.³ Studium hoc eo magis necessarium est, quo causa est ad expediendum difficilior, nec vacua periculo. »Arduum siquidem metiri iura et officia, quibus locupletes et proletarios, eos, qui rem, et eos, qui operam conferant, inter se oportet con-

¹ Concilium Ultraiectense an. 1865. Tit. IX. cap. 1.

² Ad rem faciunt constitutiones: »Rerum novarum« de conditione opificum de die 15. Maii 1891; »Diuturnum« de civili principatu de die 20. Iunii 1881; »Libertas« de libertate humana de die 20. Iunii 1888; »Immortale Dei« de civitatum constitutione christiana de die 1. Novembris 1885; aliaeque, in quibus opinionum fallaciae refutantur. — Necessarium insuper est studium philosophiae christianae, praesertim ethicae, iuris naturalis, socialis et publici, aliorumque, quae, ut quaestio socialis rite expediatur, plurimum iuvant.

³ Godts, op. cit. pag. 47 et 49.

tineri. Periculosa vero contentio, quippe quae ab hominibus turbulentis et callidis ad pervertendum iudicium veri concitandamque seditiose multitudinem passim detorquetur.«¹

Oportet autem, ut medicus animarum et praeco ac defensor veritatis sciat etiam distinguere inter lepram et lepram, errorem et errorem. Non enim de omnibus socialistis, summatim sumptis, ea asserenda sunt, quae quibusdam particulariter sunt propria. Hinc in refellendis erroribus exemplum sumamus ab optimis apologetis christianis, qui, antequam errores contendebant refellere adversariorum, hos ipsos errores clare perspectos habebant, ne viderentur in eis refutandis aërem verberare.²

2. *Ecclesiae* praesto sunt remedia efficacissima contra socialismi errores eiusque conata infensissima. »Ecclesia enim tota in eo est, ut ad disciplinam doctrinamque suam excolat homines atque instituat: cuius doctrinae rivos, episcoporum et cleri opera, quam latissime potest, curat deducendos. Deinde pervadere in animos nititur flectereque voluntates, ut divinorum disciplina praeceptorum regi se gubernarique patiantur . . . Civilis hominum communitas funditus est institutis christianis renovata: huiusce virtute renovationis ad meliora promotum genus humanum, imo revocatum ab interitu ad vitam, auctumque perfectione tanta, ut nec extiterit ulla antea, nec sit in omnes consequentes aetates futura maior. Horum autem beneficiorum Iesus Christus principium et finis: ut ab eo profecta, sic ad eum omnia referenda . . . Quare si societati generis humani medendum est, revocatio vitae institutorumque christianorum sola medebitur«.³ Nam »in hoc posita malorum sanatio est, ut mutatis consiliis, et privatim et publice remigretur ad Iesum Christum,

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

² Godts, op. cit. pag. 14.

³ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

christianamque vivendi formam“.¹ »Declinare ab instituto, corruptio est; ad institutum redire, sanatio«.²

Hinc quaecunque revocant homines ad Christum et vitam christianam, totidem sunt remedia contra socialismum. »Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra«. (Ioan. 5, 4). Omnibus ergo viribus adnitendum est, ut reviviscat, crescat, floreat fides catholica, fides practica.

Sunt autem hac in re alia, quae omnibus sunt applicabilia et quasi praeservativa, videlicet ea, quae in genere ad spiritum religionis et pietatis fovendum, servandum vel excitandum inserviunt, alia, quae inprimis ad confutandos et convellendos errores socialistarum opportuna inveniuntur.

A.

Ad retinendos homines in officiis vel reconciliandos Christo et ecclesiae adhibeantur primo media ministerii sacerdotalis tam ordinaria quam extraordinaria.

Edoceant sacerdotes et iuventutem et populum cum omni diligentia et doctrina veritates religionis; nam veritatibus religionis primariis e. g. de Deo, omnium rerum creatore et fine, de anima immortalis, de statu naturae lapsae alte mentibus fidelium impressis, in tuto quoque collocata erunt principia fundamentalia societatis.³

Sedulo dirigant pias congregationes non tantum puellarum sed et iuvenum; studiose propagent et tueantur tertium s. Francisci ordinem. »Nemo dubitaverit, quin franciscalia instituta magnopere sint aetate hac nostra profutura. Quemadmodum saeculo duodecimo, ita nunc non parum deferbuit divina charitas; nec levis est offi-

¹ Leo XIII. in litt. encycl. „Exeunte“ de die 25. Decembris 1888.

² Litt. encycl. „Rerum novarum“.

³ Theodorus Mayer S. I., „Die Arbeiterfrage und die christlich-ethischen Socialprincipien“, überarbeitete und ergänzte Sonderausgabe der in den Jahrgängen 1871 und 1872 der „Stimmen aus Maria-Laach“ veröffentlichten Erörterungen.

ciorum christianorum, partim ignoratione partim negligentia, perturbatio. Simili animorum cursu similibusque studiis, in aucupandis vitae commodis, in consecrandis avidè voluptatibus plerique aetatem consumunt. Diffuentes luxuria, sua profundunt, aliena appetunt: fraternitatis humanae nomen extollentes, plura tamen fraterne dicunt, quam faciunt; feruntur enim amore sui, et illa erga tenuiores atque inopes genuina charitas quotidie minuitur». ¹

Praebeant animarum pastores fidelibus occasionem confitendi peccata non tantum diebus Dominicis vel festivis, sed et infra hebdomadam; spiritu charitatis visitent infirmos et senes; spargant honesta diaria et pias lectiones. Quae opera erunt quasi imber continuus, fructificans agrum patrisfamilias, ne fiat ceu terra deserta et invia et inaquosa ac prorsus sterilis. ²

Sed et alia adhibenda sunt media. Coelestis enim ille medicus, qui singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta, ³ diversorum quoque temporum morbis non desinit remedia opponere opportuna.

Opportunius tamen vix invenitur contra socialismum remedium cultu et devotione erga sacram Familiam, cuius consociatio in nostra quoque dioecesi introducta est. ⁴ Quam plurimum enim confert haec pia consociatio, ut reviviscant fides, pietas et omnis christiana laus in familiis, in quarum excidium quaecunque moliuntur socialistae. »Nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo sacrae Familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum . . . Singuli enim christiani qualicunque conditione vel loco, si ad eam animum advertant, facile possunt cuiuscunque virtutis exercendae habere causam et invi-

¹ Leo XIII. in litt. encycl. „Auspicato“ de die 17. Septembris 1882.

² Godts, op. cit. pag. 186.

³ S. Gregor. M. homilia 32. in Evangelia.

⁴ Litt. pastor. „Prišel je zopet čas“ de die 21. Ianuarii 1894.

tamentum. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam. Habent matres in sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi, perfectaeque fidei insigne specimen. Filii vero familias in Iesu, qui erat subditus illis, habent divinum obedientiae exemplar, quod admirentur, colant, imitentur . . . Quapropter curent pastores animarum, ut familiae quam plurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piaae huic consociationi dent nomen«. ¹

Haud minus commendamus devotionem erga Deiparam Mariam, praesertim per recitationem sacratissimi Rosarii, cuius efficaciam contra suos hostes ecclesia saepius experta est. Oportet tamen vacare meditationi mysteriorum eaque vitae domesticae et christianae applicare. Mariale enim Rosarium opponitur tribus teterrimis malis, quibus laborat hodierna societas, et quae sunt: fastidium vitae modestae et actuosae, horror patiendi, oblivio futurorum, quae speramus. ² Quotidianae ergo Rosarii consuetudini in domibus privatis, sed et publicae ac frequenti recitationi in ecclesiis, processionibus religiose et constanter est insistendum.

Remedium extraordinarium, contra exitiosa communismi et socialismi commenta valde efficax et malis curandis aptissimum sunt sacrae missiones, quas omni data occasione suis fidelibus procurent animarum pastores. Austriae enim episcopis a Pio IX. felicitis recordationis ita commendantur: »Cum autem sacrae missiones, ab idoneis operariis peractae, summopere conducant ad fidei religionisque spiritum in populis excitandum, vehementer optamus, ut illas in vestris dioecesisibus agendas curetis.« ³

¹ Leon. XIII. „Neminem fugit“ de die 24. Iunii 1892. eiusdemque „Quum nuper“ de die 20. Iunii 1892.

² Fusius haec explicantur in Leonis XIII. litt. encycl. „Laetitiae sanctae“ de Rosario mariali de die 8. Septembris 1893.

³ Litt. missis de die 17. Martii 1856.

Zelum specialem atque sollicitudinem singularem habeant sacerdotes erga viros eorumque reconciliationi Christo et ecclesiae omnem animum intendant. »Sane hoc aevi nostri *opus praecipuum* reputamus, viros videlicet quam sollertissima industria et quovis indefesso zelo provocare, ut ad meliorem vitae christianae rationem instituendam, ad exequenda integrius cuiusque status et conditionis officia, tandem se recipiant«. ¹ Ad quos reconciliandos Concilium Burdigalense hoc medium commendat: »Sive rure sive in urbe sit parochus, sciat viros sibi commissos tempore opportuno, aut domi, aut in agris, aut intra officinam invisere et compellare; tum paterno affectu sciscitari de iis primum negotiis, quae ad manum, quae quisque pluris habet, quibus promptius mutuum intercedit commercium ac reciproca benevolentia; ita ut, si qua infirmitas obfuerit, si qua immineat calamitas, si quid fausti contigerit, in limine pastor bonus statim adsit, dolenti condoleat, gaudenti collaetetur, sublatisque sensim obicibus, cum prius Deum inter et peccatorem chaos magnum firmari videretur, postmodum quasi lene fiat ad Deum iter et proclivior vel desperatissimi ad religionis gremium reditus«. ²

Doceant eos, socialismum esse haeresim pestiferam, imo apostasiam horrendam a fide. «Ii nimirum sunt, qui, prout divina testantur eloquia, carnem quidem maculant, dominationem spernunt, maiestatem autem blasphemant.« ³ Propterea sedulo devitandi sunt socialistae, nec nomen dandum eorum societatibus vel votum in electionibus eorum candidatis. „*Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus eius malignis.*“ (II. Ioan. 10, 11). ⁴

¹ Conc. Burdig. prov. 1856. Coll. Lac. T. 4. col. 711.

² Conc. Burdig. prov. 1856. Coll. Lac. T. 4. col. 711.

³ Leo XIII. de secta communistarum die 28. Decembris 1878.

⁴ Godts, op. cit. pag. 299 sq.

Quae ab hominibus seditiosis frustra promittuntur, iura vera, iura christiana in ecclesia tantum invenient, praeprimis *libertatem*. »Libertatem dicimus *filiorum Dei*, per quam nec satanae, nec cupiditatibus, improbissimis dominis serviamus,«¹ sed obediamus mandatis Dei et ecclesiae, libertatem, quae non est in diabolico spiritu rebellionis, superbiae et inobedientiae, sed in gratia sanctificante, in victoria relata de passionibus et tentationibus, in amicitia cum Deo, in qualitate hac ineffabili adoptionis in filios Dei. „*Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*“. (Rom. 8, 21). „*Ubi spiritus Domini, ibi libertas*.“ (II. Cor. 13, 17). „*Christus nos liberavit*“. (Gal. 4, 31). „*Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae*“. (Rom. 6, 20).²

Huic ordinariae animarum curae mediisque eidem inservientibus ne minimum quidem detrahant animarum pastores propter opera extraordinaria, quae secum fert quaestio socialis apte expedienda.

B.

Praeter remedia exposita alia quoque in ecclesia inveniuntur, quae ad convellendum socialismum sunt mire opportuna. Sunt autem: *doctrina, praecepta, instituta*.

a) *Docet* enim ecclesia contra socialistas, ipsa natura varias esse hominum condiciones, idque in bonum cum privatorum tum communitatis vergere. »Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accomodate; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera po-

¹ Leo XIII. litt. encycl. „Humanum genus“ de die 22. Decembris 1887.

² Godts., op. cit. pag. 113.

tissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris.«¹

Sed datur sane et vera aequalitas in ecclesia. Etenim prorsus ignotam antiquitati »primus omnium Iesus Christus asseruit aequabilitatem iuris, veramque inter homines germanitatem; et apostolorum suorum resonuit vox, non esse Iudaeum, neque Graecum, neque barbarum, neque Scytham, sed omnes in Christo fratres.«²

Quae tamen sit aequalitas iusta atque inveniri possit in ecclesia, et quae sit impossibilis etiam in natura rerum, rite exponatur. Admittenda est enim inter homines aequalitas *naturae et finis*. »Ex evangelicis documentis, ea est hominum aequalitas, ut omnes eandem naturam sortiti, ad eandem filiorum Dei celsissimam dignitatem vocentur simulque ut, uno fine omnibus praestito, singuli secundum eandem legem iudicandi sint, poenas aut mercedem pro merito consecuturi.«³ »Sunt omnes homines hac in re (immagine Dei) pares, nec quippiam est, quod inter divites atque inopes, inter dominos et famulos, inter principes privatosque differat: „nam idem Dominus omnium.“ (Rom. 10, 12). Nemini licet hominis dignitatem, de qua Deus ipse disponit *cum magna reverentia*, impune violare.«⁴ „Omnes filii Dei estis per fidem, quae est in Christo Iesu; quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis . . . Non est servus neque liber . . . Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu“. (Gal. 3, 26. 28). „Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus . . . sive servi, sive liberi, et omnes in uno Spiritu potati sumus“. (I. Cor. 12, 13). Reiicienda vero est aequalitas *iurium et potestatis*. »Inaequalitas iuris et potestatis ab ipso naturae auctore dimanat, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur.“ (Ephes. 3, 15).⁵

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

² Leo XIII. litt. encycl. „Libertas“ de die 20. Iunii 1888.

³ Leo XIII. litt. encycl. „Quod apostolici“ de die 28. Decembris 1878.

⁴ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

⁵ Leo XIII. litt. encycl. „Quod apostolici“ de die 28. Decembris 1878.

Insuper numquam desinit ecclesia inculcare, hominem ad laborem natum esse — „posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum“ (Gen. 2, 15), et „homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum“ (Iob. 5, 7); post lapsum vero originalem laborem in poenam culpaе evasisse arduum. »Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso statu innocentiae non iners omnino erat homo futurus: at vero quod ad animi delectationem tum libera optavisset voluntas, idem postea in expiationem culpaе subire non sine molestiae sensu coëgit necessitas«. ¹ „Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitae tuae.“ (Gen. 3, 17). „In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es“. (Gen. 3, 19).

Nihilominus labor molestiis suis et maledicto remedium quoque est contra peccatum. Ad Deum enim redire non possumus, nisi per humilem agnitionem propriae culpaе, quae nobis iterum iterumque inculcatur molestiis et maledicto laboris. Item per assiduos labores reprimuntur passionēs malae et inclinationes perversae. „Multam enim malitiam docuit otiositas“. (Eccl. 33, 29).

Ad quantum autem in nova Lege honorem elevatus sit labor, ad quantam dignitatem conditio operariorum, patet vel ex eo, quod Ille, qui est splendor gloriae et figura substantiae Patris, portans omnia verbo virtutis suae, voluerit fieri faber, fabri filius, veniens ministrare, non ministrari, et esse in laboribus a iuventute sua. ²

Simili modo ecclesia non intermittit, persuadere hominibus, acerbitates, peccati consecraria, tolli non posse. »Finis enim acerbitationum in terris nullus est futurus, quia mala, peccati consecraria, aspera ad tolerandum sunt, dura, difficilia: eaque homini usque ad ultimum vitae comitari est necesse. Itaque pati et perpeti hu-

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

² G. Diessel C. Ss. R., „Die Arbeit betrachtet im Lichte des Glaubens“ 1891. Verlag von Friedrich Pustet. — Godts, op. cit. pag. 35 sq.

manum est, et ut homines experiantur ac tentent omnia, istiusmodi incommoda evellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, nae, illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturam maiora praesentibus. Optimum factu res humanas, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommodis levamentum aliunde petere». ¹

Denique ecclesia omnes indesinenter docet veritatem, locupletes et proletarios debere harmonice conspirare. «Est illud in causa, de qua dicimus, capitale malum, opinione fingere alterum ordinem sua sponte infensum alteri, quasi locupletes et proletarios ad digladiandum inter se pertinaci duello natura comparaverit. Quod adeo a ratione abhorret et a veritate, ut contra verissimum sit, quo modo in corpore diversa inter se membra conveniunt, unde illud existit temperamentum habitudinis, quam symmetriam recte dixeris, eodem modo naturam in civitate praecepisse, ut geminae illae classes congruant inter se concorditer, sibi que convenienter ad aequilibratam respondeant». ²

Sane non opprimendi sunt proletarii, sed nec spernendi locupletes propter divitias. De iure enim proprietatis, dummodo divitiae iuste sint acquisitae, inter catholicos controversia esse non potest; quia ipse Vicarius Christi declaravit: »possidere res privatim ut suas, ius est homini *a natura* datum«. ³ Sed e contra omnibus viribus adlaborandum est, ut operarii fiant proprietarii praesertim domus, etsi angustissimae. Remedium enim

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“. — ² Litt. encycl. „Rerum novarum“.

³ Litt. encycl. „Rerum novarum“, in quibus ius proprietatis quatuor argumentis magistraliter probat, videlicet ex hominis necessitatibus et legitimo fructu propriae industriae, ex officiis et iuribus patrisfamilias, ex auctoritate triplici, nempe consensu universali et auctoritate legum tam civilium quam divinarum. Godts, op. cit. pag. 22 sq.

temporale contra socialismum iure proprietatis efficacius non reperitur.

Ad reconciliandos animos utrique classi in memoriam revocetur, quod altera alterius indiget; nam „*dives et pauper obviaverunt sibi; utriusque operator est Dominus*“ (Prov. 22, 2); insuper quod „*omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*“ (Rom. 13, 1. 2). Iam vero divitiarum quoque possessionem earumque salutares effectus quoad charitatem oportet revereri. „*Reddite ergo omnibus debita . . . cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis*“ (Rom. 13, 7. 8).

Ex altera parte certissimum est, exempla divitum magnum exercere influxum in plebem, sive in bonam sive in malam partem. Locupletum autem exemplum, etiam optimum, prorsus erit inefficax, quamdiu inopes loci odio vel invidia in eos erunt affecti. O, quantum adlaborandum est clero zelanti, ut alterum ordinem vicinitate proxima amicitiaque alteri coniungat! Coniunget autem eos charitas christiana, cuius fructus est misericordia. Iam vero divites facilius moventur misericordia erga pauperes, sed quis pauper cogitat de commiseratione erga divites et proceres habenda? Hinc prudenter exponatur proletariis, quod revera, secundum fidem et aeternam realitatem, locupletes saepe saepius sint pauperibus miserabiliores. Etenim veritas est evangelica: „*Beati pauperes*“ (Matth. 5, 3) et „*Vae divitibus*“ (Luc. 6, 24). Veritas etiam: „*Omni cui multum datum est, multum quaeretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*“ (Luc. 12, 48). Veritas denique: „*Iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur*“ (Sap. 6, 7. 8).¹

¹ Godts., op. cit. pag. 95 sq.

b) Ad dirimendum certamen sociale ipsasque eius radices amputandas multum confert ecclesia etiam *praeceptis*. Inprimis praecepto *iustitiae* tam proletariis et opificibus quam divitibus et dominis officia sua obligatorio modo proponit. »Tota disciplina religionis, cuius est interpres et custos ecclesia, magnopere potest locupletes et proletarios componere invicem et coniungere, scilicet utroque ordine ad officia mutua revocando, inprimisque ad ea, quae a iustitia deducuntur«. ¹

Quapropter obligationes mutuae, ² scilicet proletariorum et opificum erga divites et dominos, et vice versa dominorum et divitum erga opifices et proletarios *quacunque data occasione, absque acceptione personarum, et abiecto omni respectu humano, nec ducti inani desiderio popularitatis vel conniventia erga procures*, a sacerdotibus aperte omnibus proponantur et inculcentur. Nam obtemperatio his legibus vel sola poterit extinguere vim et causas dissidii.

Praeterea ecclesia utrumque ordinem etiam praeceptis *charitatis* coniungit. Monet enim homines, vitae praesenti aeternam succedere, quae vera vita est, et qua dispecta etiam mortalia intelliguntur atque aestimantur ex veritate. »Neque enim Deus hominem ad haec fragilia et caduca, sed ad coelestia atque aeterna generavit, terramque nobis ut exulandi locum, non ut sedem habitandi dedit«. ³ Ad hanc vitam non conducit possessio rerum, sed earum usus et labores patienter tolerati. »Acerbitates varias, quibus vita mortalis fere contextitur, Iesus Christus copiosa redemptione sua nequaquam sustulit, sed in virtutum incitamenta, materiamque bene merendi traduxit: ita plane ut nemo mortalium queat praemia sempiterna capessere, nisi cruentis Iesu Christi vestigiis ingreditur. »Si sustinebimus, et conregnabimus«. (II. Tim. 2, 12). ⁴ No-

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

² Proponuntur in litt. encycl. „Rerum novarum“.

³ Litt. encycl. „Rerum novarum“. — ⁴ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

titia, spes, amor et consequenter assidua huius coelestis patriae recordatio et praedicatio magnum est contra terrestrem socialismum remedium. »Quare parochi, in erudiendis fidelibus, numquam intermittant, praemiis aeternae vitae propositis, eorum animos accendere; ut quaecunque vel difficillima christiani nominis causa subeunda esse docuerint, facilia, atque ideo iucunda existiment, promptioresque ad parendum Deo et alacriores reddantur«.¹

Non intermittit insuper ecclesia docere populos amorem etiam erga terrestrem patriam, quam volunt destruere, imo et nomen eius delere socialistae, semper gloriantes, se non habere patriam. »Civitatem, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique iubemur lege naturae usque eo, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet«.² »Post Deum est homo maxime debitor parentibus et patriae. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundo gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae«.³

Proponit praeterea illa magistra populorum fidelibus doctrinam de usu rerum temporalium, quae saluti obsunt potius, quam prosunt, et quae hominibus commissa sunt in levamentum egentium, docens, veras divitias, veram hominis dignitatem atque excellentiam in virtutibus positas esse. »Si illud quaeratur, qualem esse usum bonorum necesse sit, ecclesia quidem sine ulla dubitatione respondet: quantum ad hoc, non debet homo habere res exteriores ut proprias, sed ut communes, ut scilicet de facili aliquis eas communicet in necessitate aliorum. Unde Apostolus dicit: *divitibus huius saeculi praecipe . . . facile tribuere, communicare*«. (I. Tim. 6,

¹ Catech. Conc. Trid. P. I. cap. 13.

² Leo XIII. in litt. encycl. „Sapientiae christianae“ de die 10. Ianuarii 1890.

³ S. Thomas Aquinas, Summa theolog. II. II. q. 101 art. 1. in c. — Godts, op. cit. pag. 292 sq.

17. 18).¹ »Ubi necessitati satis et decoro datum, officium est de eo quod superat gratificari indigentibus. „*Quod superest, date eleemosynam*“. (Luc. 11, 41). Non iustitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed charitatis christianae.«² »Huius (Christi) divinitatem exempli intuitibus, ea facilius intelliguntur: veram hominis dignitatem atque excellentiam in moribus esse, hoc est in virtute, positam: virtutum vero commune mortalibus patrimonium, imis et summis, divitibus et proletariis aequè parabile: nec aliud quippiam quam virtutes et merita, in quocunque reperiantur, mercedem beatitudinis aeternae sequuturam«. ³

Quae divitibus et pauperibus rite proposita ad conciliandos animos plurimum proficient. »Quarum cognitione rerum facile in fortunatis deprimitur tumens animus, et in aerumnis demissus extollitur: alteri ad facilitatem, alteri ad modestiam flectuntur. Sic cupitum superbiae intervallum efficitur brevius, nec difficulter impetrabitur, ut ordinis utriusque, iunctis amice dextris, copulentur voluntates«. ⁴

Quos imo, si christianis paruerint praeceptis, *amor etiam fraternus* inter se coniugabit. Sentient enim et intelligent, omnes homines fratres esse, quia eundem habent Patrem in coelis, ad quem ut ultimum finem tendunt, eundem magistrum et redemptorem, Fratrem primogenitum in multis fratribus, Christum Salvatorem, et unum gratiae thesaurum simul et gloriae. „*Unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram; unus est enim Pater vester, qui in coelis est*“. (Matth. 23, 8. 9).⁵

¹ S. Thom. Aquin. II. II. q. 66. art. 2. in c. — Litt. encycl. „Rerum novarum.“

² Litt. encycl. „Rerum novarum.“

³ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

⁴ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

⁵ Godts, op. cit. pag. 118.

Quae omnia si in civili convictu valerent, nullum dubium est, quin perbrevis tempore quieturum sit omne certamen.

c) »Nec satis habet ecclesia viam inveniendae curationis ostendere, sed admovet sua manu medicinam . . . ut emergant proletarii e miserrimo statu, fortunamque meliorem adipiscantur. Atque in id confert hoc ipso operam non mediocrem, quod vocat et *instituit* homines ad virtutem.«¹

Cum enim socialismi hodierni praecipuae causae sint depravati mores, luxus, prodigalitas et neglectus vel transgressio tertii Decalogi mandati, his ecclesia opportuna opponit remedia et virtutes contrarias.

Vitae delicatae obiicit poenitentiam saluberrimam, »quae est bonorum et humilium fidelium poena quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: dimitte nobis debita nostra«², in memoriam revocando fidelibus, totam vitam christianam perpetuam poenitentiam esse debere,³ et mortificationem »esse non consilium, sed *officium*, neque eorum dumtaxat, qui perfectius vitae optaverint genus, sed plane omnium.«⁴ »Poenitentiam, quaeque pars eius est, voluntariam corporis castigationem, non sine causa primo commemoramus loco. Nostis enim morem saeculi: libet plerisque delicate vivere, viriliter animoque magno nihil agere. Qui cum in alias incidunt miserias multas, tum fingunt saepe causas, ne salutaribus ecclesiae legibus obtemperent, onus rati sibi gravius, quam tolerari possit, impositum, quod vel abstinere certo ciborum genere, vel ieiunium servare paucis anni diebus iubeantur. Hac enervati consuetudine mirum non est, si sensim totos se cupiditatibus dedant maiora poscenti-

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

² S. Augustinus in Ep. 108.

³ Concil. Trid. sess. 14. doctr. de sacram. extr. unct.

⁴ Leonis XIII. litt. encycl. „Exeunte“ de die 25. Decembris 1888.

bus.«¹ Hinc »qui ad populum dicturi sunt, diligenter et enucleate doceant, quod non modo evangelica lege, sed etiam naturali ratione praecipitur, imperare sibimetipsi et domitas habere cupiditates, unumquemque oportere: nec expiari, nisi poenitendo, posse delicta.«²

Contra luxum in vestitu exquisito, qui in infima quoque plebe passim grassatur, ante oculos operariorum et praesertim puellarum ponit genuinam et christianam de vestitu doctrinam. »Meminerint fideles vestem stipendium esse peccati, eamque praeter tutamen corporis contra inclementiam aëris solummodo ad conditionem cuiusvis designandam destinari, ita proinde in eius usu decoris et convenientiae rationem habendam esse, ut nihil contra modestiam et verecundiam christianam peccetur.«³

Prodigalitati deditos tam in protracta potatione quam ludo immoderato et expensioso, quibus magnae pecuniarum summae, mercesque plurimorum dierum brevi temporis intervallo perduntur, esuriente interdum tota familia, debitaque contrahente, omni meliori modo inducit ad temperantiam et parsimoniam. Parsimonia enim potius, quam augmentum salarii, maiorem prosperitatem familiae affert. Sed sciendum quoque ac populo animadvertendum, luxum esse relativum aliquid, ita ut id, quod hero erit conveniens, luxuosum sit servo; prodigalitem vero nemini licere, ne opulentissimis quidem.⁴

Vehementissime denique instat, ut diebus dominicis et festivis tempus, quod Deo eiusque cultui debetur, fideles iis actionibus totum impendant, in quibus sancte transigendum est, non peccatis, uti eheu nimis evenit.

¹ Leo XIII. litt. encycl. „Quod auctoritate“ de die 22. Decembris 1885.
— Godts, op. cit. pag. 200 sq.

² Leo XIII. Litt. encycl. „Quod auctoritate“ de die 22. Decembris 1885.

³ Conc. prov. Colocense anno 1863. Tit. VI. cap. 1. Coll. Lac. T. V. col. 692.

⁴ Godts, op. cit. pag. 285. sq.

»In hoc genere tractari se non convenienter naturae suae, animique servitutem servire velle, ne sua quidem sponte homo potest; neque enim de iuribus agitur, de quibus sit integrum homini, verum de officiis adversus Deum, quae necesse est sancte servari. Hinc consequitur requies operum et laborum per festos dies necessaria. Id tamen nemo intelligat de maiore quadam inertis otii usura, multoque minus de cessatione, qualem multi expetunt, faultrice vitiorum et ad effusiones pecuniarum adiutrice, sed omnino de requiete operum per religionem consecrata.«¹ Inculcat populo, ut intersit non solum sacrae Missae, sed etiam divinis pomeridianis, et audiat sacrum sermonem. Curet ergo et sacerdos ex sua parte, ut sermonem habeat rite paratum, qui auditores doceat simul et attentos reddat, ita ut libentissime audiant verbum Dei et pastoris.²

O sacerdos, o animarum pastor, clama, ne cesses, insta omnibus mediis opportunis, ut tandem fideles se recipiant ad formam vivendi christianam.

Praeterea ecclesia studet meliorare conditionem opificum fovendo instituta ad sublevandam eorum inopiam. Cura pauperum et miserabilium omni tempore ecclesiae cordi erat. Ipsa enim ea, quae ad honeste vivendum clericis non sunt necessaria, in miserorum et indigentium solatium impendenda decrevit, et animarum pastoribus, quasi natis patribus, »pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere«³ mandavit. Ex pecuniis a christianis ultra collatis »sensim illud extitit patrimonium, quod religiosa cura tamquam rem familiarem indigentium ecclesia custodivit.«⁴ Varia insuper eadem »condidit collegia sodalium religiosorum, aliaque utiliter permulta instituit, quibus opem ferentibus,

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

² Godts, op. cit. pag. 161 sq.

³ Conc. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.

⁴ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

genus miseriarum prope nullum esset, quod solatio careret.«¹

Inter huiusmodi instituta nostris temporibus revera providentiales sunt conferentiae a s. Vincentio a Paulo nuncupatae. »Silere nolumus illam spectaculo exemploque insignem, de populo inferioris ordinis tam praeclare meritam societatem, quae a Vincentio patre nominatur. Cognitum est quid agat, quid velit; scilicet tota in hoc est, ut egentibus et calamitosis suppetias eat ultro, idque sagacitate modestiaque mirabili: quae quo minus videri vult, eo est ad charitatem christianam melior, ad miseriarum levamen opportunior.«² Tales societates, quae tam mirabili modo solutionem quaestionis operariae a charitate petunt et expectant, in Nostra quoque dioecesi vigent³, quibus manus auxiliatrices porrigunt societates mulierum a s. Vincentio a Paulo nuncupatae.⁴ Quae ut in dies crescant, novaeque ipsis associantur in civitatibus et oppidis Nostrae dioeceseos, summopere desideramus.

Cura rei materialis medium est valde efficax, imo interdum unicum attingendi et convertendi rudiores, a fide et religione alienos. Valde materiales factae sunt oves deperditae, quas oportet nihilominus patienter quae-rere et in humeros imponere, ut reducantur ad commune ovile. Sed quomodo? Per magnam charitatem, incipiendo cum statu eorum materiali. Nec excludendi sunt athei a communi benevolentia, ab assistentia pecuniaria, a visitatione tempore morbi vel infirmitatis. Verus pastor, omnia factus omnibus, per generosam charitatem, per continuatum amorem tandem ingressum invenit in corda illa materialia, et per charitatis ardorem accendit in eis lumen verae fidei.⁵

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

² Leo XIII. litt. encycl. „Humanum genus“ de die 20. Aprilis 1884.

³ Marburgi in parochia cathedrali, erecta die 5. Aprilis 1887, et in parochia s. Magdalenae, excitata 1879.

⁴ Marburgi initium cepit mense Aprili 1860, Petovii die 30. Augusti 1896.

⁵ Godts, op. cit. pag. 65. sq.

3. At vero praeter ecclesiam etiam *respublica*, quae in ea est, partem remedii conferre debet. »Rempublicam hoc loco intelligimus non quali populus utitur unus vel alter, sed qualem et vult recta ratio naturae congruens, et probant divinae documenta sapientiae, quae Nos ipsi nominatim in litteris encyclicis de civitatum constitutione christiana explicavimus.«¹ Quae autem sit remedii pars in auxilio reipublicae posita, probe cognoscatur;² scopo tamen nostro sufficiat, non nisi principia generalia eorumque applicationem practicam innuere.

C.

a) Per quos civitas regitur, *debent* efficere, ut reipublicae prosperitas, tam communitalis quam privatorum, efflorescat, quod maxime efficiunt probitas, ordinatae familiae, religio, iustitia, artes, mercatura, agricultura, etc.

b) Non negligenda cura proletariorum, qui numero maiores, multum prosunt affluentiam bonorum externorum per laborem praestando. Quum »proletarii pari iure cum locupletibus natura cives« sint, »in salute commodisque ordinis proletariorum tuendis curas debitas collocari publice oportet: ne fiat, violatum iri iustitiam, suum cuique tribuere praecipientem.«³ Invigilet *respublica*, ut huius affluentiae debitam partem et ipsi proletarii percipiant: victum, vestitum, etc.

c) Status ne absorbeat civem neve familiam, sed, ut servus communitalis, custodiat ordinem et iura. Ordinem, id est: pacem, religionem, mores, iustitiam, sanitatem. Potest ferre leges contra secessionem opificum (Strike), quando iniusta est aut inde »quippiam turbarum impendet«⁴, porro contra violationem familiae, laborem dominicalem indebitum, promiscuitatem sexuum in offi-

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

² Praeclare exponitur in litt. encycl. „Rerum novarum.“

³ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

⁴ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

cinis, nimium laborem, etc. Sed non ultra progredendum quam necesse est. Iura, praesertim infirmorum et inopum, vindicare debet status. »Iura quidem, in quocunque sint, sancte servanda sunt: atque ut suum singuli teneant, debet potestas publica providere, propulsandis atque ulciscendis iniuriis. Nisi quod in ipsis protegendis privatorum iuribus, praecipue est infirmorum atque inopum habenda ratio. Siquidem natio divitum, suis septa praesidiis, minus eget tutela publica: miserum vulgus, nullis opibus suis tutum, in patrocinio reipublicae maxime nititur. Quocirca mercenarios, cum in multitudine egena numerentur, debet cura providentiaeque singulari complecti respublica.»¹

Hinc reipublicae est:

a) Tutari privatas possessiones, cohibendo cupiditates violentas plebis et concitatores perversos, nec non praeveniendo causas solutionis laboris ex composito (Strike).

b) Tutari bona opificum, imprimis bona *animi*, secundum quae, naturis inferioribus dominari iussi, omnes homines pares sunt, quaeque ipse homo abdicare non potest. Hinc status promoveat requiem dominicalem *religiosam* — non fautricem vitiorum et ad effusiones pecuniarum adiutricem.

Sed tueatur respublica etiam bona *corporalia*, invigilando, ut in labore servetur virium et temporum ratio, et ne pueri maturius — et foeminae in damnum sexus vel domus laborent.

c) Prospicere, ne labor *iusta* mercede privetur. »Esto ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen semper aliquid ex *iustitia naturali*, idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet *alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere*«. ²

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum.“

² Litt. encycl. „Rerum novarum“. — De hac quaestione ardua agit Godts, op. cit. pag. 230 sq.

d) Favere denique et, quoad fieri potest, providere, ut quamplurimi ex multitudine fiant parvi proprietarii.¹

4. Postremo *domini ipsique opifices* multum hac in causa possunt, videlicet veritates et spiritum religionis recipientes, virtutes christianas, inprimis iustitiam et amorem exercentes, et denique legibus et institutis civilibus obsecundantes. Multum insuper efficiunt diversis societatibus et institutis, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et ordo alter proprius accedat ad alterum. »Numeranda in hoc genere sodalitia ad suppetias mutuo ferendas: res varias, privatorum providentia constitutas, ad cavendum opifici itemque orbitati uxoris et liberorum, si quid subitum ingruat, si debilitas affligerit, si quid humanitus accidat: instituti patronatus, pueris, puellis, adolescentibus natuque maioribus tutandis.«²

Principalem in his societatibus locum occupant sodalitia opificum, sed peropportuna catholica tantum, quae ab ipso Vicario Christi ita commendantur: »Valde quidem laudandi complures ex nostris, qui probe perspecto, quid a se tempora postulent, experiuntur ac tentant, qua ratione proletarios ad meliora adducere honestis artibus possint. Quorum pratrocínio suscepto, prosperitatem augere cum domesticam tum singulorum student: item moderari cum aequitate vincula, quibus invicem artifices et domini continentur: alere et confirmare in utrisque memoriam officii atque evangelicorum custodiam praeceptorum; quae quidem praecepta, hominem ab intemperantia revocando, excedere modum vetant, personarumque et rerum dissimillimo statu harmoniam in civitate tuentur . . . Hinc iam bene de reliquo tempore sperandi auspicia sumimus, modo societates istiusmodi constanter incrementa capiant, ac prudenti temperantia constituentur . . . Ad summam rem quod spectat, haec tanquam lex generalis ac perpetua sancitur, ita con-

¹ Godts, op. cit. pag. 86 sq.

² Litt. encycl. „Rerum novarum“.

stitui itaque gubernari opificum collegia oportere, ut instrumenta suppeditent aptissima maximeque expedita ad id, quod est propositum, quodque in eo consistit, ut singuli e societate incrementum bonorum corporis, animi, rei familiaris, quoad potest, assequantur. Perspicuum vero est, ad perfectionem pietatis et morum tanquam ad causam praecipuam spectari, oportere: eaque potissimum causa disciplinam socialem penitus dirigendam. Sumptis igitur a Deo principiis, plurimum eruditioni religiosae tribuatur loci, ut sua singuli adversus Deum officia cognoscant: quid credere oporteat, quid sperare atque agere salutis sempiternae causa, probe sciant: curaque praecipua adversus opinionum errores variasque corruptelas muniantur. Ad Dei cultum studiumque pietatis excitetur opifex, nominatim ad religionem dierum festorum colendam. Vereri diligereque communem omnium parentem ecclesiam condiscat; itemque eius et obtemperare praeceptis et sacramenta frequentare, quae sunt ad expiandas animi labes sanctitatemque comparandam instrumenta divina.¹

Laudabili consilio in Nostra quoque dioecesi plures eiusmodi institutae sunt opificum societates.² Quae societates ut mandatis summi Pontificis in omnibus satisficiant, numero et actiosa virtute in dies crescant, aliasque quam plurimas pedisequas habeant, impensissime optamus, quod in Nostra concione, habita³ occasione sacrae benedictionis vexilli pro nuper fundata societate opificum catholica Marburgi, copiosioribus verbis indigitavimus.

Ante ceteras classes operariorum curent sacerdotes conditionem agricolarum. Nam inter illa, quae maxime efficiunt prosperas civitates, numeratur et *florens agrorum*

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

² Ex gr. societas opificum adiutorum catholica Marburgi die 26. Decembris 1855, societas opificum catholica Marburgi die 26. Aprilis 1895. Similes opificum societates vigent in Zalec, Vitanje, Konjice, Trbovlje.

³ Die 2. Augusti 1896. — Ansprache anlässlich der kirchlichen Weihe der neuen Fahne des Marburger katholischen Arbeitervereines. Marburg, 1896. pagg. 36.

cultura.¹ Hi, qui ruri laborant, plus ceteris opificibus sunt religione, bonis moribus, frugalitate, spiritu ordinis et submissionis, patientia multisque aliis virtutibus praediti, et quia minus clamant, minusque se agitant, minor de eis cura habetur.²

Inprimis adlaborandum est sacerdoti rurali, ut quantum fieri potest, ruri retineat agricolas, impediatque exodum nefastam ad magnas civitates; auferat a corde simplicium amorem admirationemque urbium; detegatque magna, quae in illis inveniuntur, salutis pericula. Simili modo die dominica impediat sacerdos ope congregationum, per coetus varios, per ludos amoenos, ne iuvenes et puellae vicinam adeant civitatem. Magnopere curet sacerdos, ut incitamentum afferat societatibus cooperativis praesertim agricolarum. Incredibile dictu est, quantum bonum hac agendi ratione operati iam sint quidam zelantes Christi ministri. Sed attendat, cuiusnam generis societati vult operam suam navare. Societates enim cooperativae in tres possunt dividi species, prout vel productionem, vel mutuum creditum, vel consummationem tantum prosequuntur.³

Inter causas maximas pessimae conditionis ruralium caput tenet usura. Ut practice remedium facile et ad manus detur ruricolis contra usuram voracem, nihil tam utiliter inventum esse videtur, quam societates secundum systema Raiffeisen. Hae enim eminenter morales et christianae sunt; charitatem rite intellectam ceu fundamentum tenent, agricolam ex unguibus usurariorum eripiunt, eique sensum parsimoniae inculcant. Sed multis in locis nunquam sodalitia Raiffeisiana instituentur, nisi fundatores et promotores habeant sacerdotes zelosos pro bono etiam materiali animarum pauperum.⁴

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

² Godts, op. cit. pag. 68.

³ Godts, op. cit. pag. 68., 69., 219.

⁴ Godts, op. cit. pag. 71. 219 sq.

Habetis, perdilecti cooperatores in vinea et agro Domini, quos et qua ratione elaborare oporteat in quaestione perdifficili. Sumpta ex Evangelio documenta vitae ne desinatis inculcare hominibus cuiuscunque ordinis, omni ope contendatis pro salute populi, potissimumque studeatis et tueri in vobis et excitare in aliis, »summis iuxta atque infimis, omnium dominam et reginam virtutum, charitatem. *Optata quippe salus expectanda praecipue est ex magna effusione charitatis*: christianae charitatis intelligimus, quae totius Evangelii compendiaria lex est, quaeque semetipsam pro aliorum commodis semper devovere parata, contra saeculi insolentiam atque immoderatum amorem sui, certissima est homini antidotus; cuius virtutis partes ac lineamenta divina Paulus apostolus iis verbis expressit: *Charitas patiens est, benigna est; non quaerit, quae sua sunt; omnia suffert; omnia sustinet*«. (I. Cor. 13, 4).¹ Stricta enim iustitia neque impedit in patronis indifferentiam erga miseram operariorum sortem, neque in ipsis operariis hostilitatem erga patronos; haec autem omnia impedit charitas. Accrescit quidem sacerdotibus novus labor et maior sollicitudo; studeant oportet novis quaestionibus, acquirant novam scientiam, ignotam antiquis disciplinis. Sed charissimi in Domino, de animabus agitur hac opera salvandis, de patriae agitur opitulando, de ecclesiae serviendo, de Deo glorificando. Quae cum ita sint, sacerdotum pietas, fides et zelus animum addent viresque duplicabunt, dicentque cum Nehemia Ierusalem reaedificante: In nomine Domini, „*surgamus et aedificemus*“. (II. Esdr. 2, 20).²

¹ Litt. encycl. „Rerum novarum“.

² Gods., op. cit. pag. 312 et 172.



Caput IV.

De libris prohibitis deque approbatione et editione librorum.

Singulari cura ecclesia in hoc tendere debet, ut scripta errores propagantia amoveat et extinguat, et supremis rectoribus ecclesiae officium incumbit, ut mediorum, quibus errores quasi ubique praesentes et immortales redduntur, librorum videlicet pravorum, usu interdican et arceant. Cum officio ius coniunctum est, libros in materia fidei et morum erroneos vetandi. »Hinc communiter theologi tradunt«, ita testatur s. Alphonsus de Liguori, »dogma esse, quod ecclesia iurisdictionem ab ipso Domino acceperit, prohibendi fidelibus lectionem librorum, sive de religione impie tractantium, sive contra bonos mores aut ecclesiae disciplinam aliquid continentium«. ¹

1. Prima sollemnis damnatio a Conc. Nicaeno I. anno 325 facta reperitur, quae *Arii* librum »Thalam« legi vetuit. Paulo post (an. 400) Theophilus, episcopus Alexandrinus, cum aliis Aegypti episcopis *Origenis* libros damnavit. Cum, haeresibus in diem auctis et scriptis ad earum defensionem magis propagatis, necessitas quaedam s. Sedi incumbere videretur, ut vetita scripta uno conspectu exhiberentur, Gelasius P. in Synodo romana, anno 496 habita, talem promulgavit catalogum.

Celebris in historia ecclesiastica est pugna, quae »Trium capitulorum« nomine designatur; iam anno 548 Vigilius P. tria capitula damnavit; idem fecit Synodus constantinop. anno 553. E saeculo IX. et secutis nominamus *Claudium* Taurinensem, *Godeschalcium* et *Berengarium*, quorum opera, quin sint hodie adhuc vetita, dubium esse nequit. Innocentius II. Abelardi et Arnoldi Brescensis libros concremari iussit. Circa hoc tempus etiam in ecclesia

¹ Augustinus Arndt S. I., De libris prohibitis commentarii. Ratisbonae, 1895. pag. V. sq.

graeca contra libros similiter actum est; sic anno 1140 in Synodo constantinopolitana sub Leone patriarcha combusti sunt libri Constantini Chrysomali et omnibus inhibito, ne quis eos retinere vel legere auderet. Sollemnis fuit IV. Concilii Lateran. anno 1215 damnatio: »Damnamus et reprobamus libellum, quem abbas Ioachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis, appellans haereticum insanum«.

Inde a medio saec. XIII. plures inveniuntur librorum damnationes v. gr. Wicleffii, Lutheri aliorumque, in quibus mentio fit, librum a pluribus Cardinalibus et theologis esse examinatum, ergo iam futurarum ss. Congregationum Inquisitionis et Indicis prima quasi vestigia habentur. Prima vera species Indicis est *catalogus* anno 1546 ab universitate Lovaniensi editus. Paulus IV. s. officii Congregationi imposuit, ut Indicem *generalem* elaboraret; prodiit anno 1557 et legem constituerebat usque ad Indicis Tridentini promulgationem, anno 1564 per Pium IV. factam Romae sub titulo: »*Index librorum prohibitorum cum regulis confectis per Patres a Tridentina Synodo delectos, auctoritate S. D. N. Pii Pont. M. comprobatus*«.

Multae exierunt huius Indicis reimpressiones Venetiis, Florentiae, Coloniae et alibi; aptiore methodo digestus Index prodiit sub auspiciis Benedicti XIV. et ad haec usque tempora retentus, tantum alphabetica librorum recenter damnatorum serie auctus est.¹ Ultimus Index »Sanctissimi Domini Nostri Leonis XIII. P. M. iussu editus« apparuit Romae in Typogr. Polyglotta s. Congreg. de Propag. Fide anno 1880 et iterum anno 1891.

2. Iure naturae² prohibetur omnis libri cuiuscumque lectio, qua quis sine iusta causa se exponit periculo, integritatem fidei vel morum perdendi; quod discrimen si grave est, legens vel retinens librum eius

¹ Analecta Iuris Pontificii vol. II. col. 2650 sqq. — Dictionarium eccles. Friburgense. II. ed. sub voce »Index« vol. VI. pag. 643—663.

² Augustinus Arndt., op. cit. pag. 85 sqq.

generis mortaliter peccat. In obscoenis libris periculum constituunt affectus libidinosi; in impiis vel saltem a vera religione alienis periculum adest, errores contra fidem etsi mere materiales imbibendi, imo imminet per se abalienatio a vera fide aut totalis etiam aversio; quando vero hoc periculum adsit, ex circumstantiis tum obiecti tum subiecti determinandum est. Cum proinde liber aliquis vetitus dicitur iure naturae, prohibitio cum conditione intelligenda est: nisi iusta causa eiusmodi lectionem cohonestat. Hoc non de impiis tantum, verum etiam de obscoenis libris valet; hinc regula VII. Indicis: »Libri, qui res lascivas seu obscoenas ex professo tractant . . . omnino prohibentur. Antiqui vero ab ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam et proprietatem permittuntur, nulla tamen ratione pueris praelegendi erunt»; a prioribus nimirum nullus bonus effectus sperari potest; in altero vero casu principium theologiae moralis: de duplici effectu ex aliqua causa sequente applicatur.

Si quis libros in aliqua materia errores continentes legere debeat, sufficit necessaria cum licentia, ut in hac materia debite sit praemunitus; deinde cum ob errores latissime sparsos fideles praeservandi sunt a veneno, ecclesiae necessitas et praemonitio de errore, etiam minus doctos a peccato excusat. Prohibitio ergo iuris naturalis obstringit omnes illos, qui ex librorum lectione subversionis fidei periculum sibi imminere prudenter timent mentemque suam gravibus adeo tentationibus concuti sentiunt, ut in probabile saltem dubitandi de fide discrimen adducantur. Unde huiusmodi libros legentes, etiam habita quacumque facultate, graviter peccant; plane, etiamsi licentias sive facultates legendi se habere iactent, nihil omnino hae suffragantur, dum experientia deprehendunt, se lectione talium librorum grave damnum referre multisque ipsorum mentes involvi dubitationum nebulis, quas discutere plerumque nesciunt. Idem sentiendum est de aliis libris impiis deque libris honestati morum inimicis, ut romanensibus et ephemeridibus.

Imo non solum libri de se mali, sed etiam saepe libri de se boni simplicioribus eadem lege vitandi sunt; obligatur enim unusquisque ipso naturae iure id vitare, quod ei futurum est scandalo. Iam vero plures libri de se boni, utiles aut necessarii certis personis, pro speciali aliorum simplicitate aut fragilitate his scandalo esse possunt, ac proin ab eis vitari debent; quis e. gr. dubitat, quin libri anatomici et chirurgici pueris sint eripiendi? Etiam plura Concilii Tridentini decreta de reform., tractatus theologiae moralis, historia ecclesiast., imo ipsi libri sacri non satis firmis aut simplicioribus offensionis occasio esse possunt. His ergo etiam illud applicandum est, quod s. Alphonsus dicit: »Nec cum licentia legi posse, si vel periculum subsit«.

3. Plures antiqui auctores¹ dubium moverunt, utrum Index iuxta regularum determinationes et poenarum sive in ipsis sive pro libris catalogo insertis statutarum, ubique locorum vigeret. Maxime vero de Germania et Gallia quaedam limitationes admittebantur. Verum, quin generalem quaestionem moveamus, an lex prohibens egeat acceptatione, certum est etiam in Germania Indicem usu fuisse receptum, nec Pontifices unquam omisisse, quin eius obligationem urgerent. Synodus Augustana dioecesana bis, prima XVI. saec., altera vice anno 1610 idem decretum tulit: »Qui libri et auctores haeretici a delectis Concilii Trid. Patribus damnati vel prohibiti fuerunt, nos etiam hoc tempore damnamus et prohibemus; simulque in posterum lectionem damnatam et prohibitam illis esse volumus, quibus peculiaris ad legendum facultas non obtigit; idem censemus de libris imprimendis«. Similiter disposuit Concilium Salisburgense anno 1569 habitum.

Quod consensum attinet romanorum Pontificum, Gregorius XIII. ad Cardinalem Toletum Indicem in Germania obligare asserit. Pius VI. Brevi contra Eybel die

¹ Augustinus Arndt, op. cit. pag. 101.

11. Novembr. 1784, Gregorius XVI. Brevi die 26. Sept. 1835 contra Hermes, Pius IX. die 15. Iun. 1857 contra Günther, satis indicaverunt, se minime approbare usum contrarium forte existentem. Porro sane a Benedicti XIV. tempore dubium nullum superesse potuit pro universo terrarum orbe; ita enim ipse in Brevi »Quae ad catholicae religionis« die 23. Decembr. 1757: »Absolutum iuxta mentem nostram Indicem praesentibus litteris Nostris tamquam expresse insertum habentes, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus atque ab omnibus et singulis personis ubicumque locorum existentibus inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus sub poenis tam in regulis Indicis, quam in litteris et constitutionibus apost. alias statutis et expressis, quas tenore eorundem praesentium confirmamus et renovamus. Non obstantibus apost. generalibus vel specialibus litteris, constitutionibus ac quibusvis statutis, decretis, usibus, stylis et consuetudinibus etiam immemorabilibus caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.« Item Gregorius XVI. encyclica die 8. Maii 1844: »In communem notitiam revocatum volumus, standum esse generalibus regulis et decessorum nostrorum decretis, quae Indici prohibitorum librorum praeposita habentur, atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse, qui nominatim in eundem Indicem relati sunt, sed ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus praescriptionibus agitur.«

Caeterum de unanimi consensu Doctorum hic quaedam addere iuvat. Episcopus s. Hippolyti Ios. Fessler, Secretarius Concilii Vaticani,¹ testatur: »Consuetudo contra vim obligatoriam prohibitionis existere nequit, quia agitur in hac re de salute animarum, licet non repugnet consuetudo, quatenus de positivis poenis ecclesiasticis in transgressionem statutis agitur.« »Saepe quidem asseritur«, ita habet clarissimus canonista de Moy, »Indicem in Germania non haberi ut obligantem; haec opinio caret fundamento et

¹ Das kirchliche Bücherverbot. Wien, 1858. pag. 95.

ipsam sequi, esset abusus«; et eius sequax Diendorfer: »Nullus canonista gravioris ponderis sive antiquo sive recentiori tempore publice ausus est asserere: Indicem et regulas eiusdem non obligare.«

4. Cum episcoporum officium¹ sit, pascere gregem sibi concreditum, iure etiam fruuntur a malis libris suos fideles arcendi; hinc iam s. Leo Magnus: »Si quis episcopus apocrypha per domos non prohibuerit, haereticum se noverit iudicandum, quoniam qui alios ab errore non revocat, seipsum errare demonstrat.« Regula quidem X. Indicis Tridentini statuit: »Liberum sit episcopis aut inquisitoribus generalibus secundum facultatem, quam habent, eos etiam libros, qui his regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis aut provinciis vel dioecesibus expedire iudicaverint«; sed iam in Instructione Clementis VIII. de prohibitione librorum § 4. sermo est de *obligatione*: »Episcopi et inquisitores seu ab iisdem subdelegati et deputati tam in Italia quam extra, penes se habeant singularum nationum indices, ut librorum, qui apud illas damnati ac prohibiti sunt, cognitionem habentes, facilius prospicere possint, an etiam a suae iurisdictionis terris eosdem recognitos arcere vel retinere debeant.«

In hunc sensum etiam s. Indicis Congregatio iubente Pio IX. die 2. April. 1873 tale ad episcopos misit decretum: a) Omnibus ab episcopis adhibenda est cura, ut docti probatique utriusque cleri viri, verbis ac scriptis sana doctrina refertis, errores publice grassantes impugnent. b) Ab iisdem scilicet episcopis non est praetermittendum examen operum videlicet et ephemeridum, quae fidem moresque directe impetunt; atque in rebus gravioris momenti, transmissis etiam doctorum virorum votis, certior facienda est s. Indicis Congregatio, ut supremum iudicium ab apostolica Sede confirmandum de his proferre valeat.«

¹ August. Arndt, op. cit. pag. 208.

Omnibus his diligenter perpensis sequentia statuimus. Nulli ex ordine clericali licet imprimere vel imprimendos tradere quosvis libros de Bibliis, dogmatibus, morali christiana et disciplina ecclesiastica tractantes, quin prius examinati atque probati fuerint ab Ordinario; idem valet etiam de laicis auctoribus; insuper quemlibet clericum hortamur ad subiiciendos eidem examini alios *cuiusvis* argumenti libros, quos intenderit ipse typis mandare, ne incaute sibi noceat aut religioni. Animarum pastores porro in conscientia obligatos esse volumus, absque mora referre nobis, si fors libri periculosi aut scripta nociva inter fideles propagentur, ut in Domino provideamus, quae ad tollenda mala inde emergentia apparent necessaria, cuius rei exemplum reperitur in folio dioecetano.¹

5. Quoad librorum approbationem et editionem regula X. Indicis Trid. generatim enuntiat: »In librorum aliarumve scripturarum impressione servetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. X. statutum est.« Constitutio autem haec ita habet: »Nos . . . statuimus et ordinamus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem seu aliam quamcumque scripturam, tam in urbe nostra quam aliis quibusvis civitatibus et dioecesibus imprimere seu imprimi facere praesumat, nisi prius, in urbe per vicarium nostrum et sacri Palatii magistrum, in aliis vero civitatibus et dioecesibus per episcopum vel alium habentem peritiam scientiae libri seu scripturae huiusmodi imprimendae ab eodem episcopo ad id deputandum ac inquisitorem haereticae pravitatis civitatis sive dioecesis, in quibus librorum impressio hu-

¹ Kirchliches Verordnungsblatt für die Lavanter-Dioecese. 1896. num. VII. pag. 24 sq. — S. Indicis Congregatio edidit die 24. Augusti 1864 instructionem, qua a summo Pontifice Pio IX. sanetae memoriae episcopis facultas conceditur, ut contra pravos libros tanquam apostolicae Sedis delegati procedant. Videsis: Kirchliches Verordnungs-Blatt für die Lavanter Diöcese. 1865. num. V. pag. 1—2. — Raimundi Antonii episcopi Eystettensis, Instructio pastoralis. Edidit J. Firnstain Ratisbonae, 1880. pag. 330 sq. — August. Arndt. op. cit. pag. 270. — P. Karl Dilgskron C. SS. R., Generalconsultor in Rom, Die Kirchliche Druckerlaubniss. Theologisch-praktische Quartal-Schrift. I. fasc. Linz, 1894. pag. 41—50; II. fasc. Linz, 1894. pag. 263—302.

iusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum manu propria subscriptionem, sub excommunicationis sententia, gratis et sine dilatione imponendam adprobentur. Qui autem secus praesumpserit, ultra librorum impressorum amissionem et illorum publicam combustionem ac centum ducatorum fabricae Principis apostolorum de urbe sine spe remissionis solutionem ac anni continui exercitii impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat.»

Sed summus Pontifex Pius IX. die 2. Iun. 1848 pro romana ditione statuit: »Ut posthac et donec aliter ab apostolica Sede statuatur, censores ecclesiastici de iis tantum solliciti sint, quae divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen, aliasve eiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter de omnibus, in quibus religionis vel morum honestatis specialiter intersit.« Hinc ad ista in reliquis dioecesibus etiam censura praeventiva restringi potest. Constitutione »Apostolicae Sedis« de die 12. Octobr. 1869 statuitur excommunicatio latae sententiae, speciali modo summo Pontifici reservata, in »omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis apostolicae libros eorundem apostatarum et haeticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostol. litteras nominatim prohibitos — eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes«.

Approbatio ergo librorum vel in genere scriptorum, quae moralis vel religiosi sunt argumenti, omnino necessaria est et tam rigide requiritur, ut defectus eiusdem iam sufficiens causa a s. Congregatione Indicis iudicata fuerit, librum aliquem in Indice ponendi. Approbatio spectat ad episcopum dioecesis, in qua liber imprimitur; ita enim reg. X. Ind. Trid.: »Ad episcopum ac inquisitorem eius civitatis vel dioecesis, in qua impressio fiet, eius approbatio et examen pertinebit.« Ita etiam constat ex

Instructione Clementis VIII. »Ad fidei catholicae«, quae pro impressione et approbatione librorum religiosorum adhucdum maximi momenti est et ita sonat:

»§ 1. Nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen et patriam praeferat auctoris. Quodsi de auctore non constat aut iustam aliquam ob causam, tacito eius nomine, episcopo et inquisitori liber edi posse videatur, nomen *illius* omnino describatur, qui librum examinaverit atque adprobaverit.

§ 2. Regulares praeter episcopi et inquisitoris licentiam, meminerint, teneri se . . . operis in lucem edendi facultatem a praelato, cui subiacent, obtinere. Utramque autem concessionem, quae appareat, ad principium operis imprimi faciant.

§ 3. Qui (episcopi et inquisitores) etiam invigilabunt summo opere, ut in singulorum impressione librorum, nomen impressoris, locus impressionis et annus, quo liber impressus est, in principio eius atque in fine adnotetur.

§ 4. Qui operis alicuius editionem parat, integrum exemplar exhibeat episcopo vel inquisitori; id ubi recognoverint probaverintque, penes se retineant. Quod Romae quidem in Archivio magistri s. Palatii, extra urbem vero in loco idoneo, quem episcopus aut inquisitor elegerit, reservetur. Postquam autem liber impressus erit, non licet cuiquam venalem in vulgus proponere, aut quoquo modo publicare, antequam is, ad quem haec cura pertinet, illum cum manuscripto apud se retento diligenter contulerit licentiamque, ut vendi publicarique possit, concesserit.»

Quae instructio accurate modum determinat, qui observari debet in approbatione et editione librorum; non sufficit ergo, ut tantum apponatur: »De licentia Superiorum«. Sic fuit resolutum a s. Officii Congreg. die 10. Decembr. 1601; attamen haec verba »De licentia Superiorum« possunt tantum sufficere in liberculis et scrip-

turis, quae non indigent examinatione, utpote quae notorie nihil pravi continent.

Pro quavis nova editione nova petenda est approbatio; versionibus alicuius libri approbati approbatio quidem apponi potest, verum ita distincte, ut prorsus appareat, eam ad originale referri. —

Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia . . . Dei. (Gal. 6, 16).

Novissima constitutio apostolica de prohibitione et censura librorum.

Praecedente tractatu modo typis descripto, ordinarii tui episcopali a Reverendissima Nuntiatura apostolica Vindobonensi transmissa est recentissima sanctissimi Domini nostri Leonis divina providentia Papae XIII. constitutio apostolica »Officiorum ac munerum« VIII. Kal. Februar. 1896 (1897) de prohibitione et censura librorum.

Quam novissimam legem sanctae Sedis pro futuro valituram Constitutionibus Nostris synodalibus laetanter ac libenter inserimus, serio mandantes, ut clerus populusque dioecesanus stricte observet gravissimam hanc decisionem auctoritativam circa revisionem atque approbationem librorum typis edendorum. Tenor praeclarissimae constitutionis est hicce:

LEO EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Officiorum ac munerum, quae diligentissime sanctissimeque servari in hoc apostolico fastigio oportet, hoc caput atque haec summa est, assidue vigilare atque omni ope contendere, ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat. Idque, si unquam alias, ma-

xime est necessarium hoc tempore, cum effrenatis licentia ingeniis ac moribus, omnis fere doctrina, quam servator hominum Iesus Christus tuendam Ecclesiae suae ad salutem generis humani permisit, in quotidianum vocatur certamen atque discrimen. Quo in certamine variae profecto atque innumerabiles sunt inimicorum calliditates artesque nocendi: sed cum primis est plena periculorum intemperantia scribendi, disseminandique in vulgus quae prave scripta sunt. Nihil enim cogitari potest perniciosius ad inquinandos animos per contemptum religionis perque illecebras multas peccandi. Quamobrem tanti metuens mali, et incolumitatis fidei ac morum custos et vindex Ecclesia, maturrime intellexit, remedia contra eiusmodi pestem esse sumenda: ob eamque rem id perpetuo studuit, ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet. Vehemens hac in re studium beati Pauli viderunt proxima originibus tempora: similique ratione perspexit sanctorum Patrum vigilantiam, iussa episcoporum, conciliorum decreta, omnis consequens aetas.

Praecipue vero monumenta litterarum testantur, quanta cura diligentiaque in eo evigilaverint romani Pontifices, ne haereticorum scripta, malo publico, impune serperent. Plena est exemplorum vetustas. Anastasius I. scripta Origenis perniciosiora, Innocentius I. Pelagii, Leo Magnus Manichaeorum opera omnia, gravi edicto damnavere. Cognitae eadem de re sunt litterae *decretales* de recipiendis et non recipiendis libris, quas Gelasius opportune dedit. Similiter, decursu aetatum, Monotheletarum, Abaelardi, Marsilii Patavini, Wicleffi et Hussii pestilentes libros sententia apostolicae Sedis confixit.

Saeculo autem decimo quinto, comperta arte nova libraria, non modo in prave scripta animadversum est, quae lucem aspexissent, sed etiam ne qua eius generis posthac ederentur, caveri coeptum. Atque hanc providentiam non levis aliqua caussa, sed omnino tutela hone-

statis ac salutis publicae per illud tempus postulabat: propterea quod artem per se optimam, maximarum utilitatum parentem, christianae gentium humanitati propagandae natam, in instrumentum ingens ruinarum nimis multi celeriter deflexerant. Magnum prave scriptorum malum, ipsa vulgandi celeritate maius erat ac velocius effectum. Itaque saluberrimo consilio cum Alexander VI., tum Leo X. decessores Nostri, certas tulere leges, utique congruentes iis temporibus ac moribus, quae officinatores libenarios in officio continerent.

Mox graviore exorto turbine, multo vigilantius ac fortius oportuit malarum haereseon prohibere contagia. Idcirco idem Leo X., posteaque Clemens VII. gravissime sanxerunt, ne cui legere, neu retinere Lutheri libros fas esset. Cum vero pro illius aevi infelicitate crevisset praeter modum atque in omnes partes pervasisset perniciosorum librorum impura colluvies, ampliore ac praesentiore remedio opus esse videbatur. Quod quidem remedium opportune primus adhibuit Paulus IV. decessor Noster, videlicet elencho proposito scriptorum et librorum, a quorum usu cavere fideles oporteret. Non ita multo post Tridentinae synodi Patres gliscentem scribendi legendique licentiam novo consilio coërcendam curaverunt. Eorum quippe voluntate iussuque lecti ad id praesules et theologi non solum augendo perpoliendoque Indici, quem Paulus IV. ediderat, dedere operam, sed Regulas etiam conscripsere, in editione, lectione, usuque librorum servandas: quibus Regulis Pius IV. apostolicae auctoritatis robur adiecit.

Verum salutis publicae ratio, quae Regulas Tridentinas initio genuerat, novari aliquid in eis, labentibus aetatibus, eadem iussit. Quamobrem romani Pontifices nominatimque Clemens VIII., Alexander VII., Benedictus XIV., gnari temporum et memores prudentiae, plura decrevere, quae ad eas explicandas atque accommodandas tempori valuerunt.

Quae res praeclare confirmant, praecipuas romanorum Pontificum curas in eo fuisse perpetuo positas, ut

opinionum errores morumque corruptelam, geminam hanc civitatum labem ac ruinam, pravis libris gigni ac disseminari solitam, a civili hominum societate defenderent. Neque fructus fefellit operam, quam diu in rebus publicis administrandis rationi imperandi ac prohibendi lex aeterna praefuit, rectoresque civitatum cum potestate sacra in unum consensere.

Quae postea consecuta sunt, nemo nescit. Videlicet cum adiuncta rerum atque hominum sensim mutavisset dies, fecit id Ecclesia prudenter more suo, quod, perspecta natura temporum, magis expedire atque utile esse hominum saluti videretur. Plures Regularum Indicis praescriptiones, quae excidissee opportunitate pristina videbantur, vel decreto ipsa sustulit, vel more usuque alicubi invalescente antiquari benigne simul ac provide sivit. Recentiore memoria, datis ad Archiepiscopos Episcoposque e principatu pontificio litteris, Pius IX. Regulam X. magna ex parte mitigavit. Praeterea, propinquo iam Concilio magno Vaticano, doctis viris, ad argumenta paranda delectis, id negotium dedit, ut expenderent atque aestimarent Regulas Indicis universas, iudiciumque ferrent, quid de iis facto opus esset. Illi commutandas, consentientibus sententiis, iudicavere. Idem se et sentire et petere a Concilio plurimi ex Patribus aperte profitebantur. Episcoporum Galliae extant hac de re litterae, quarum sententia est, necesse esse et sine cunctatione faciendum, ut *Regulae et universa res Indicis novo prorsus modo nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliiori instaurarentur*. Idem eo tempore iudicium fuit Episcoporum Germaniae, plane petentium, ut *Regulae Indicis . . . recenti revisioni et redactioni submittantur*. Quibus Episcopi concinunt ex Italia aliisque e regionibus complures.

Qui quidem omnes, si temporum, si institutorum civilium, si morum popularium habeatur ratio, sane aequa postulant et cum materna Ecclesiae sanctae charitate convenientia. Etenim in tam celeri ingeniorum cursu, nullus

est scientiarum campus, in quo non litterae licentius excurrant: inde pestilentissimorum librorum quotidiana colluvies. Quod vero gravius est, in tam grandi malo non modo connivent, sed magnam licentiam dant leges publicae. Hinc ex una parte, suspensi religione animi plurimorum: ex altera, quidlibet legendi impunita copia.

Hisce igitur incommodis medendum rati, duo facienda duximus, ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Videlicet librorum improbatæ lectionis diligentissime recognosci Indicem; subinde, maturum cum fuerit, ita recognitum vulgari iussimus. Praeterea ad ipsas Regulas mentem adiecimus, easque decrevimus, incolumi earum natura, efficere aliquanto molliores, ita plane ut iis obtemperare, dummodo quis ingenio malo non sit, grave arduumque esse non possit. In quo non modo exempla sequimur decessorum Nostrorum, sed maternum Ecclesiae studium imitamur: quae quidem nihil tam expetit, quam se impertire benignam, sanandosque ex se natos ita semper curavit, curat, ut eorum infirmitati amanter studioseque parcat.

Itaque matura deliberatione, adhibitisque S. R. E. Cardinalibus e sacro Consilio libris notandis, edere *Decreta Generalia* statuimus, quae infra scripta, unaque cum hac Constitutione coniuncta sunt; quibus idem sacrum Consilium posthac utatur unice, quibusque catholici homines toto orbe religiose pareant. Ea vim legis habere sola volumus, abrogatis *Regulis* sacrosanctae Tridentinae synodi iussu editis, *Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis*, et quovis alio decessorum Nostrorum hac de re statuto iussuque, una excepta Constitutione Benedicti XIV. *Sollicita et provida*, quam, sicut adhuc viguit, ita in posterum vigere integram volumus.¹

¹ Constitutio Benedicti PP. XIV. *Sollicita et provida* 7. Id. Iulii 1753, Indici praevia, agit de modo procedendi s. Congregationis Indicis, cuius summa exhibetur in opere saepius iam allegato: De libris prohibitis commentarii. Auctore Augustino Arndt S. I. Ratisbonae, 1895. pag. 195—205.

DECRETA GENERALIA
DE PROHIBITIONE ET CENSURA LIBRORUM.

TITULUS I.
DE PROHIBITIONE LIBRORUM.

CAPUT I.

De prohibitis apostatarum, haeticorum, schismaticorum, aliorumque scriptorum libris.

1. Libri omnes, quos ante annum MDC aut summi Pontifices, aut Concilia oecumenica damnarunt, et qui in novo Indice non recensentur, eodem modo damnati habeantur, sicut olim damnati fuerunt: iis exceptis, qui per haec Decreta Generalia permittuntur.

2. Libri apostatarum, haeticorum, schismaticorum et quorumcumque scriptorum haeresim vel schisma propugnantes, aut ipsa religionis fundamenta utcumque evertentes omnino prohibentur.

3. Item prohibentur acatholicorum libri, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra fidem catholicam contineri.

4. Libri eorundem auctorum, qui ex professo de religione non tractant, sed obiter tantum fidei veritates attingunt, iure ecclesiastico prohibiti non habeantur, donec speciali decreto proscripti haud fuerint.

CAPUT II.

De editionibus textus originalis et versionum non vulgarium sacrae Scripturae.

5. Editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae orientalis, ab acatholicis quibuscumque publicatae, etsi fideliter et integre editae appareant, iis dumtaxat, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, dummodo tamen non impugnentur in prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata, permittuntur.

6. Eadem ratione et sub iisdem conditionibus, permittuntur aliae versiones sacrorum Bibliorum sive latina, sive alia lingua non vulgari ab acatholicis editae.

CAPUT III.

De versionibus vernaculis sacrae Scripturae.

7. Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob

hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; versiones omnes in lingua vernacula, etiam a viris catholicis confectae, omnino prohibentur, nisi fuerint ab apostolica Sede approbatae, aut editae sub vigilantia Episcoporum cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus, atque ex doctis catholicisque scriptoribus.

8. Interdicuntur versiones omnes sacrorum Bibliorum, quavis vulgari lingua ab acatholicis quibuscumque confectae, atque illae praesertim, quae per Societates biblicas, a romanis Pontificibus non semel damnatas, divulgantur, cum in iis saluberrimae Ecclesiae leges de divinis libris edendis funditus posthabeantur.

Hae nihilominus versiones iis, qui studiis theologicis vel biblicis dant operam, permittuntur: iis servatis, quae supra (n. 5) statuta sunt.

CAPUT IV.

De libris obscenis.

9. Libri, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, cum non solam fidei, sed et morum, qui huiusmodi librorum lectione facile corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur.

10. Libri auctorum sive antiquorum sive recentiorum, quos classicos vocant, si hac ipsa turpitudinis labe infecti sunt, propter sermonis elegantiam et proprietatem, iis tantum permittuntur, quos officii aut magisterii ratio excusat: nulla tamen ratione pueris vel adolescentibus, nisi solerti cura expurgati, tradendi aut praelegendi erunt.

CAPUT V.

De quibusdam specialis argumenti libris.

11. Damnantur libri, in quibus Deo, aut beatae Virgini Mariae, vel Sanctis, aut catholicae Ecclesiae eiusque cultui, vel sacramentis, aut apostolicae Sedi detrahitur. Eidem reprobationis iudicio subiacent ea opera, in quibus inspirationis sacrae Scripturae conceptus pervertitur, aut eius extensio nimis coarctatur. Prohibentur quoque libri, qui data opera ecclesiasticam Hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt.

12. Nefas esto libros edere, legere aut retinere, in quibus sortilegia, divinatio, magia, evocatio spirituum, aliaque huius generis superstitiones docentur vel commendantur.

13. Libri aut scripta, quae narrant novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula, vel quae novas inducunt devotiones, etiam sub praetextu quod sint privatae, si

publicentur absque legitima Superiorum Ecclesiae licentia, proscribuntur.

14. Prohibentur pariter libri, qui duellum, suicidium, vel divortium licita statuunt, qui de sectis massonicis, vel aliis eiusdem generis societatibus agunt, easque utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt, et qui errores ab apostolica Sede proscriptos tuentur.

CAPUT VI.

De sacris imaginibus et indulgentiis.

15. Imagines quomodocumque impressae Domini Nostri Iesu Christi, beatæ Mariæ Virginis, Angelorum atque Sanctorum, vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu et decretis difformes, omnino vetantur. Novae vero, sive preces habeant annexas, sive absque illis edantur, sine ecclesiasticae potestatis licentia non publicentur.

16. Universis interdicitur indulgentias apocryphas, et a sancta Sede apostolica proscriptas vel revocatas quomodocumque divulgare. Quae divulgatae iam fuerint, de manibus fidelium auferantur.

17. Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessionem continentur, non publicentur absque competentis auctoritatis licentia.

CAPUT VII.

De libris liturgicis et precatoriis.

18. In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Caeremonialis Episcoporum, Pontificalis romani, aliorumque librorum liturgicorum a sancta Sede apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare praesumat: si secus factum fuerit, hae novae editiones prohibentur.

19. Litaniae omnes, praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et praeter Litanias de beata Virgine, quae in sacra Aede Lauretana decantari solent, et Litanias sanctissimi Nominis Iesu iam a sancta Sede approbatas, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii.

20. Libros, aut libellos precum, devotionis, vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae, aliosque huiusmodi, quamvis ad fovendam populi christiani pietatem conducere videantur, nemo praeter legitimae auctoritatis licentiam publicet: secus prohibiti habeantur.

CAPUT VIII.

De diariis, foliis et libellis periodicis.

21. Diaria, folia et libelli periodici, qui religionem aut bonos mores data opera impetunt, non solum naturali, sed etiam ecclesiastico iure proscripti habeantur.

Curent autem Ordinarii, ubi opus sit, de huiusmodi lectionis periculo et damno fideles opportune monere.

22. Nemo e catholicis, praesertim e viris ecclesiasticis, in huiusmodi diariis, vel foliis, vel libellis periodicis, quidquam, nisi suadente iusta et rationabili causa, publicet.

CAPUT IX.

De facultate legendi et retinendi libros prohibitos.

23. Libros sive specialibus, sive hisce Generalibus Decretis proscriptos, ii tantum legere et retinere poterunt, qui a Sede apostolica, aut ab illis, quibus vices suas delegavit, opportunas fuerint consecuti facultates.

24. Concedendis licentiis legendi et retinendi libros quoscunque prohibitos romani Pontifices sacram Indicis Congregationem praeposuerunt. Eadem nihilominus potestate gaudent, tum suprema Sancti Officii Congregatio, tum sacra Congregatio de Propaganda Fide pro regionibus suo regimini subiectis. Pro Urbe tantum, haec facultas competit etiam Sacri Palatii Apostolici Magistro.

25. Episcopi alique Praelati iurisdictione quasi episcopali pollentes, pro singularibus libris, atque in casibus tantum urgentibus, licentiam concedere valeant. Quod si iidem generalem a Sede apostolica impetraverint facultatem, ut fidelibus libros proscriptos legendi retinendique licentiam impertiri valeant, eam nonnisi cum delectu et ex iusta et rationabili causa concedant.

26. Omnes, qui facultatem apostolicam consecuti sunt legendi et retinendi libros prohibitos, nequeunt ideo legere et retinere libros quoslibet, aut ephemerides ab Ordinariis locorum proscriptas, nisi eis in apostolico indulto expressa facta fuerit potestas legendi et retinendi libros a quibuscunque damnatos. Meminerint insuper, qui licentiam legendi libros prohibitos obtinuerunt, gravi se praecepto teneri huiusmodi libros ita custodire, ut ad aliorum manus non perveniant.

CAPUT X.

De denunciatione pravorum librorum.

27. Quamvis catholicorum omnium sit, maxime eorum, qui doctrina praevalent, perniciosos libros Episcopis, aut apo-

stolicae Sedi denunciare; id tamen speciali titulo pertinet ad Nuntios, Delegatos apostolicos, locorum Ordinarios, atque Rectores universitatum doctrinae laude florentium.

28. Expedit ut in pravorum librorum denunciatione non solum libri titulus indicetur, sed etiam, quoad fieri potest, causae exponantur, ob quas liber censura dignus existimatur. Iis autem ad quos denunciatio defertur, sanctum erit, denunciantium nomina secreta servare.

29. Ordinarii, etiam tamquam delegati Sedis apostolicae, libros, aliaque scripta noxia in sua dioecesi edita vel diffusa proscribere, et e manibus fidelium auferre studeant. Ad apostolicum iudicium ea deferant opera vel scripta, quae subtilius examen exigunt, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum supremæ auctoritatis sententia requiri videatur.

TITULUS II DE CENSURA LIBRORUM.

CAPUT I.

De Praelatis librorum censurae praepositis.

30. Penes quos potestas sit sacrorum Bibliorum editiones et versiones adprobare vel permittere ex iis liquet, quae supra (n.º 7) statuta sunt.

31. Libros ab apostolica Sede proscriptos nemo audeat iterum in lucem edere: quod si ex gravi et rationabili causa, singularis aliqua exceptio hac in re admittenda videatur, id nunquam fiet, nisi obtenta prius sacrae Indicis Congregationis licentia, servatisque conditionibus ab ea praescriptis.

32. Quae ad causas beatificationum et canonizationum Servorum Dei utcumque pertinent, absque beneplacito Congregationis sacris Ritibus tuendis praepositae publicari nequeunt.

33. Idem dicendum de Collectionibus Decretorum singularum romanarum Congregationum: hae nimirum Collectiones edi nequeant, nisi obtenta prius licentia, et servatis conditionibus a moderatoribus uniuscuiusque Congregationis praescriptis.

34. Vicarii et missionarii apostolici Decreta sacrae Congregationis Propagandae Fidei praepositae de libris edendis fideliter servent.

35. Approbatio librorum, quorum censura praesentium Decretorum vi apostolicae Sedi vel romanis Congregationibus non reservatur, pertinet ad Ordinarium loci, in quo publici iuris fiunt.

36. Regulares, praeter Episcopi licentiam, meminerint teneri se, sacri Concilii Tridentini decreto, operis in lucem edendi facultatem a Praelato, cui subiacent, obtinere. Utraque autem concessio in principio vel in fine operis imprimatur.

37. Si auctor Romae degens librum non in Urbe, sed alibi imprimere velit, praeter approbationem Cardinalis Urbis Vicarii et Magistri Sacri Palatii Apostolici, alia non requiritur.

CAPUT II.

De censorum officio in praevio librorum examine.

38. Curent Episcopi, quorum muneris est facultatem libros imprimendi concedere, ut eis examinandis spectatae pietatis et doctrinae viros adhibeant, de quorum fide et integritate sibi polliceri queant, nihil eos gratiae datuos, nihil odio, sed omni humano affectu posthabito, Dei dumtaxat gloriam spectatuos et fidelis populi utilitatem.

39. De variis opinionibus atque sententiis (iuxta Benedicti XIV. praeceptum) animo a praeiudiciis omnibus vacuo, iudicandum sibi esse censores sciant. Itaque nationis, familiae, scholae, instituti affectum excutiant, studia partium seponant. Ecclesiae sanctae dogmata, et communem catholicorum doctrinam, quae Conciliorum, generalium decretis, romanorum Pontificum Constitutionibus atque Doctorum consensu continentur, unice prae oculis habeant.

40. Absoluto examine, si nihil publicationi libri obstare videbitur, Ordinarius, in scriptis et omnino gratis, illius publicandi licentiam, in principio vel in fine operis imprimendam, auctori concedat.

CAPUT III.

De libris praeviae censurae subiiciendis.

41. Omnes fideles tenentur praeviae censurae ecclesiasticae eos saltem subiicere libros, qui divinas Scripturas, sacram Theologiam, Historiam ecclesiasticam, Ius canonicum, Theologiam naturalem, Ethicen, aliasve huiusmodi religiosas aut morales disciplinas respiciunt, ac generaliter scripta omnia, in quibus religionis et morum honestatis specialiter intersit.

42. Viri e clero saeculari ne libros quidem, qui de artibus scientiisque mere naturalibus tractant, inconsultis suis Ordinariis publicent, ut obsequentis animi erga illos exemplum praebeant.

Iidem prohibentur, quominus, absque praevia Ordinariorum venia, diaria vel folia periodica moderanda suscipiant.

CAPUT IV.

De typographis et editoribus librorum.

43. Nullus liber censurae ecclesiasticae subiectus excudatur, nisi in principio nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris praeferat, locum insuper et annum impressionis atque editionis. Quod si aliquo in casu, iustas ob causas, nomen auctoris tacendum videatur, id permittendi penes Ordinarium potestas sit.

44. Noverint typographi et editores librorum novas eiusdem operis approbati editiones, novam approbationem exigere, hanc insuper textui originali tributam, eius in aliud idioma versionem non suffragari.

45. Libri ab apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censeantur, et in quodcumque vertantur idioma.

46. Quicumque librorum venditores, praecipue qui catholico nomine gloriantur, libros de obscenis ex professo tractantes neque vendant, neque commodent, neque retineant: caeteros prohibitos venales non habeant, nisi a sacra Indicis Congregatione veniam per Ordinarium impetraverint, nec cuiquam vendant, nisi prudenter existimare possint, ab emptore legitime peti.

CAPUT V.

De poenis in Decretorum Generalium transgressores statutis.

47. Omnes et singuli scienter legentes, sine auctoritate Sedis apostolicae, libros apostatarum et haeticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes, excommunicationem ipso facto incurrunt, romano Pontifici speciali modo reservatam.

48. Qui sine Ordinarii approbatione sacrarum Scripturarum libros, vel earundem adnotationes vel commentarios imprimunt, aut imprimi faciunt, incidunt ipso facto in excommunicationem nemini reservatam.

49. Qui vero caetera transgressi fuerint, quae his Decretis Generalibus praecipiuntur, pro diversa reatus gravitate serio ab Episcopo moneantur; et, si opportunum videbitur, canonicis etiam poenis coërceantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur, nullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse; sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere, decernimus: irritum quoque

et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu, scienter vel ignoranter contigerit attentari declarantes, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem, ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis habetur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, limitationis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. — Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo sexto (septimo), VIII. Kal. Februarias, Pontificatus Nostri decimo nono.

A. Card. MACCHI.

A. PANICI Subdatarius.

Visa de curia

J. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ Plumbi.

Reg. in Secret. Brevium.

I. CUGNONIUS.



Caput V.

De agendi ratione circa ephemerides.



omines, cum natura rerum novarum cupidi sint, eas ut vel ipsi experiantur vel ab aliis resciscant, magna saepe opera quaerunt; neque in hoc quidquam mali inest, donec recta ratione ducantur. Quin imo omnis fere ingenii humani profectus in hoc eiusdem studio fundatur atque ideo tantum abest, ut ecclesia ei resistat, ut ei servatis servandis faveat, maxime etiam in rebus, quae ad divina pertinent. Cuius rei tota eius historia testis est neque id quisquam seria mente negat, cum publicas bibliothecas et artium monumenta considerat.

Nostro iam aevo illi rerum novarum studio magna cum ostentatione folia ut vocantur periodica servire se iactant, neque sine specie veri de hoc gloriantur, quippe cum circa omnia obiecta versari et per omnia loca vagari soleant. Imo ecclesia se ipsa eorundem usu non privat, sed quanta ex eis bona Christi fidelibus evenire possint, bene perspicit, et actu etiam demonstrat.

Nihilominus mala quoque multa et gravia fidei et morum pericula, si quae prava esse contingat, illa folia populo christiano parare possunt. »Locum enim«, cl. Aug. Arndt¹ inquit, »librorum, quos antiquitus homines sibi comparare solebant, ephemerides nunc occupant. Quae si non subiiciunt se inflexibilibus principiis conscientiae christianae, illos solum lectores allicere valent, quos blandiendo passionibus irretiunt.« Atqui blandiri passionibus profecto aliud non est, nisi fallere intellectum et cor corrumpere legentis. Hoc verò scribae huiusmodi ephemeridum atque auctores consulto et ex quodam quasi contractu faciunt, cum panem perdunt, nisi legentium passionibus blandiantur, *„docentes, quae non oportet, turpis lucri gratia“*. (Tit. 1, 11).

Iam hoc ephemeridum virus saepe »serpentis est inter pomifera paradisi latitantis ligna«, ut concilium francoford. (anno 794)² loquitur, neque generatim ulli unquam parcat, qui incautus accesserit. Atqui homines febrili quasi activitate hodie occupantur ac paucae eis in die horae requiei supersunt, hae vero plerumque ephemeridis lectione absorbentur. Hinc illi quoque, quibus reflexione quam maxime opus est, nec de rebus, quas legunt, reflectere nec proprias sibi de eis ideas efformare possunt, atque idcirco virus, quod in ephemeride latet, non detegunt, sed eodem saepe avidè pascuntur.

¹ De libris prohibitis Commentarii. Auctore Augustino Arndt S. I., Berolinensi, ss. canonum in Collegio Maximo Cracoviensi professore. Ratisbonae, Neo-Eboraci et Cincinnati. Sumptibus et typis Friderici Pustet, S. Sedis apostolicae Typographi. 1895. pag. 91. num. 81. lit. a.

² Denzinger, op. cit. pag. 86. num. 254.

Praeterea vero suae quisque ephemeridi fidem paene coecam habet, nec facile evenit, ut haec in ipso, aperto etiam errore, concidat, sed excusare illam mavult, quam pravae accusare deceptionis. Quia scriba plerumque ignoratur, lector eum de rebus, quas tractat, certo instructum supponit, quippe cui talem locum imputet, unde omnia videre ac tuto iudicare possit. Plerique etiam lectores facta et personas, quae in ephemeride notantur, e sola ephemeride noverunt. Igitur cum minus sagaces sint, ut verum a falso discernant, nec satis doctrinae habeant, ut quid verum sit, certo sibi persuadeant, iudicium de illis sibi oblatum arripiunt nec facile ab eo recedunt, non quod id verum esse sciant, sed quod ipsi eius primo fidem habuerint.

Denique assidua ephemeridis cuiusdam lectione efficitur, ut lector eiusdem principiis, licet ab initio ea non probet, assuefiat et ea ultimo sua faciat. Quae si prava sint, eius sentiendi et agendi rationem viro suo inficiunt et pervadunt in eoque crude dominantur. »Nam« ut cl. Arndt¹ observat, »experientia constat, non inveniri lectorem assiduum cuiusdam ephemeridis, quin eiusdem postremo principia amplectatur. Ex ea opiniones suas de ecclesiae regimine et doctrina, de illius potestate et iuribus, de rebus politicis et religiosis deque earum ad se habitudine haurit vel confirmat.«

Huc non solum ephemerides spectant, quae errores, ab ecclesia, praesertim Syllabo Pii PP. IX., expresse damnatos approbant et defendunt, sed illae etiam, quae etsi nullum errorem iam reprobatum contineant, frequenter tamen de opportunitate aut prudentia documentorum SS. Pontificum sinistre loquuntur, vel ecclesiae ministris detrahunt eisque, qui his obloquuntur, faciles praebent aures, vel catholicos viros, domus Dei zelantes, imprudentiae aut exaggerationis arguunt, vel etiam ipsos clericos, quod se rebus politicis contra iusque fasque

¹ Op. cit. pag. 93. num. 81. lit. c.

immisceant, acriter carpunt, cum de veneno suspectae et perniciæ plenae sint.¹

Inter catholicos nemo est, quin huius modi ephemerides iure iam naturali iudicet prohiberi, quippe cum certe, qui eas assidue legunt, proximum perversionis periculum subeant. Deinde illa ratione etiam scandali prohibentur, quod qui eas assidue manu terit, aliis praebet, cum eius exemplo facile moveantur, ut eas „*ad suam ipsorum perditionem*“ (II. Petr. 3, 16) legant. Tandem qui eas sibi pecunia comparant vel etiam nuntia de rebus vel personis ad eas deferunt, edendis eisdem et propagandis cooperantur sicque, quantum ex se est, eas iuvant ac sustentant, ut religio et ecclesia ab eis detrimentum capiat.

Quae mala ut a grege Nobis commisso arceamus, omnes et singulos animarum pastores admonemus et in Domino eis praecipimus, ut suae quisque parochiae „*per-vigilent, quasi rationem pro animabus reddituri*“ (Hebr. 13, 17), ne pravae ephemerides in eas irrepant, et si iam domus pervertunt, ut private et occasione data etiam publice, omni tamen prudentia fideles ac praesertim patresfamilias adhortentur, ne eis ultra nec manus suas nec domos aperiant. Quorum si monita effectu careant, res ad Nos deferatur, ut „*quos oportet redargui*“ (Tit. 1, 11), Nostra auctoritate ad meliora sensa conducamus.²

Neque vero solum negative, pravis ephemeridibus reprimendis, sed etiam positive, bonis foliis edendis pericula spiritualia et socialia damna a fidelibus arcere decet. Nam inter subsidia, quae ad fidei defensionem et morum disciplinam conferre possunt, D. N. Leo PP. XIII.³ praeter libros etiam »diaria et similia in vulgus data«

¹ Epist. pastor. Episc. Placent. de die 8. Februarii 1878.

² Cfr. Concord. Austr. art. IX. — Dr. Simon Aichner, Compend. iuris eccl. Edit. 8. Brixinae, 1895. § 151. pag. 533. § 118. pag. 395 sq.

³ Ep. encycl. „In ipso supremi“ de die 3. Martii 1891.

computat. »Eius modi enim, inquit, scriptis optimis, quae vel quotidie vel certis diebus emittuntur, multum sane in omni gente esttribuendum ad utilitates rei sacrae et civilis, sive quod eas proxime tutentur et augeant, sive quod adversariorum in ipsarum damna nitentium scripta elidant et contagionem impuram coërceant.«

In dioecesi Nostra, etsi pravarum influxu ephemeridum non careat, de bonis tamen et sanis gratulamur foliis, quae populo Nostro de rebus in vita religiosa et politica necessariis instruendo sufficiunt. Specialis etiam societas quinque inde lustris, sub ipsis auspiciis Nostri, folium periodicum, quo res politicae, religiosae atque agricolaes vulgari lingua et stilo humiliori tractantur, semel in hebdomada emittit neque ei res praeter vota procedere videntur. Huic exinde societati ac maxime clero Nobis dilecto ex animo commendamus, ut si quando fieri potuerit, folia periodica, alterum soli religiosae educationi populi Nostri, alterum scientificae cleri ipsius instructioni destinet et publici iuris faciat.

Cui desiderio aliud non tam desiderium adiungimus, quam certam spem, eis scilicet, qui his aliisve nomine catholicis foliis scribendis cooperantur, iustitiam et veritatem: hanc in rebus, quas tractare, illam erga personas, de quibus scribere eos contingat, supremam semper legem fore. Hoc enim modo principia catholica fortes proponent et si quando opus fuerit, etiam defendent; prava vero et rei christianae nociva facile detegent nec minus fortes reiicient. Simili quoque modo homines, quo rei christianae firmiter adhaereant neve potius ad adversariorum castra abeant, leni stilo et mansueto sermone alliciuntur ac continentur; imo ii, qui ex adverso stant, cum iustitiam sibi fieri vident, non exacerbescent, sed animis saepe immitescunt et ad meliores forte fruges reducuntur.

»In causa porro«, ut Leo XIII. monet¹, »gravi et nobili modum adhibere convenit aequae nobilem et gravem,

¹ Litt. encycl. „Cognita Nobis“ de die 25. Ianuarii 1882.

quem ultra progredi non oportet.« Neque enim disputatione irata, sed moderata, rationum potius pondere, quam stilo vehementi actor rei sacrae causam vincit. Itaque „*calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium*“ (Is. 42, 3).

Eadem etiam ratione nulli unquam scriptori vere catholico illud divi Pauli (Gal. 3, 27 sq) e memoria excidet: „*Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber . . . omnes enim vos unum estis in Christo*“.

Eis deinde, quae viri cordati et catholici in his, quae praesto sunt, foliis vel in libris etiam reponunt, ad catholicae religionis exaltationem, utilitatem populi christiani, ad amorem patriae sacrae, serenissimae dynastiae pietatem suas quisque partes conferunt neque, conscientia bene facti contenti, multum curant, ut et ipsi inde immediate commoda percipiant. Praeter ea nihil unquam scribunt, quod bono cuiquam viro et iure displiceat, neque ulla ratione ab ea recedunt temperantia, quae uti sanctarum generatim virtutum, ita scriptorum quoque comes sit, necesse est.

Quae si in Nostra semper dioecesi et omnes scriptores observent, non timemus, ne, quod Leo XIII.¹ praecipit, »nulla in re ab iudicio Episcopi abscedant, sed recte studioseque cum eius concordent prudentia et voluntate.«² Vehementer etiam cum Sanctissimo Domino³ optamus, ut huiusmodi foliis »et clerus benigne faveat suaeque afferat doctrinae praesidia, et viri, quotquot reapse sunt catholici, omnem gratiam bonamque pro viribus et facultate opem largiantur.«

¹ L. c. et alias saepe.

² Litt. encycl. „Nobilissima Gallorum gens“ de die 4. Februarii 1884; „Sapientiae christianae“ de die 10. Ianuarii 1890; Epist. brev. „Epistola tua“ de die 17. Iunii 1885.

³ L. c.

Titulus secundus.

De cultu divino.

Caput VI.

De sacramento baptismatis.

Sacrum baptisma, christianae religionis aeternaeque vitae ianua, primum inter novae legis sacramenta a Christo instituta obtinet locum. Illud cunctis hominibus ad salutem necessarium esse, ipsa divina Veritas, Christus Iesus, testatur verbis notissimis: „*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*“. (Ioan. 3, 5). Quamobrem summa ad illud opportune riteque administrandum ac suscipiendum diligentia adhibenda est.

Vos, venerabiles sacerdotes Dei, optime instructos aestimo de omnibus et singulis, quae ad sacrum hoc ministerium rite et sancte peragendum necessaria habentur. Ob scientiam hanc vestram exactam supersedeo vos praemonere de materia, forma et ministro, porro de ritibus et caeremoniis aliisque ad sollemnitatem administrationis sacramenti huius pertinentibus. At alia res est cum obstetricibus, quae datis occasionibus ad baptismum in necessitate parvulis conferendum obligantur. Iure merito monet hortaturque recens Collectio rituum dioecesis Lavantinae parochos ad curam indesinenter adhibendam, ut obstetrices baptismum rite conferendi rationem optime calleant.¹

Itaque animarum pastores instruere et erudire obstetrices tenentur in iis, quae suum munus generatim quaeque speciatim ad baptismum in necessitate conferendum pertinent. Agitur nempe de summo negotio: de aeterna salute animarum a Christo Domino pretioso suo sanguine redemptarum. Respectu habito ad hocce insigne ac singulare negotium Episcopi austriaci, in comitiis gene-

¹ Collectio rituum dioecesis Lavantinae. Marburgi, 1896. pag. 6. num. 23.

ralibus Vindobonae collecti, sessione VI. die 7. mensis Aprilis anni 1894 specialem ad clerum de erudiendis obstetricibus approbarunt institutionem,¹ quam vobis hisce communico. cum pastorali ordinatione, ut isti sol-
 lenter studeatis illamque ad amussim observetis.

Institutio ad Clerum

de erudiendis obstetricibus

in iis quae ad suum munus in genere et de iis in specie quae ad baptismum in necessitate conferendum pertinent.

Articulus I.

Ea quae generatim ab obstetrice in suo munere observanda sunt eique merito inculcari debent sunt sequentia:

In iis peragendis quae suae artis sunt, fideliter, accurate, sollerter se gerat, animoque ad iuvandum parato.

Quum ad subveniendum mulieri pariturae vocatur, primo fusa prece eam seseque Domino Deo commendet.

Cuius praesto esse velit aequa semper adhibita cura, sine personarum acceptione.

De iis quae in exercitio artis suae occurrere solent, altum silentium servet.

Loquelam quod attinet, honesta et castigata sit; in potu vero ciboque sumendo temperantiam custodiat, et tunc maxime, quum post infantis baptismum, ut alicubi moris est, convivia aguntur.

Instante partu a puerperae cubiculo otiosas aut non necessarias personas excludere prudenter satagat.

Abstineat a casibus aliquando obviis enarrandis, qui animum puerperae exterrere eique metum, anxietatem ingerere possint.

Si quando partus difficilis aut praevideatur aut animadvertitur, curet mature medicum advocari, imo si opus fuerit, et sacerdotem.

Ut neonatus sine indebita mora sancto regeneratinis sacramento abluatur, curet pro viribus; necessitate vero ingruente, obstetricis erit baptismum conferre.

Ut de infantis nativitate certior fiat sacerdos, qui matri-
 culas tenet, curam gerat, idque etiam tunc quum infans post

¹ Cfr. Protokoll der bischöflichen Versammlung in Wien vom 2. bis zum 10. April 1894. Prag, 1894. pag. 10 et 11.

acceptum e necessitate privatum baptismum brevi mortuus fuerit, aut foetus iam mortuus prodierit.¹

Articulus II.

Nedum in artis suae exercitio, sed generatim obstetrix commonenda est, ut bene morigeram se praebeat, christiane vivat, sacramenta Ecclesiae frequenter recipiat.

Articulus III.

Obstetricem docere expedit, quid agat, quum animadverterit mulierem praegnantem ea mente esse, ut foetum depellat, et ad id fortassis media perquirere. Instanter scilicet et religiose moneat procurationem abortus coram Deo immane scelus esse, ac verissimum homicidium, quum non modo corporalis vita concepti infantuli perimitur, sed etiam animae, quae baptismatis regeneratione et beatitudinis fruitione carebit; addat ipsa lege civili procurationem abortus gravibus poenis plecti, imo nec criminis attentationem, licet non sequatur effectus, a poenis immunem esse. Praegnantem insuper doceat quantum fieri potest praecavere casus omnes, quibus vita foetus in discrimen adducitur, unde baptismatis percipiendi spes tollatur; id ipsum enim sub gravi peccato mulier uterum gestans praestare tenetur.

Articulus IV.

Plurimum refert, ut obstetrices probe sciant ea, quae ad baptismum in casu necessitatis conferendum pertinent; etenim (ut habet Rituale Rom. tit. II. cp. 1. nr. 1. et 13.) »summa ad illud (baptismi sacramentum) opportune riteque administrandum diligentia adhibenda est« . . . »quapropter curare debet Parochus ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant et servant«.

Necesse est ergo obstetrices accurate inculcateque instruere circa ea, quae ad sacramenti necessitatem et sanctitatem, necnon validam eiusdem administrationem quoad materiam et formam pertinent.

Moneantur ut, si quando, urgente necessitate, baptismum conferre debeant, sese antea recolligant et intra se intentionem

¹ In usum obstetricum catholicarum prolixior instructio, quinque complectens capita, in folio dioecetano publicatur sub titulo: Unterweisungen der katholischen Hebammen über ihre Standespflichten, insbesondere über die Spendung der Nothtaufe. — Cfr. Kirchliches Verordnungsblatt für die Lavanter Diocese. 1897. Num. V. n. I. pag. 65 sqq.

excitent baptizandi, ut Christus iussit et Ecclesia facit. Optimum erit si, ad assistendum puerperae invitata, obstetrix caute pro baptismate, si eius occasio futura sit, aquam apparet, et instrumenta, puta irrigatorem (Glasröhre) raro et providissime tantum utendum secum ferat, ita ut omnia in casu iam praesto sint.

Si neonatus filius acatholicorum in discrimine versetur, obstetrix catholica moneat parentes de baptismate, cuius administratio necessaria sit; si vero ipsi sacrum ritum perficere nequeant aut nolint, aut si periculum mortis prope urgeat, ipsa baptizet, et quidem iuxta formam ab Ecclesia praeceptam.

Articulus V.

Ne obstetrix temere et sine causa ad baptismum conferendum ruat, docenda est eius provinciam hanc esse, ut tantummodo in casu necessitatis sacramentum regenerationis administret, hoc est iis dumtaxat in casibus, in quibus merito metuendum est, ne infantulus decedat, antequam a sacerdote de more baptizetur. Evenit enim non raro, ut obstetrices ad baptismum procedant tunc quoque, cum vera necessitas non urget; etsi ceteroquin arguendae non sint, si de aeterna animarum beatitudine sollicitae rerumve angustiis pressae inter verum periculum prolis et eiusdem speciem non satis discernere queant. Imo, si quando periculi gravitas dubio subest, praestat utique partem tutiorem eligere et baptismum conferre.

Ideo, si obstetrix hac in re faciliorem se praebuerit, non est a sacerdote durius reprehendenda, sed potius monenda, ut, experientiae documentis edocta, in iudicando periculo tranquilla maturitate, quantum fieri potest, procedat; etenim acrius correpta, facile contingeret, ut deinceps, redargutionem verens, etiam in casibus vere urgentioribus baptismum diutius differat aut omittat, forte non sine animarum irreparabili damno.

Articulus VI.

Non paucae obstetrices opinantur materiam sacramenti in necessitate conferendi esse aquam benedictam, e qua opinione longior mora consequi potest tunc v. g., cum in domo puerperae aqua lustralis non habetur, unde dum haec requiritur et expectatur, infantulus periculo exponitur sine baptismo decedendi. Ideo obstetrix docenda est, nihil referre, utrum aqua in eo casu adhibenda benedicta sit necne, idque solummodo inculcandum aquam veram et naturalem esse oportere, undecumque sumptam, sive e fonte, e puteo, e torrente, sive e pluvia, e nive aut e glacie liquescente. Hoc unum itaque pro certissimo habeant,

aquam non debere esse artificialem, ut e rosis expressam, nec alio quoquam liquore suppleri posse, ut puta lacte aut vino.

Quotiescumque at raro contingit, ut infanti adhuc in utero matris manenti ex necessitate baptismus conferatur, fideliter providendum erit, ut nonnisi omnino pura aqua adhibeatur, ne parturienti morbi inserantur cum mulieris fortasse vitae discrimine.

Quapropter ad baptismum intra matris uterum proli conferendum aqua prorsus ex fontibus, e. gr. ex aquae ductibus civitatum, vel aqua destillata sumatur. Quum vero eiusmodi aqua pura raro tantum adfuerit, aqua prius bene decocta et refrigerata adhuc tepida, quae obstetricibus semper praesto esse debet, adhibeatur.

Articulus VII.

Cum aliquando contigerit ut obstetrix, pro eo, ut aquam infanti baptizando affunderet, in aqua pollicem intingeret, eoque crucem in fronte neonati foetus signaret, ea de re sollerter docenda est.

In hac quippe praxi adest periculum, ne loco integrae pleneque formae sacramentalis, proferantur solummodo verba, quae in crucis signo efformando (In nomine Patris etc.) dici solent; et totus ille baptismi ritus seu praedicta applicatio materiae aut parum tuta aut saepe plane invalida foret.

Monenda itaque obstetrix, ut, dum partui assistit, aquam in poculo aut cyatho sive alio quocumque vase in promptu habeat, et si ad baptismum procedendum est, non adspersione vel tactu aquae contenta sit, sed aquam ipsam capiti infantis triplici ductu infundat, et quidem ita, ut aliquatenus defluat.

Si vero aliquando inter angustias temporis vas nullum habere possit, hauriat aquam vola manus, et fronti neonati affundat.

Articulus VIII.

Quum certissime constet, in baptismo qualicumque verborum prolationem et aquae infusionem simul fieri oportere, in hac parte obstetrix quanta maxima diligentia instituenda est. Doceatur ergo verba *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* esse proferenda (ut habet Rituale Rom. tit. II. cp. I. nr. 8.) *uno et eodem tempore quo fit ablutio*; ablutio vero trina fiat, ad singula nomina divinarum Personarum.

Iterato praeterea moneatur, ut super infantulum baptizandum intra ipsam aquae infusionem totam integramque formam sacramentalem recitet, nullo prorsus vocabulo omisso.

Praesertim inculcandum est enixe, ne omittant verba *Ego te baptizo*; in hanc vero institutionem eo accuratius est insistendum, quod nonnullae obstetrices circa ritum administrandi sacramentum a se usitatum interrogatae et examinatae in repetenda baptismatis forma verba *Ego te baptizo* mox pronuntiarunt, mox omiserunt, quin adverterent per eam omissionem formam esse mancā. Haec omissio hinc inde secuta effecit, ut baptismata ab obstetricibus collata causam dubitationis praeberent; et propterea desiderabile est, ut baptismo in casu necessitatis administrato una vel altera persona praesens adsit, cuius testimonio sacerdos facilius et tutius rescire possit, num vere et valide baptismus collatus fuerit, quo comperto baptismati sive inconditionate sive sub conditione iterando locus esse nequit.

Moneantur praeterea obstetrices in baptismo privato de necessitate conferendo nihil cogitandum esse de nominis impositione, et superfluum esse disquirere aut conscire, quis sit infantis sexus.

Articulus IX.

Docenda praeterea obstetrix omnino necesse esse, ut una eademque persona simul et aquam infundat et verba formae proferat. Caveat ergo ne hoc negotium partim sibi reservet, partim alicui praesenti verbi gratia medico, demandet, sed utrumque agat, aut totum alteri, utique ad agendum idoneo, relinquat.

Articulus X.

Si quando editus foetus dubitetur, num adhuc vivat, an vero exspiraverit, obstetricis est neonatum infantem sine mora baptizare per verba *Si vivis, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Hic vero notandum est baptismum valere, etsi verba formae dumtaxat de more promat, adiectam vero conditionem *Si vivis* solummodo mente concipiat; ast consulendum est, ut verba illa adiectae conditionis ut supra voce efformata exprimantur.

Tunc tantum baptisma plane omittendum est, quum de morte infantuli certo constat; obstetrix autem enixe monenda est, tunc tantum de morte constare nullumque locum esse baptismi, cum editus foetus signa putrefactionis dederit. Contra vero, ex eo quod neonatus infantulus nulla indicia vitae praebeat, non existimet eum decessisse; potest enim syncope occupari.

Quoties ergo non plene constat exanimem esse, quantumvis de vita dubitetur, baptismus sub conditione iuxta praedicta illico est conferendus. Ideo obstetrix docenda est, ne primo co-

namina ineat et adminicula adhibeat ad infantem suscitandum vel ad signa vitae educenda et provocanda, baptismum interea differens, sed imprimis a baptismate exordiat, et reliqua postea impleat. Ritus enim sacramentalis brevissimo instanti perficitur, et reviviscentiae conamina ea mora levissima non impediuntur, dum contra dilato baptismate animae damnum irreparabile causari potest; deinde, ut per se patet, sacramento confecto, ab obstetrice omnia adminicula illico et constanter adhibenda sunt, ut infans foveatur aut eripiatur e vitae discrimine.

Articulus XI.

Sunt casus ubi, instante partu, serio timendum est, ne foetus emoriatur, antequam in lucem prodeat; tunc vero obstetricis est deliberare, num ad baptismi collationem aqua infundi possit infanti adhuc in utero materno delitescenti. Quo in casu pro rerum diversitate procedendum erit, iuxta sequentes regulas:

Quum foetus in alvo materna ita inclusus est, ut aqua attingi non possit, nullus baptismati locus est, ideoque plane inutile et proinde illicitum foret verba sacramentalia proferre aquamque simul, verbi causa matris corpori affundere. In his casibus profecto valet regula in Rituali Rom. (tit. II. cp. I. n. 16.) data „*nemo in utero matris clausus, baptizari debet*“; idque accidit donec secundinae seu membranae (Eihäute) integrae manent, quae quippe hodie e doctis censentur esse de corpore matris, non vero foetus.

Tunc vero, cum iam disruptis secundinis seu membranis, via aperta est ad aquam usque ad foetum adducendum, isque igitur baptizari potest, obstetrix curare debet, ut infans periculo instante reapse baptizetur. Id vero peragendum est ita, ut aqua infantulo affundatur vel manu obstetricis vel saltem digito in aquam intincto ablutione infantuli facta, ab eademque persona proferantur verba: *Si es capax, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Et hic caeterum obstetrix monenda est, aquae infusionem et verborum prolationem uno eodemque tempore fieri oportere. Sciat praeterea, hoc in casu hoc unum sufficere, et omnino non requiri, ut trina fiat aquae infusio aut per modum crucis. At utile videtur ut aqua eiusmodi, si commode esse potest, tepefacta fuerit. (Cfr. Art. VI.)

Dum periculum mortis foetui impendere creditur, membranae vero, quibus foetus involvitur, adhuc integrae sunt, dubitari potest, num data opera, punctione aut laceratione liceat et possit via aperiri ad baptismum in casu tantae necessitatis

conferendum. Hanc vero quaestionem obstetrix relinquat medico diiudicandam, eique punctionem seu quamcumque operationem exequendam relinquat; si vero medicus id senserit et operatus fuerit, obstetrix baptismum conferat modo supra dicto. Si autem nullus medicus acciri potuerit, obstetrix ab aperiendis membranis ope cuiusvis instrumenti absteineat, ne forte mulieri pariturae nocumentum afferat. (Ohler's Pastoralmedizin pag. 27, III. Aufl.)

Articulus XII.

Quum foetus sub conditione iuxta praedicta (Art. XI.) in utero baptizatus editus fuerit, sciat obstetrix a se diversimode procedendum esse, prouti infantulus adhuc in periculo mortis versatur necne.

Quoties infans in utero antea baptizatus nunc vero in lucem editus de vita periclitatur, eum obstetrix in capite baptizet, per verba: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Etenim valor baptismi in utero materno collati satis dubius est, eius vero sacramenti suprema necessitas est, unde nunc iterari debet, cum primum commode tuteque fieri potest.

Si infantulus in lucem proditus satis sanus validusque appareat, obstetrix a rebaptizando sub conditione absteineat, sed opportune ad sacerdotem deferat, cui baptismum foetui adhuc in utero incluso collatum fuisse indicabit.

Articulus XIII.

Si casus occurrat, ut post baptismum in utero collatum non iam unus sed duo infantuli aut tergemini edantur, cum ignoretur, quisnam eorum in alvo materna ablutus fuerit, singuli baptizentur ab obstetrice, ad modum quem diximus Art. praeced. (XII.), adhibita super singulis forma *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Articulus XIV.

In partu difficili, ubi infantulus, de cuius valetudine et vita dubitatur, nonnisi aliquam corporis partem ex utero protulerit, videndum est, num caput aut vero aliud membrum ediderit.

Si igitur caput prodierit, in capite baptizetur absolute, nulla scilicet adiecta conditione, per verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* infans vero non erit postea rebaptizandus.

Si vero non caput, at aliud corporis membrum prodierit, ut brachium aut pes, super eo membro aqua infundatur, prolatis simul verbis: *Si es capax, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Quum autem secuto partu infans plene in lucem prodierit, mortis periculo adhuc perdurante in capite denuo baptizandus est, adhibita forma *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Articulus XV.

Si quando contingat, ut in puerperio mulier moriatur, antequam foetum ediderit, videat obstetrix, num aqua baptismalis infantulo in utero iacenti affundi possit.

Si id quidem possibile est, obstetricis negotium erit, indilate infantulum utero clausum aqua baptismatis abluere, ut supra dictum est. (Art. XI.)

Si id nullatenus aut non statim fieri queat, operam det, ut quam citissime advocetur medicus, cuius erit aut incidendo corpus defunctae matris aut alio artis chirurgicae remedio vitae foetus consulere, ita ut sit copia eidem baptismum administrandi. Interim vero curet, ut cadaver quantum fas est tepens servetur.

Articulus XVI.

Casu quo monstrum nascatur, nisi periculum mortis instet, curet obstetrix sacerdotem vocari. Si vero mors foetus immineat, ipse ad baptismum procedat. Quodsi etiam dubitetur, num, quod natum est, homo sit, baptismum conferat, utens verbis: *Si es homo, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*; etenim communiter censetur id, quod e muliere nascitur, hominem esse, quantumvis aliena species esse videatur.

Ceterum edoceatur obstetrix, si aliquando monstrum eiusmodi edi contigerit, eam rem silentio premendam esse, ne familiae displicentia causetur, imo parentibus consolationem adhibendam esse, cum vel levem culpam imputare non liceat.

Articulus XVII.

Evenit aliquando, ut non iam monstrum edatur, sed duo quasi in unum compacti infantes, (ubi duo capita adsunt et duo pectora etc).

Obstetrix iuxta Rituale Rom. (tit. II. cp. I. n. 20. et 21.) in hoc casu necessitatis utrumque individuum singillatim absolute baptizet.

Si vero mortis periculum urgeat, poterit obstetrix, singulorum capitibus aquam infundens, omnes simul baptizare dicens: *Ego vos baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Haec formula in casibus tantum urgentissimis, ubi tempus singulos baptizandi propter mortis periculum deest, adhiberi licet.

Quando vero duo capita vel pectora certo distingui nequeunt, proindeque dubium remanet, an sit una vel duae personae, tunc debet unus infans absolute baptizari, et postea alter sub conditione dicendo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*.

Articulus XVIII.

Quoad partus abortivos et quoad praematueros, haec cura esse debet, ut quamvis gestatio fructus recens fuerit, diligenter dignoscatur, num vere foetus fuerit, qui prodiit. Si apparet foetum esse, parum refert, num vitalem indicet motum necne, sed plane baptizandus est, remotis diligenter secundinis seu membranis, quibus forte involutus est, et quidem sub hac forma: *Si vivis et si capax es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Si foetus eiusmodi recens et parvus fuerit, expedit, ut baptizetur mersus in aquam, si vero maturior, aqua capiti affusa.

* * *

Denique.

Animarum curatores in concionibus seu catechesibus ad populum (iisque iuvat ut obstetrices intersint) doceant, quanti sit baptismus in necessitate collatus memorentque ritum illum administrandi.

Animarum curatores obstetrices moneant earum quoque partes esse, ut curent, ne infantuli ante partum demortui cito nimis sepeliantur, utque cadavera eorum, qui ante decessum urgente necessitate baptizati sunt, in loco sacro humentur.

Obstetrices non cessent matres monere, ne infantulos secum in lectulo retineant, quod certe gravissime illicitum est, ob periculum suffocationis tenerae prolis. Istud idem sacerdotes pro nata occasione sedulo doceant.

Data occasione sacerdos puerperas familiasque serio moneat, ut non nisi christianam obstetricem adsciscant.

Cum non raro accidit, ut proles e personis tantum civili matrimonio iunctis aut alias e coniugiis solummodo putatis, vel etiam ex acatholicis, sive legitimi sive naturales filii sint, catho-

lico sacerdoti baptizandae offerantur, obstetrices rei notitiam ad parochum catholicum, quam primum fieri possit, deferant, nominis, loci, habitaculi, confessionis, conditionis socialis parentum vel puerperarum indicationem addentes, ut si enatae prolis baptismus requiratur, necessariae cautiones pro prolis educatione catholica a sacerdote postulari possint.

In institutione obstetricum admodum praestat, ut experimentum practicum administrationis baptismi coram parcho praebeant.

In visitandis parochiis Decani non omittant inquirere, num instructio (de qua supra in Art. I.) habita fuerit, et an obstetrices formam baptizandi probe teneant.



Caput VII.

De cultu sanctissimi Eucharistiae sacramenti.

Lauda, Sion, Salvatorem,
Lauda Ducem et Pastorem
In hymnis et canticis.
Quantum potes, tantum aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficis.



mnibus quidem ecclesiae catholicae sacramentis religiose sancteque tractandis magna ac diligens cura adhibenda est: sed praecipue in administrando ac suscipiendo sanctissimo Eucharistiae sacramento, quo nihil dignius, nihil sanctius et admirabilius habet ecclesia Dei; cum in eo contineatur praecipuum et maximum Dei donum, et ipsemet omnis gratiae et sanctitatis fons auctorque Christus Dominus.¹

Salvator enim divinus ex hoc mundo transiturus ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, et coena facta, pridie quam pateretur, instituit sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, in quo continetur vere, realiter et substantialiter corpus eius et sanguis, una cum ipsius anima et divinitate.

¹ Collectio rituum dioec. Lav. Marburgi, 1896. pag. 67.

»Parochus igitur summum studium in eo ponat, ut cum ipse venerabile hoc Sacramentum, qua decet reverentia debitoque cultu tractet, custodiat et administret; tum etiam populus sibi commissus religiose colat, sancte frequenterque suscipiat, praesertim in maioribus anni sollemnitatibus.«¹

1. Quaecunque igitur ad divinissimum hoc Sacramentum et ad sacrificium incruentum referuntur: altaria, vasa sacra, sacraque suppellex, si non splendida et pretiosa, saltem nitida, munda et decentia sunt. Nihil lacerum, nihil squalidum, nihil vilioris quam decet pretii, in re sacra facienda sacerdos admittat. Calix et pyxis, si fieri potest, cuppam saltem habeant argenteam, intus inauratam; quod de patena pariter dicendum. Paramenta sacra ex holoserico, reliquae vestes et tobaleae ex solo lino conficiantur.

Summopere instandum est, ut materia pro Missae sacrificio apta adhibeatur, scilicet panis triticeus et vinum naturale ex genimine vitis et quidem optimum; eam enim ob causam testante Innocentio III. olim certae etiam ecclesiae vineae donabantur, ut ex illis generosum fieret vinum, cuius curam devoti monachi, probi sacerdotes et sacrae virgines suscipiebant.

Ut autem omne dubium de materia sacramenti amoveatur, non cuilibet permittendum est hostias consecrandas perficere, sed personis fiducia dignis, et, si placet, monialibus hoc munus concedatur. Similiter vinum ad sacrificium, non a cauponibus, nec a quolibet oenopola est comparandum, cum notorium sit, sincerum vinum ab huiusmodi hominibus saepe non vendi; sed omnis diligentia est adhibenda, ut vinum de genimine vitis presbyteris ubique praesto sit.

Hostiae et particulae consecrandae sint recentes et ad minimum singulis mensibus renouentur, pro locorum

¹ Ibidem.

conditione, e. g. in ecclesiis humidis autem toties, quoties necessarium sit, ut omnis corruptionis periculum aver-
tatur, et in hac occasione tam ostensorium, quam cibo-
rium sollicite purificentur. Pro hac renovatione adnotanda
in sacristia formula adservetur. Praeprimis invigilandum
est, ne particulae in corporali consecratae remaneant,
quod maxime dolendum esset.¹

2. »Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum
Missae sacrificium omni religionis cultu ac veneratione
celebretur«, ait Tridentina Synodus, »quavis facile aesti-
mare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris litteris
eum vocari, qui facit opus Dei negliger. Quod si ne-
cessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac
divinum a christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum
tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo
Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie
immolatur: satis apparet, omnem operam et diligentiam
in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest in-
teriori cordis munditia et puritate atque exteriori devotio-
nis ac pietatis specie peragatur.«²

Sacerdotes tanta ergo gravitate tantoque religionis
cultu Missae sacrificium celebrent, ut per visibilem mi-
nistri pietatem invisibilia aeterni sacerdotis mysteria con-
spiciantur. Nihil igitur obiter in hac divina actione, nihil
perfunctorie, nihil praecipitanter, omnia secundum or-
dinem fiant, iuxta receptos et approbatos ecclesiae ritus,
qui vel in minimis sine peccato negligi, omitti vel mutari
haud possunt.

»Pia mater ecclesia«, prout docet eadem Synodus,
»ritus quosdam . . . et caeremonias adhibuit . . ., quo et
maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fide-
lium per haec visibilia religionis et pietatis signa ad rerum

¹ Sammlung specieller Dioecesan- und Pastoral-Vorschriften für die Dioec.
Lav. 1850. X. pag. 13—15. — S. Rit. Cong. die 16. Dec. 1826 n. 4623.

² Conc. Trid. Sess. XXII. decr. de observ. et evitan. in celebr. Missae.

altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.«¹

Horum igitur sacrorum rituum leges, quae rubricarum nomine censentur, presbyteri accurate addiscant apprimeque calleant ac attentissime servant; nec illos commentarios, qui de istis sacris ritibus a piis et eruditis viris conscripti sunt, legere omittant, caeremoniarum ut sanctitas et significatio ab omnibus agnoscatur.²

Sacerdos maxime curare debet, ut ea, quae clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit, quae legit; nec minus morose, ne audientes taedio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios.³ Evitanda igitur festinatio est et praecipitantia quaedam, quae sine scandalo existere nequit; prolixitas quoque, quae adstantibus fastidium pariat. Itaque ne quis infra horae trientem Missam absolvere audeat, nec ultra dimidiam horam producat. Sacerdotes, qui incomposite, festinanter et praecipiti lingua Sacrum peragunt, a Missae peragenda munere arcendos iudicat Benedictus XIV.⁴

Vehementer etiam cupimus, ut animarum moderatores commissos sibi greges saepe ac diligenter edoceant divini huius sacrificii dignitatem ac praestantiam, uberimosque fructus, qui in pie ac devote Sacris adstantes deriventur. Iis in memoriam non semel revocent, ac

¹ Sess. XXII. cap. 5. de sacr. Miss.

² In hunc finem possunt praestare adminiculum sequentes libri: Dr. Josef Walter, Die heil. Messe, der grösste Schatz der Welt. 5. Aufl. Brixen, 1895. Weger's Buchh. — P. Martin Cochem, Erklärung der heil. Messe, von P. Osborne. — Razlaga sv. maše po očetu M. Cochem. Ljubljana, 1879. 2. natis. — Dr. Bened. Sauter O. S. B., Das heilige Messopfer. Paderborn, 1894. Ferd. Schöningh. — Heil. Alphons. M. Liguori, Handbuch für Priester. 3. Auflage. Wien, 1843. — Dr. Nic. Gühr, Das heil. Messopfer. 6. Aufl. 1897. Herder'sche Verlagshandlung. Freiburg im Breisgau. — P. Chaignon, Der Priester am Altare. 6. Aufl. 1887. Mainz bei Kirchheim. — Kruh nebeški. Janez Zupančič. 4. natis 1890. Kato-liška bukvarna v Ljubljani.

³ Rubr. Gen. Missae § 16.

⁴ Instit. XXXIV. 6, § 30.

maximopere inculcent gravissimam illam, qua tenentur omnes christifideles, obligationem singulis dominicis festisque de praecepto diebus Missam audiendi. Quae quidem obligatio tam vetusta est et ab ipsis ecclesiae incunabulis tam parum remota, ut leges omnes, quae hac de re loquuntur, non ipsam primum inducere, sed iam pridem existentem supponere et declarare videantur.¹

Suos etiam moneant et cohortentur, ut singulis quoque, si fieri possit, per hebdomadem diebus, et praecipue in festis Domini nostri et beatissimae Virginis, ubi nulla adest legis obligatio, Missae sacrificio devote intersint. Indicent fidelibus horas, quibus Missa per hebdomadem celebrabitur, et servant constitutum ordinem.

Omnis pontifex ex hominibus assumptus, quemadmodum monet s. Paulus (Hebr. 5, 1), pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Quibus verbis edocta semper intellexit ecclesia, pontificum et sacerdotum esse, ut eucharisticum hoc propitiatorium sacrificium pro iis offerant, quorum ipsis cura concredita est. Atque hanc obligationem ex divino praecepto descendere, Concilium Tridentinum² disertis verbis affirmavit. Quam Tridentinorum Patrum mentem summi Pontifices uberius explanarunt atque confirmarunt, praesertim Benedictus XIV. in Constitutione »Cum semper oblatas«³, qua clare et aperte gravissimisque verbis declaravit et constituit, parochos aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missae sacrificium pro ovibus sibi commissis, omnibus dominicis aliisque festis de praecepto diebus offerre.

Quod dies festos attinet, quibus catholici nostrates ab obligatione Missam audiendi et ab operibus servilibus abstinendi apostolica auctoritate liberati sunt, nullo pacto

¹ Conc. Trid. Sess. XXII. decr. de obs. et evitan. in celebr. Missae.

² Conc. Trid. Sess. XXIII. cap. 1. de reform.

³ Die 19. Augusti anno 1744.

existiment parochi animarumque rectores, se vi huius permissionis ab onere quoque Missam pro suis applicandi solutos esse. Concessit tamen apostolica Sedes harum regionum episcopis, ut parochos sibi subiectos, modo iusta et legitima causa concurrat, illis diebus ab hoc onere Missam applicandi dispensent, dummodo pro gregibus sibi commissis in eiusmodi Missa specialiter orent.

3. Cum nihil habeat christiana religio sacramento Eucharistiae praestantius et augustius, nihilque ad sancte et inculcate vivendum efficacius eiusdem frequentissima participatione, parochi et verbi divini praedicatores de eius fructibus et utilitate frequenter disserant, et fidelibus persuadere nitantur, ut omnes et singuli, qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiae symbolo iam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantae maiestatis et tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium et carnem suam nobis dedit ad manducandum, haec sacra mysteria corporis et sanguinis eius ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter, et sicut optaremus cum sacrosancta Synodo Tridentina, in singulis Missis, non solum spirituali affectu sed etiam realiter suscipere possent. Sic enim certe panis ille divinus vere eis esset animae vita et perpetua sanitas mentis, cuius vigore confortati, ex huius miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valerent, eundem panem angelicum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi.¹

Fideles ad frequentem communionem exhortandi sunt et excitandi; insuper opportune admonendi de communionis necessitate ad sacras indulgentias lucrandas, non solum statutis quibusdam anni temporibus, sed, quantum

¹ Conc. Trid. Sess. XIII. decr. de ss. Euch. sacram. cap. 8.

fieri potest, saepissime; modo congruam tantae gratiae vitam degant, ac se devota praeparatione disponant.

Relate ad pueros, qui prima vice ad sacram mensam accedunt, praeclara Patrum Ravennatensium verba in rem nostram adducere licet: »Haud potest, quin multum conferat ad totius vitae christianae rationem, ipsamque adeo aeternam salutem modus, quo quis prima vice sacram communionem recepit. Hinc omnes animarum rectores sedulo curent ad illam disponere pueros et puellas, quos per aetatem ac sufficientem rerum spiritualium intelligentiam capaces diiudicaverint. Erudiant eos peculiari studio, inquirent diligenter in eorum vitam, et quos in christianae doctrinae rudimentis iam satis instructos esse ac morum probitate pietateque commendari intellexerint, ad sacram mensam admittant, caeteros in aliud tempus, omni humano respectu posthabito, remittentes. Per triduum autem ante communionem tum exercitationibus piis, tum generali potissimum confessione, praeparentur proxime ad illam; ipsa vero die sollemnitate maxima divinum Panem sumant, cuncto populo inspectante, et praesertim parentibus, quorum curae postea animae illae, coelesti convivio refectae, erunt ferventissimo charitatis zelo a parochis commendandae«. ¹

Sancta Eucharistia administretur, quantum fieri potest, intra Missarum sollemnia, nec ante nec post Missae celebrationem sine rationabili causa.

Ante sanctissimum Sacramentum lampas oleo olivarum nutrita diu noctuque luceat, »quae fidelibus Deum praesentem annuntiet atque hominibus recedentibus cultus aliquam atque amoris professionem exhibere pergat«. ²

¹ Conc. Rav. an. 1855. Part. 2. cap. 4. decr. 7. — Collect. rit. dioec. Lav. Marburgi, 1896. pag. 71. — Antonius Slomšek, Mnemosynon Slavicum. Glanforti, 1840. pag. 16. — Sveto opravilo. V Mariboru, 1887. pag. 160.

² Decr. s. C. Rit. 22. Aug. 1699 n. 3525. — Conc. Prov. Vien. an. 1858. tit. III., cap. I.

4. Sanctissimam Eucharistiam non solum tabernaculo conclusam pio cultu prosequi, sed etiam publicae fidelium venerationi pompa quadam exponere consuevit ecclesia. Quod fit, ut Filio Dei sollemnes honores summusque cultus coram omnibus reddantur, animique adstantium in eius amorem incendantur atque inflammentur.

Cum autem ecclesia lege communi non definivit, sed potius episcopis determinandum reliquit, quam frequenter, spectatis locorum circumstantiis fideliumque indigentiis, sanctissimum Sacramentum utiliter exponatur; Nos in memoriam revocamus statuta et decreta pro Nostra dioecesi desuper edita,¹ et declaramus: expositio publica et sollemnis sanctissimi Sacramenti fieri et benedictio dari potest in omnibus huius dioecesis ecclesiis et in sacellis monasteriorum et communitatum religiosarum, observato stricte ritu praescripto, singulis dominicis totius anni festisque diebus de praecepto; aliis diebus festis non de praecepto pro expositione publica requiritur causa publica et Episcopi licentia; »soli enim Ordinarii partes sunt, ut causae publicae meritum expendat et declaret«, ait S. P. Benedictus XIV.² Causa publica est sollemnitas festi, concursus populi, causa pacis et similia. In hunc finem admonet s. Carolus Borromaeus: »Sanctissima Eucharistia ne quavis causa, sed publica tantummodo, eaque gravi exponatur.«³ Per octavam vero festi Corporis Domini licebit eam sollemniter fieri tum in Missa sollemni, tum in vespers, benedictione iterato data. Licebit insuper sollemnem benedictionem dare singulis diebus sacrarum missionum tempore, in festo sanctissimi Cordis Iesu, et ubicunque fit devotio quadraginta horarum; et in aliis diebus ab Ordinario designatis. Quod si ordini alicui religioso vel societati sancta Sedes aliquid amplius indulserit, illud omnino incolume esse volumus.

¹ Sammlung spec. Dioec.- und Past.-Vorschr. die 24. Septembris 1850. num. XX. pag. 35.

² Constit. „Accepimus“ die 16. Apr. 1746. — ³ Syn. dioec. 11.

Extra autem huiusmodi privilegium, de quo certum Ordinario exhibeatur documentum, nolumus benedictionem dari vel expositionem fieri, nisi prout supra, venia Ordinarii expressa, salvis etiam in omnibus s. Congregationis rituum hac in re decretis. Omnes autem monemus et adhortamur, ne quid praetermittant, quod iuxta rubricas rerumque adiuncta ad debitae reverentiae significationem requiratur, siquidem multo melius est, ut non ita frequenter exponatur, et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio id fiat.¹

In Nostra dioecesi praeterea exponitur sanctissimum Sacramentum in dominicis quatuor temporum per unam horam. Commendatur autem sicut iam in aliquibus locis viget consuetudo, expositio sanctissimi Sacramenti etiam in dominica quadragesimae et duobus sequentibus diebus contra bacchanalia in forma quadraginta horarum ita, ut tantum horis diurnis, a mane usque ad vesperam exponatur, nocte autem recondatur.

In expositione sanctissimi Sacramenti semper quam maxima sollemnitatis observanda est; accendantur saltem duodecim candelae, et altare ornetur floribus quantum potest naturalibus, et durante expositione Missae ad altare expositionis non celebrentur.

5. Declarat praeterea sancta Synodus Trid., pie et religiose admodum in Dei ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praeelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione et sollemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur.²

Solliciti sint ergo animarum pastores, ut in hoc festo triumphus Christi digne et reverenter coram catholicis

¹ Bened. XIV. Instit. XXXIV. 6, § 30.

² Conc. Trid. Sess. XIII. decr. de ss. Euch. sacram. cap. 5. — Sv. Opravilo. V Mariboru, 1887. pag. 132 et 187.

et acatholicis repraesentetur et omnia rite in honorem et gratiarum actionem Redemptoris fiant. Processiones tam in festo Corporis Christi, quam sic dictae theophoricae in dominicis infra octavam Corporis Christi usque ad dominicam ante festum s. apostoli Bartholomaei in veste pluviali, sub baldachino vel sub umbella et in altaribus versus quatuor plagas mundi erectis peragantur, ritusque in Coll. Rit. Dioec. Lav. concinnati fideliter serventur.¹

6. Maxime tandem in votis habemus, ut fideles doceantur, bona quamplurima ipsis obventura, si Dominum sub speciebus sacramentalibus inter nos hospitantem saepius invisent. Pastoris ergo munus erit, et verbis et exemplo ad hoc pientissimum officium suos invitare, atque hac ratione in omnium cordibus ignem amoris accendere et fovere erga amantissimum Servatorem. Ad hanc devotionem magis magisque fovendam, vehementer optandum est, ut ecclesiae aditus vel continuo diu, vel si ruri sit, per aliquot horarum spatium, fidelibus pateat.²

7. Ad promovendam devotionem erga hoc augustissimum Sacramentum praeprimis conducunt piae Confraternitates de sanctissimo Sacramento et quidem:

a) Confraternitas perpetuae Adorationis, quae in Nostra dioecesi die 27. Maii 1881 in ecclesia cathedrali s. Ioannis Baptistae Marburgi canonice erecta et die 1. Ianuarii 1882 archisodalitati Romae existenti rite aggregata est, atque indulgentias aliaque dona spiritualia sodalibus communicat, prout in rescripto S. C. Indulgentiarum, Romae die 6. Maii 1880, uberius expositum est.

Haec pia confraternitas intendit promovere cognitionem, reverentiam et adorationem Iesu Christi in sanc-

¹ Coll. rituum dioec. Lavant. Marburgi, 1896. pag. 389, 392, 396. — S. R. C. 18. Dec. 1784, et 9. Maii 1857 in Limb.

² Legantur assidue litterae Nostrae pastorales „Sveti Oče“, quas de sanctissimo Eucharistiae sacramento die 20. Ianuarii 1895 publici iuris fecimus.

tissimo Sacramento; expiare iniurias, quae benignissimo Salvatori in hoc sacramento charitatis inferuntur; ac conficere sacram suppellectilem in favorem ecclesiarum pauperiorum, ut divina mysteria debito cum honore celebrentur. Quam prospero cum successu pia haec sodalitas suum prosequitur finem, inde percipi potest, quia inde a sua origine usque ad nostra tempora supra 13.000 fidelium huic venerabili sodalitati nomen dederunt et in supradictum finem eleemosynae instar 24.500 florinorum pio corde contulerunt.¹

Cum haec pia sodalitas hucusque iam praeclaros fructus in Nostra dioecesi produxerit, praecipimus et iniungimus omnibus et singulis animarum pastoribus, ut hanc piam confraternitatem benevolo animo prosequantur, eamque fidelibus sibi concreditae commendent, de officiis eius edoceant, atque indulgentias, quas praestitis praestandis lucrari possunt uberrimas, illis rite exponant, sicque conferant, ut singuli sodales novo in dies accendantur zelo ac amore erga sanctissimum Sacramentum.²

b) Confraternitas sacerdotalis Adorationis sanctissimi Sacramenti.

Haec confraternitas introducta est per Venerabilem P. Eymard anno 1858, institutorem congregationis Patrum sanctissimi Sacramenti, Parisiis, 27 Avenue Friedland, et habet suas domos filiales Romae, Bruxellis, Marseille, Montreal et in austriaca provincia Tirol. Propagata brevi tempore latissime per orbem terrarum gaudet iam 40.000 adoratoribus consodalibus, qui diu noctuque adorant Iesum Christum benignissimum Salvatorem in hoc augustissimo mysterio. Sanctissimus Pater Leo XIII. hanc confraternitatem sacerdotalis Adorationis et sodalitatem de perpetua Adoratione approbavit et benignissime commen-

¹ Cfr. Die vierzehnte Paramenten-Ausstellung. Marburg, 1896. pag. 1—24.

² Litt. Ord. Lav. die 20. Maii 1881 et Epist. past. die 27. Ianuarii 1881. — Družba vednega češč. presv. Rešnj. Telesa v Lav. škofiji in za podporo ubožnih cerkev. V Mariboru, 1896. 8. natis.

davit litteris die 20. Aprilis 1896 datis ad directorem sodalitatis hisce verbis:

»Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem. — Quae nuntiasti Nobis de augescente in dies in Helvetiae, Austriae Germaniaeque regionibus pietate erga augustissimum Eucharistiae sacramentum singulari nos iucunditate affecerunt. Nihil etenim existimamus sive efficacius ad excitandos animos ad sobrie iusteque vivendum, sive aptius ad coelestia munera uberrime concilianda, quam religio in illud fidei mysterium, in quo Christus divitias charitatis suae veluti effudit. Accessit autem ad solatium Nostrum, quod hanc fidelium pietatem hoc maxime tempore provehi et amplificari cernimus, quum iniquorum hominum studia eo se acrius converti dolemus, ut debitos Eucharistiae honores abrogent eiusque desiderium et amorem a catholicorum animis convellant. Cum vero consociationi vestrae illud etiam propositum esse debeat, ut ecclesiae tot aerumnis vexatae tranquillitatem ab amantissimo Auctore exoretis, quos sanae laetitiae fructus non expectabimus, quum a tot millibus fidelium cuiusque aetatis et sexus coram clementissimo Salvatore oratio fiat sine intermissione? Igitur Nostrum esse ducimus sacerdotum consociationem Eucharistiae adorandae tam late diffusam, et eximiam fidelium istorum religionem laude prosequi et impense fovere. Christus ipse numero ac studio vos augeat. Nos vero benevolentiae Nostrae testem et divini favoris auspiciem Apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili, sacerdotibus et fidelibus universis, qui publice propositae Eucharistiae adorandae consociati sunt, amantissime impertimus.« ¹

¹ In Nostra dioecesi haec confraternitas legitime introducta et constituta est anno 1895, habetque pro rectore suo R. D. Iac. Hribernik, Directorem spirituales in seminario clericali Marburgi, qui consilio et opere consodales adjuvat. — Pro usu commendantur sequentes libri: Tesniere, Handbuch für Priester der Anbetung. — S. S. Eucharistia, Organ der „Priester der Anbetung“. Feldkirch (Voralberg). VIII. Jahrgang 1896. — Walser, Die ewige Anbetung. Dülmen 19. Auflage. — Večna molitev pred Jezusom v zakramentu ljubezni. Ljubljana, 1895, po P. J. Walserju O. S. B.

c) Hisce confraternitatibus adnumerari potest »Associatio perseverantiae sacerdotalis« sub tutela sanctissimi Cordis Iesu in sanctissimo Sacramento inter nos commorantis.

Sodalitas haec habet sedem suam Vindobonae in Austria, ubi introducta est anno 1868 et nunc in 120 dioecesibus propagata gaudet circa 12.000 sacerdotibus consodalibus, qui unanimiter quotidie adorant sanctissimum Cor Iesu, deprecantes: »Iesu, mitis et humilis corde, fac cor meum secundum cor tuum!« et apponunt unum »Pater« et »Ave Maria«, ut sibi acquirant donum perseverantiae in exequendis officiis status sacerdotalis usque ad mortem. Insuper celebrat quilibet sodalis quotannis unum sacrum pro vivis et unum pro defunctis confratribus.¹

Summopere optamus, ut omnes dioecesis Nostrae clerici confraternitatem perpetuae Adorationis, sive associationem sacerdotum Adoratorum, sive perseverantiae sacerdotalis ingredi velint, cum in hisce calamitosis temporibus nihil sit utilius, quam saepe saepius adire »cum fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.« (Hebr. 4, 16).

»Laudes et gratiae sint omni momento sanctissimo et divinissimo Sacramento; et benedicta sit sancta, purissima et immaculata conceptio beatae Virginis Mariae Matris Dei!« (*Indulg. 600 dierum, toties quoties, Leo XIII.*)

¹ Rector huius associationis pro Nostra dioecesi est R. D. Carolus Hribovšek, Canonicus et Director in seminario clericali Marburgi, qui sodales suscipit et quaeque sodalitatem concernentia procurat. — Correspondenz des Priester-Gebetsvereines »Associatio perseverantiae sacerdotalis«. Wien, 1896. XVII. Jahrgang.

Caput VIII.

De casibus iurisdictioni episcopali reservatis.

Posse ecclesiarum antistites iurisdictionem sacerdotum minoris ordinis ita coarctare, ut a quibusdam gravioribus culpis, quas sibi suoque iudicio relaxandas reservant, ne in foro conscientiae quidem illi absolvere valeant, catholicum dogma est.

Catholicam hanc veritatem sacrosanctum Concilium Tridentinum exposuit atque stabilivit hisce verbis: »Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate, sibi in ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi in aedificationem tamen non in destructionem liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia sed etiam coram Deo vim habere.«¹

Cui declarationi addiderunt Tridentini Patres sollemnem canonem, anathemate percutientem contrarium sentientes: »Si quis dixerit, episcopos non habere ius reservandi sibi casus nisi quoad externam politiam atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.«²

Papa Benedictus XIV. sanctae memoriae cum respectu ad reservationem casuum episcopalem sapienter observat:

¹ Sess. XIV. cap. 7. de sacram. Poenit.

² Ibidem can. 11.

»Quamvis praedicta facultate reservandi casus possit episcopus semper et quandocumque voluerit, uti, multis tamen nominibus decet, ut illam potius *in synodo* quam extra synodum exerceat.«¹

Hinc exquisitis animarum pastorum in Synodo Nostra congregatorum consiliis pensitatisque dioecesis Nostrae Lavantinae singularibus indigentis moralibus pro potestate Nostra episcopali ordinaria statuimus et sancimus, quae sequuntur.

Nemo nescit salutarem reservationis quorundam casuum iudicio episcopali in sacro confessionis tribunali scopum et finem. Est nimirum ille, ut quaedam peccata censurae obnoxia eo gravius puniantur et prae omnibus tamen, ut efficacius corrigantur, dum nempe poenitens immanitatem et atrocitatem delicti sui edocetur et ad odium ac detestationem peccati vehementius excitatur difficultate absolutionis per superiorem obtinendae.

Proin uti ex altera parte casus reservati non sunt nimium multiplicandi et reservationes accommodandae sunt tum exigentis temporum locorumque², tum vitiis et sceleribus imprimis gliscentibus ac grassantibus nec non dominanti cogitandi et sentiendi agendique mori, ita indubie non expediret et ad vanum redigeretur finis reservationum, si ex altera parte nimis facile, fere indiscriminatim facultas daretur confessariis, absolvendi nomine Episcopi a casibus reservatis. Eiusmodi facilitas absolvendi non esset nisi vulnus utili reservationum scopo inflictum.

Quibus omnibus coram Domino perpensis et ut saluti fidelium pro virili parte consulamus, pastoraliter decernimus, ut iurisdictioni Nostrae episcopali sub solitis conditionibus

¹ De synodo dioecesis. Lib. V. cap. 4. Romae, 1755. num. 3. pag. 120.

² Sacra Congregatio episc. et reg. die 9. Ianuarii 1601 statuit, ut „locorum Ordinarii paucos casus eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem pro cuiusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint, reservent“.

maneant subsequentes graviore conscientiae casus reservati:

1. Peieratio sive mendacium iureiurando confirmatum coram iudice ecclesiastico vel civili.

2. Qui homicidium voluntarium actu exteriori perpetrarunt, aut abortum procurarunt, etiam effectum non secuto.

3. Qui violentas manus in proprios parentes iniecerunt.

4. Qui in primo vel secundo consanguinitatis aut affinitatis gradu canonicae computationis incestum commiserunt.

5. Qui rei facti sunt criminis laesae Maiestatis.

Quod vero attinet facultatem, absolvendi ab enumeratis quinque casibus iudicio Nostro reservatis, intacta manent privilegia hucusque Canonicis ecclesiae cathedralis, nec non Decanis et Consiliariis consistorialibus concessa. Confessarii modo recensiti habent quidem facultatem a casibus Nobis reservatis absolvendi delegatam, quam tamen aliis subdelegare nequeunt.

Praeterea in plena Nostra Synodo concedimus usque ad revocationem singularem potestatem, vi cuius omnes confessarii rite approbati a casibus iurisdictioni Nostrae episcopali reservatis — praeter pueros et puellas annum decimum quartum suae aetatis nondum expletes — etiam absolvere valent:

1. Poenitentes tempore sacrae confessionis ac communionis paschalis. Speramus fore, ut hac facultatis extensione disciplina poenitentialis non patiatur detrimentum, ut potius salus animarum incrementum capiat.

2. Poenitentes infra octavam sanctissimi Nominis Iesu et sanctissimi Nominis Mariae, item sacratissimi Cordis Iesu et purissimi Cordis Mariae nec non in festo sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.

3. Peragentes prima vice generalem confessionem, faciendam ex quadam utilitatis aut necessitatis ratione, non tamen ad hunc tantum finem, ut reus facilius a reservatis absolvatur. Tenetur tamen confessarius edocere poenitentem, quod in futurum, si hoc idem peccatum reservatum patnaverit, solummodo ex speciali facultate Episcopi posset absolvi.

4. Poenitentes sponso et sponsas immediate vel tribus diebus ante copulationem.

5. Poenitentes mulieres in ultimo mense praegnationis constitutas.

6. Poenitentes maleficos, qui in carceribus detinentur.

7. Poenitentes in nosocomiis vel hospitalibus aegrotantes et consimiliter infirmos in domibus privatis degentes, etiam si non sint in articulo mortis. In articulo mortis, quod omnes non ignorant, cessat omnis reservatio.

8. Peculiare privilegium statuimus in bonum ecclesiae Nostrae cathedralis s. Ioannis Baptistae, ad quam matricem reliquarum omnium ecclesiarum dioecesanarum poenitentes ex universa dioecesi confluunt sacramentalis confessionis peragendae causa. Impertimur nempe facultatem a casibus Nobis reservatis absolvendi omnibus rite approbatis confessariis, quippe qui in insigni hac ecclesia confessiones poenitentium excipiunt.

9. Nutrituri porro pium fervorem poenitentium, parem potestatem lubenter concessuri sumus parochis vel rectoribus earum ecclesiarum, ad quas sacrae peregrinationes sive e propinquo sive e longinquo fieri solent, vel in quibus sacrae missiones aut pia exercitia celebrantur. Obligantur tamen parochi aut rectores praedictarum ecclesiarum, ut infra unius mensis spatium scripto exquirant huius extensionis gratiam.

Tandem demum volumus et praecipimus, ut schedula casuum reservatorum typis impressa vel scripta in

ecclesiis affigatur locis, pro confessionibus destinatis. Schedulae pro ecclesia Nostra cathedrali contineant casus reservatos et extensionem facultatis absolvendi ab eis ad omnes confessarios, qui in hac ecclesia confessiones poenitentium excipiunt.

Venerabiles confessarii! Munus, quod in ecclesia Dei geritis, plane eximium est. Enimvero tantam vobis Christus ad iudicandas animas auctoritatem elargitus est, ut sententia, a vobis in terris iuste prolatae, rata habeatur in coelis. „*Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*“ (Matth. 18, 18).

Mundi igitur estote et puri conscientia, qui aliorum conscientiam purgare contenditis, ne illud apostoli vobis obiciatur: „*In quo iudicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quae iudicas.*“ (Rom. 2, 1). Flagrate porro zelo salutis animarum, ad vestrum tribunal accedentium, Deumque orate, ut corda eorum avertat a malo et convertat ad bonum, atque ipsos de virtute in virtutem magis magisque proficere faciat praepotenti sua gratia!

Caput IX.

De cantu ecclesiastico et musica sacra.

Qmnis ars demonstrans pulchrum a Deo est et fide illustrata ad Deum ducit. Qua de re ecclesia cum s. apostolo Paulo desiderans, ut fideles loquantur sibimetipsis »in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus« (Ephes. 5, 19; Col. 3, 16) suis Domino, cantum more veteris Testamenti cultui divino iam a principio recepit testante s. Augustino: »De hymnis et psalmis canendis ipsius Domini et apostolorum habemus documenta, exempla

et praecepta«. ¹ Quod s. Augustinus caeterique Patres saepenumero docuerunt de cantus ecclesiastici decore et utilitate, »ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat«, ² »id romanorum Pontificum auctoritas sibi integre eximieque perficiendum semper attribuit«. ³

Quapropter praeter Gregorium Magnum, qui in hoc catholicae Liturgiae ita »curas ac studia contulit, ut vel ipsam appellationem ab eo sacri concentus sint mutuati«, ⁴ alii Pontifices, praesertim Pius V., Gregorius XIII., Paulus V. assidua sollertia promovendi liturgici cantus excellerunt sicut caeteri, »qui ad incolume Liturgiae decus tuendum nihil potius et antiquius habuerunt, quam ut rituum uniformitati sacrorum etiam concentuum uniformitas ubique responderet.« ⁵ Idem in votis habens S. P. Pius IX. Brevi die 30. Maii an. 1873 editionem Gradualis romani authenticam declaravit; quam antecessoris sui approbationem S. P. Leo XIII. omnimodam curam cantus ecclesiastici gerens litteris apostolicis die 15. Nov. an. 1878 confirmavit, extendit ac commendavit hisce verbis: »Itaque memoratam editionem . . . probamus atque authenticam declaramus . . . id potissimum spectantes, ut sic cunctis in locis ac dioecesibus, cum in caeteris, quae ad sacram Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu una eademque ratio servetur, qua romana utitur ecclesia.« ⁶ Nuper S. R. C. die 6. Iulii an. 1894 musicam sacram vocavit partem Liturgiae et curae episcoporum commendavit praescriptis emendandam, verbis usa: »Essendo la Musica Sacra parte della Liturgia, si raccomanda ai Rm̃i Ordinari di prenderne cura speciale, e di farne argomento di opportune prescrizioni soprattutto nei Sinodi Dioecesani e Provinciali, sempre però conformi al presente Regolamento.« ⁷

¹ Edit. Bened. ep. 55. tom. II. pag. 142. num. 34. — ² Confess. lib. X. cap. 33. num. 3. — ³ S. R. C. decret. die 7. Iul. 1894. — ⁴ Ibidem. — ⁵ Ibidem. — ⁶ Ibidem. — ⁷ S. R. C. (Regolamento, Pars II. 1.) die 6. Iulii an. 1894.

Cum nihil sit magis ecclesiasticae disciplinae inimicum ac perniciosum, quam divinam psalmodiam in ecclesiis Dei contemptim vel negligenter obire,¹ haec servanda statuimus:

1. Cantus ab ecclesia in sacra Liturgia praescriptus est cantus firmus,² planus seu gregorianus, cuique cantui dignitate, sublimitate, vi atque arte praeeminens, ad glorificandum Deum aptissimus, castis auribus conveniens, unitatem fovens, biblia musicae sacrae vocatus, bonum ecclesiae proprium; »cantus iste ille est, qui fidelium animos ad devotionem et pietatem excitat; denique ille est, qui, si recte decenterque peragatur, in Dei ecclesiis, a piis hominibus libentius auditur.«³ S. Augustinus, cum cantum hunc, quem s. Ambrosius praecipue fovit, Mediolani audiret, se lacrimasse testatur: »Quantum flevi, inquit, in hymnis et canticis tuis suave sonantis ecclesiae tuae vocibus commotus acriter. Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis.«⁴ Accedit, quod cantus firmus semper et ubique peragi potest, quia totum textum servat, eumque una voce cantare licet.

Gregorianum ergo clerici in seminario cantum summo studio excolant⁵ et canora suavique voce promant videntes, se sacerdotes in sanctis functionibus cantu ignorato irrisiones procreaturos esse, ipsos scandalum non leve factos. In seminario cantus ecclesiastici semel saltem in anno examen fieri mandamus. Cuius cantus usum pastores pia aemulatione fovere, restituere, promovere gloriantur et cantent rite et accurate modos, qui continentur Missali et nuper auctoritate Nostra edita Collectione rituum dioecesis Lavantinae et a sacra rituum Congregatione approbata, ut officia cum decentia et religi-

¹ Encycl. Bened. XIV. de die 19. Febr. an. 1749. § 2. — ² Ibidem § 5. — ³ Ibidem § 2. — ⁴ Confess. lib. IX. cap. 6. — ⁵ Conc. Trid. sess. XXIII. cap. 18. de reform.

one peragantur, »augeatur devotio, firmetur fides, foveatur in unam sanctam ecclesiam romanam, matrem et magistram nostram dilectio, ut animarum aeterna salus promoveatur et ut vos in die iudicii fideles mysteriorum Dei dispensatores inveniamini.«¹ Studio et usui inserviunt: Magister choralis (auctore Fr. Xav. Haberl); Manuale chorale«. (Ratisbonae, 1886 apud Frid. Pustet, typograph. apostolic.); Graduale, Vesperale, Antiphonarium, Officium maioris hebdomadae, Officium nativitatis Domini, Officium defunctorum (excerptum ex Collectione rituum dioec. Lavantinae. Marburgi, 1896. typographia s. Cyrilli). Porro »Organum comitans« auctoribus: Witt, Piel, Paul Schmetz, Quadlig. — Postremo deploramus modum, quo passim cantantur officia defunctorum, »ut nedum inde augeatur populorum religio, devotio excitetur, e contrario sacri ritus ipsumque tremendum Mysterium persaepe fiant ludibrio.«²

2. Cantus harmonicus i. e. figuratus seu figuralis ab ecclesia toleratur, quatenus cantum gregorianum refert. Cavendum autem, ne in officio vel Missa textus liturgicus, cui priores partes tribuit ecclesia quam ubertati melodiae in colendo Deo, a cantoribus mutetur vel mutiletur. In Missa sive sollemni sive cantata omnes textus (ordinarii i. e. in qualibet Missa iidem proferendi: Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus, Benedictus, Agnus Dei; extraordinarii: Introitus, Graduale, Offertorium, Communio) integri aut cantentur³ aut clara voce⁴ vel saltem submissa voce⁵ recitentur. Non licet aliquid addere⁶ neque abbreviare textum⁷ neque cantum protrahere,⁸ ut e. gr. Missae cursus, nisi admittunt rubricae, interrumpatur. Verba ita distincte proferenda sunt, ut intelligantur.⁹

¹ Collect. rituum dioec. Lavantinae. Marburgi, 1896. prooemium. —

² Conc. prov. Albiensis an. 1850. Tit. III. decret. III. Coll. Lac. tom. IV. col. 426. — ³ Innoc. XII. die 20. Aug. 1692. — ⁴ Caeremon. Episc. Par. II. n. 1. a. 8. — ⁵ S. R. C. die 22. Iul. 1848. — ⁶ Innoc. XII. die 20. Aug. 1692. — ⁷ S. R. C. die 5. Iul. 1631. — ⁸ S. R. C. die 21. Febr. 1643. — ⁹ Caeremon. Episc. Lib. I. c. 28 n. 12.; encycl. Bened. XIV. de die 19. Febr. 1749. § 9.

S. Augustinus lacrimavit non solo cantu sed verbis cantui coniunctis commotus, ut ipse aperte declarat.¹

Cantus figuratus, cuius optimum et perfectum Giovanni Pierluigi Praenestini (Palestrina) opera immortalia praestant exemplar, novissimo tempore a Dr. Witt resuscitatus est. Quos secuti sunt auctores celeberrimi: Anerio, Suriano, Vittoria, Viadana, Orlando Lasso, Hasler, Aiblinger, Handel (Gallus), Mettenleiter, Stehle, Koenen, Piel, Haller, Brosig, Nick, Hanisch, Nikel. — Cum bene notum sit, optimam compositionem musicae polyphoniae mala executione fieri inconvenientem, in hac ratione, ubi stricte liturgica functio peragatur, adoptandus est cantus gregorianus.²

3. Organa et alia instrumenta cantum comitandi causa adhibeantur et quidem »solummodo ad vim quamdam verborum cantui quodammodo adiiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur commoveanturque fidelium animi ad spiritualem rerum contemplationem et erga Deum divinarumque rerum amorem incitentur.«³ Liturgicum a Concilio Tridentino approbatum instrumentum est solum organum,⁴ quod a celeberrimo quodam viro laudatur: ex christiana arte exoriens varietate magna sonorum ingeniosissime cohaerere, natura sua vero sollertiae artificiosae vanitatem excludere et nequire sensualibus oblectationibus animos externe perturbando in se convertere. Organi sonus, quorum servire est et non dominari, sint modesti et devoti et non praecipites, tumultuosi, abrupti; »ab ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum miscetur . . . arceant episcopi, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur ac dici possit.«⁵

Quapropter severe obstringimus parochos, ut instrumenti cultui sancto dedicati abusum, qui in eo est,

¹ Confess. Lib. X. c. 33. — ² S. R. C. (Regolamento) die 6. Iul. 1894. — ³ Encycl. Bened. XIV. de die 19. Febr. 1749, § 12. — ⁴ Conc. Trid. sess. XXII, decret. de observ. et vitand. in celebr. Miss.; Caeremon. Episc. lib. I. c. 28, n. 11. — ⁵ Conc. Trid. sess. XXII, decret. de observ. et vitand. in celebr. Miss.

quod theatralis et lascivae musicae genera: polkae, walzer, marciae producuntur, e medio tollant, ne ultra audientium animi a rei divinae contemplatione avocentur¹ et sensualitati immittantur. De improvviso seu ex tempore organo canere omni, qui nescit modo revocato ad artem ac praecepta ecclesiae et conveniente devotioni fidelium, interdicitur a sacra rituum Congregatione (Regolamento) sequentibus verbis: »E vietato l' improvvisare, detto a fantasia, sull'organo a chiunque nol sappia fare convenientemente, cioè in modo da rispettare non solo le regole dell' arte musicale, ma quelle altresì che tutelano la pietà ed il raccoglimento dei Fedeli.«² Sequantur ergo organoedi prae-, inter- et postludia collecta a Kothe, Hanisch, Piel, Dibold. Cum organi usus summam requirat artem, nemo organoedus habeatur aptus nisi, qui serio in ea et legibus liturgicis immoratus studio scitur.

Organum tacet in Missa de Requie, dominicis Adventus (excepta domin. III.) et Quadragesimae (excepta domin. IV.), ita etiam diebus ferialibus illius temporis, nisi festum quoddam sollemniter ab ecclesia celebratur.³ In Missa de Requie, si opus fuerit, licite organum pulsetur, ubi hoc sono quodam fit modesto et lugubri.⁴ In Missa inter elevationem ipsam organum aut sileat aut dulciori sono et omni gravitate pulsetur.⁵

Inter alia instrumenta more introducta⁶ nonnulla scilicet, quae per se theatralia non sunt, ab ecclesia permittuntur utenda in cultu divino, si voces non opprimunt.⁷ »Musicus cantus«, monet Benedictus XIV., »qui nunc in ecclesiis usu receptus est et qui organi et aliorum instrumentorum harmoniae coniungi solet, ita instituat, ut nihil profanum, nihil mundanum aut theatrale resonet.«⁸ Proin exclusis a choro sic dictis: Solo, Duett

¹ Caeremon. Episc. Lib. I. cap. 28. n. 12. — ² S. R. C. (Regolamento) de die 6. Iul. 1894. art. 12. — ³ Caeremon. Episc. Lib. I. c. 28. n. 2 et 13.; S. R. C. 2. Apr. 1718. — ⁴ S. R. C. 31. Mart. 1629. — ⁵ Caeremon. Episc. Lib. I. c. 28. n. 9 et L. II. c. 8 n. 70. — ⁶ Bened. XIV. de Synodo Dioec. L. XI. c. 7 n. 6. — ⁷ Encycl. Benedic. XIV. de die 19. Febr. 1749. § 9. — ⁸ Ibidem § 3.

aliisque huius generis, Intradae, Tusch nunquam in publico Dei cultu audiantur. Musica in ecclesia debet esse sancta; nam sanctus est locus, quo resonat, sanctus textus, sanctus actus, sanctus finis. Caeterum censemus, instrumenta, cum summa peritia tantum eorum usum convenientem reddat, in ecclesiis ruralibus rarissime esse adhibenda.

4. Sicut in omnibus liturgicis functionibus, ita praesertim in Missa sollemni et cantata (sine diacono et subdiacono)¹ cantus in lingua vernacula illicitus est. Nam ecclesia omnibus S. R. C. decretis a Concilio Tridentino usque ad haec tempora constanter usum linguae vernaculae in Missa cantata vel sollemni interdixit, ita novissimo tempore die 21. Iunii 1879;² et nuper die 31. Ian. 1896 S. R. C. ad quaestionem: »An . . . a fidelibus intra Missam cani possint . . . preces vel hymni lingua vernacula compositi in honorem Sancti vel Mysterii, cuius festum agitur?« — respondit: Affirmative de consensu Ordinarii quoad Missam privatam: Negative quoad Missam sollemnem sive cantatam iuxta ordinationis pro musica sacra articulum septimum et octavum; non obstante decreto die 21. Iunii 1879 et aliis quibuscunque.«

In functionibus non liturgicis ut in missionum, sodalitarum, mensis beatae Mariae dedicati, viae crucis exercitiis, Litaniis, processionibus non theophoricis, ante concionem, si habetur ante vel post Missam cantatam, denique in Missa privata (non cantata) cantus ecclesiasticus in lingua vernacula licitus est;³ ex quo multus huiusmodi cantus in ecclesia usus patet. Cantetur vero textus sanctus legibus dicendi et versuum modificationi rectae satisfaciens et officio, quod agitur, conveniens, una voce, melodia mentem ecclesiae et cantum gregorianum referente. Huius cantus usui »Cecilija« (edit. a sodalitate s. Hermagorae) et »Hosanna« (Graecii, Styria) cantionalia dioecesana

¹ Ritus celebrandi Miss. Tit. VI. n. 8. — ² Collectio Gardellini Nr. 5785.
— ³ XXXIX. Conferenz-Schluss-Protokoll 1887 II. 1. c.

declaramus. Abusus vero est tollendus, quo in Missa intra »Sanctus« et »Communione« canuntur cantica B. M. V. vel alicui Sancto honori, et sic dictum »Secundieren« a priori cantum communem impossibilem reddit. Dictae normae cantum maiorum nostrorum apprime conformem fuisse, nonnulla eius exempla approbant residua ex saeculo 17.¹

5. Irreligiositate cum egoismo et sensuali voluptate in mundum irrumpente cantus ecclesiasticus ita degeneravit, ut S. P. Pius IX. conquereretur: »At enim, quod maxime dolendum, plerisque in templis quoddam concentuum genus usurpatur, scenicis ludibus plane dignum.«² Ad medelam afferendam opera nonnullorum Germaniae virorum praesertim Witt sodalitas s. Caeciliae pro Germania, Austria et Helvetia constituta est, quam S. P. Pius IX. postulantibus 29 episcopis approbavit nitens, ut »sacri concentus sanctitati divinae domus rituumque maiestati respondeant.«³ Ad mentem istius associationis in Nostra dioecesi anno 1887 fundata est sodalitas s. Caeciliae, quae in ecclesia praeprimis cathedrali laudabiliter laborat.


Ut ecclesiae reddamus cantum in Nostra dioecesi desideratum, in Domino exhortamur pastores, ut omnem operam impendant, quo organoedi iuventutem praesertim parvulos frequentantes scholam exerceant⁴ cantu ecclesiastico, ex quibus pie et scite cantantium acquiruntur vires; instituantur chori, qui a rectoribus peritis cantus ecclesiastici diriguntur, ad artem et praecepta canere docentur, a parochis religiose educantur et invigilantur. Nihil canendum, quod Nostra auctoritate non est appro-

¹ Cerkveni glasbenik an. 1878. et 1879. et Cecilija. — ² Pius IX. Brevi „Multum“ die 16. Decembr. 1870. — ³ Ibidem.

⁴ Synodus Dioec. Lavantina an. 1883. pag. 71. num. IX. — Conferenz-Schluss-Protokoll vom 6. Dezember 1887. II. Pastoral-Conferenz-Frage. Der Kirchengesang. pagg. 4—14. — Sauter, Der Gesang bei der feierlichen Liturgie. Theologisch-practische Quartalschrift. Linz, 1892. Heft III. pag. 530; Heft IV. pag. 829; 1893. Heft II. pag. 339; 1894. Heft I. pag. 50. — Paul Krutschek, Die Kirchenmusik nach dem Willen der Kirche. 3. Aufl. Regensburg. 1891.

batum. In posterum folio dioecesano musicalia approbata annuntiabuntur. Redigatur repertorium musicae sacrae; quocirca concedimus facultatem, ut ex aerario ecclesiastico necessaria cantui curentur musicalia. Inter folia de hac re tractantia commendamus »Cerkveni Glasbenik« (Labaci) et »Musica sacra« (Ratish. apud Pustet) procuranda. Decani certiores Nos faciant etiam de profectu cantus ecclesiastici singularum parochiarum. Ecclesiae Nostrae cathedralis scholam puerorum choricorum exoptamus.

Cantate Domino canticum novum: laus eius in ecclesia sanctorum. Laudent nomen eius in choro, in tympano et psalterio psallant ei. (Ps. 149, 1. 3).



Caput X.

De colenda arte ecclesiastica.

Intime cum qualibet religione ab antiquissimis temporibus connexa est ars. Quaevis enim arte in peragendo sacro cultu utitur. Arte adiuvente videtur corporis oculis numen divinum, conspicitur coelum, repraesentantur conceptus supranaturales. Artifex iam pridem quasi mediator erat deos inter et homines, coelum inter et terram. Qua ex causa Phidias ille tali tantae gloria insignitus est, cum Olympum eiusque immortales gentibus pulcherrime ostenderet, »adeo, ut maiestas operis eius deum aequaret.« ¹

1. Religio christiana, quippe quae religio perfectissima est, artem nequaquam reiecit. Ministerio sibi eam assumpsit eamque excoluit, quinimo ad summum perfectionis apicem evexit. Ars christiana — ars suprema, alias omnes antecellit.

¹ Quintilian. Institut. XII. 10.

Artem christianam religionem nostram aetate adaequare constat. Inter discipulos Christi ipsos quidam artifex fuisse fertur, Lucas evangelista, pictor praeclarus. Christianos primi aevi ars subtus terram in catacumbas tenebrosas concomitata est; cumque ecclesia post celebrem Constantini victoriam e latebris tristissimis resurrexisset, etiam ars christiana, resurrectionem celebrando, prodiit in lucem.

Abhinc in ecclesia magnifice colebatur. »Quum ecclesia ex catacumbis et domibus privatis, ubi delituerat, prodiisset, quidquid artium aetas illa, quidquid divitiarum imperium romanum tenebat, basilicis construendis et multiplici opere exornandis impensum est.«¹ Pontifices romani, operibus immortalibus salutem omnimodam gentium promoventes, artibus singularem attribuebant curam, Augustum imperatorem et Maecenatem hac ratione longe superando. Ipsi artium semper protectores fautoresque fuere. Quis Leonis I., Gregorii Magni digne celebrare merita potest? Quis, historiae peritus, nescit, quales sibi Nicolaus V. promeruerit laudes? »Mirum in modum animum adplicuit, ut ob perpetuam magnorum aedificiorum constructionem romanae Ecclesiae honor et apostolicae Sedis gloria simul cum singulari et praecipua christianorum populorum omnium devotione abundantius ac latius amplificaretur.«² — Sed quid de Iulio II. vel Leone X. dicendum! Quorum prior incredibili liberalitate et favore artibus auream praebuit aetatem, quem proinde merito Albertini doctissimus hymno effert, affirmando: »Sanctitas Tua omnibus praeripuit palmam.«³

Similiter illustrissimi eorum successores artibus favebant principibus regibusque multo opulentius. Eximio ipsorum exemplo episcopi, indefessi gregum pastores et sacerdotes egregii, totum per orbem artes copiose pro-

¹ Conc. prov. Viennen, an. 1858. Tit. III. cap. 2.

² Manetti. Cfr. Pastor: Geschichte der Päpste. tom. I. p. 419.

³ Pastor. Op. cit. tom. III. p. 731.

tegebant. Centena, imo millena decora templa in orbe catholico, splendore incantante fulgentia, reddunt testimonium operae eorum.

2. Ast non est mirandum, quod qui regunt ecclesiam, tanti artes aestiment.

Ars enim humani ingenii culmen est sublime. Deus ipse arte est usus creando coelum et terram, operum artificiosorum primum pulcherrimumque. Propterea s. Scriptura artificem eum appellat. »Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex«. (Sap. 13, 1. cfr. 7, 21—8, 6). Donum coeleste, aliquid divini est ars. Dante Allighieri, insignis poeta christianus, eam »nepotem Dei«¹ nominat.

Ars pulchritudinem menti ostendit; quaevis vero pulchritudo splendor est Dei solius, qui est pulchritudo absoluta, »καλὸν αὐτὸ καὶ αὐτό« secundum philosophum insignem.² Ars, praesentando pulchritudinem naturae, Deum respicit, nam »pulchritudo creaturarum nil est aliud, quam communicatio pulchritudinis divinae rebus creatis.«³ Supremum igitur artis principium Deus ipse est.

Quam sublimes deinde effectus sunt artis! Artis enim est, ut quae abstracta, invisibilia, supranaturalia sunt, sensibus humanis concipiantur. »Quemadmodum invisibilia Dei, testante Apostolo, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sic virtus quoque et divinitas sanctissimi Redemptoris nostri in omnibus et singulis, quae ad externam cultus divini speciem et pulchritudinem provida ecclesiae dispositione ordinantur, mirifice refulget piasque fidelium mentes condigna Sponsi coelestis eiusque Sponsae admiratione perfundit attollitque sursum.«⁴

¹ Divina commedia. Inferno cant. 21. v. 105: „Sì, che vostr’ arte a Dio quasi è nipote.“

² Plato, Sympos. §. 211.

³ Thomas Aquin. Expos. in Dionys.

⁴ Conc. prov. Pragense, an. 1860. tit. VI. c. 1.

Artes ergo convenientes populi educatrices censentur, quibus mentes illustrantur, sensus inflammantur, corda coelesti desiderio implentur, amor nutritur divinorum. »Arte animae purgantur«, ait philosophus.¹ Quo praestantiores sunt artes, eo notiones limpidiores. Ideo »flamen veritatis est ars — et sacrarium religionis intimum artis sacrarium est.«² »Artes solas libidines extinguere et errores fugare patet.«³ En, quam generosae utilesque sint artes!

3. Propterea ardentissime cupimus, ne venerabilis Nostrae dioecesis clerus artes negligat. Vos estis Beseleel novi foederis, quem, ut digne construeret et adornaret tabernaculum, Omnipotens »implevit Spiritu Dei, sapientia et intelligentia et scientia in omni opere ad excogitandum, quidquid fabrifieri potest ex auro et argento et aere, marmore et gemmis et diversitate lignorum; deditque ei socium Oholiab, filium Achisamech, de tribu Dan; et in corde omnis eruditi posuit sapientiam, ut faciant cuncta, quae praecepit: tabernaculum foederis et arcam testimonii et propitiatorium, quod super eam est, et cuncta vasa tabernaculi . . .« (Exod. 31, 3 sq).

Quanto uberius debent esse sapientia et in arte scientia repleti, qui nunc Dei viventis aedificant et custodiunt templum!

Quem in finem enixe artium studio vacare oportet. »Optamus ardentem, ut parochi omnesque universim sacerdotes solidam praesertim archaeologiae ecclesiasticae peritiam et subtile de artis christianae principiis et ministeriis iudicium acquirant, ne sinistro eorum arbitrio deficiente siquidem scientia et dexteritate conservanda tollantur, abolenda retineantur, et restauranda sumptuose potius deformata, quam reformata merito vituperentur.«⁴

¹ Aristoteles, De arte poetica lib. VI. cap. 2.

² Dr. Fr. Hettinger, Timotheus pag. 251.

³ Longinus, Περὶ ὕψους. 2, 1.

⁴ Conc. prov. Prag. an. 1860. tit. VI. c. 2.

Non obliviscitur artis sacerdos diligens, qualis sit semper, omnino necesse est. Audite, quid vir ingenuosus, sagacissimus, dicat: »Theologia, ceu scientia religionis, artem minime negligit . . . Theologus artem nunquam vilipendet. Ab initio enim prior cum posteriore coniungitur, dum utraque invicem det, et ab invicem sumat. Singulari potius studio ipsi incumbet, quae in veritate biblia est, aestheticae schola, in qua populus spectando opus artificiosum nobilitat sensus et animas alit suavitate«¹

Sacerdos, artis peritus, vehementem adhibet curam ecclesiae suae: laesa restaurat, sordida lustrat, quae desunt utensilia, acquirit. In ecclesia enim »nihil profanum nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo.«² Quid non perficiet, ut ecclesia prorsus fiat

»Coelestis urbs Ierusalem,
Beata pacis visio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris«³,

placens Deo et fideles replens gaudio summo. Splendida ecclesia excellens est decus et gloria parochiae felicitis. Sacerdos, qui eam exornat, laudem meretur, quali fel. mem. P. M. Pius IX. artifices honestos celebrat, qui serio graviterque: »Quocirca, inquit, cum artes in Dei gloriam inventae et materna cura altae foteaeque ab ecclesia, praecipua vos laude digni estis, dilecti filii, qui per pias religiosasque tabulas animos ad Deum revocare neglectumque et despectum eius cultum relevare conamini.«⁴

4. Ingenti laetitia semper afficimur, si animadvertimus, sacerdotes hoc in munere esse occupatos. Quis non laudet eos, qui in studio artium diligenter versantur et cognitionibus suis operando sapienter utuntur. Visi-

¹ Dr. Fr. Hettinger, Op. cit. pag. 249 sqq.

² Concil. Trident. sess. 25.

³ Hymn. in festo Dedic. Eccles. (Apoc. 3, 21).

⁴ G. Jakob. Die Kunst im Dienste der Kirche. 4. Aufl. Landshut, 1885.

tantas dioecesis oblectamur, in ecclesiis puritatem observantes et munditiam. Qualibet ecclesia restauratâ, potissime vero recenter constructâ laetitia anima Nostra effertur. Laetum festum, quod fideles honorat Deumque glorificat, totius dioecesis est omnis consecratio vel benedictio ecclesiae cuiuscunque, capellae sive altaris. Copiosa multitudo earum, quibus iam Nos perfuncti sumus consecrationibus et benedictionibus¹, indicium est laudandae sollicitudinis cleri Nostri.

¹ Consecratae sunt: A. Ecclesiae: 1. eccl. cathedralis Marburgi 19. Oct. 1890. — 2. eccl. filial. s. Spiritus in Soltava 14. Sept. 1891. — 3. eccl. paroch. s. Petri apud Radkersburg 3. Iul. 1892. — 4. eccl. paroch. s. Crucis apud Luttenberg 6. Iul. 1892. — 5. eccl. fil. ss. Trinitatis in Frankolovo 2. Aug. 1893. — 6. eccl. monasterii PP. Franciscanorum s. Antonii Runae 26. Aug. 1893. — 7. eccl. fil. s. Mariae de Lourdes in Grize 3. Iul. 1894. — 8. eccl. par. s. Michaelis in Peilenstein 22. Aug. 1894. — 9. eccl. par. s. Aegidii in Coll. sloven. 1. Iunii 1896. — 10. eccl. par. s. Crucis in Poličane 30. Iul. 1896. — B. Altaria: 1. Altare primarium in eccl. par. s. Mariae in Slivnica apud Marburgum 25. Oct. 1891. — 2. alt. prim. in eccl. par. s. Pancratii in Grize 3. Iul. 1894. — Insuper consecrata sunt centum viginti quinque altaria portatilia.

Benedictae sunt: A. Ecclesiae et capellae: 1. eccl. fil. s. Spiritus in parochia s. Georgii ad Stainz 31. Aug. 1890. — 2. cap. in coemeterio s. Magdalenae Marburgi 11. Oct. 1891. — 3. cap. in nosocomio in Vojnik 24. Iun. 1892. — 4. cap. in novo aedificio gymnasii Marburgensis 15. Sept. 1892. — 5. cap. in seminario puer. Marburgensi 16. Sept. 1893. — 6. cap. ss. Cordis Iesu apud sorores perpetuae adorationis ss. Sacramenti Marburgi 30. Sept. 1893. — 7. cap. s. Francisci Ass. in Rothwein apud Marburgum 11. Nov. 1894. — Occasione visitationis canonicae: Capella campestris in Zetale 12. Mai 1890. — Cap. camp. in hon. Salv. crucif. in Konjice 30. Iunii 1893. Benedictio lapidis ang. ecclesiae par. s. Ruperti in Videm 21. Iunii 1893. Bened. lap. ang. eccl. par. PP. Franciscanorum s. Mariae matris misericordiae 10. Aug. 1893. Bened. crucis turris eccl. par. s. Martini apud Windischgraz 4. Aug. 1891. et crucis tur. eccl. par. in Žusem 31. Mai 1894. Bened. lap. ang. eccl. paroch. s. Pauli penes Pragwald mens. Sept. 1895. Bened. crucis campestris in paroch. s. Viti prope a Petovio 31. Iul. 1895. Bened. duplicis crucis turrium eccl. par. PP. Franciscanorum Marburgi 16. Iul. 1895. Bened. lap. ang. eccl. par. novae in Čadram 20. Oct. 1895. Bened. lap. ang. eccl. paroch. S. Bartholomaei in Vojnik mens. Apr. 1896. Benedictio cap. in instituto militari „k. und k. Cadettenschule“ Marburgi 28. Apr. 1896. et capellae domest. Friderici de Seppi in Hrastnik parochiae in Dol 18. Iul. 1896. — B. Campanae: 1. Ecclesiae s. Danielis Celeiae 6. Sept. 1891. — 2. pro coemeterii capella s. Mariae Auxil. in par. s. Magdalenae Marburgi 11. Oct. 1891. — 3. pro eccl. par. s. Iacobi in Lembach 12. Iunii 1892. — 4. pro eccl. par. s. Ioannis in Vineis apud Velenje 9. Iul. 1892. — 5. pro eccl. par. s. Iacobi in Friedau 20. Aug. 1893. — 6. pro eccl. par. s. Georgii subtus Tabor 17. Sept. 1893. — 7. pro eccl. par. s. Michaelis apud Schönstein 28. Sept. 1894. — 8. pro eccl. par. PP. Franciscanorum Marburgi 13. Oct. 1895. — 9. pro eccl. paroch. ss. Phil. et Iacobi in Laporje, B. M. V. in Kostrivnica et pro eccles. paroch. s. Hemmae.

Omnes, qui quodcumque opus artificiosum, praesertim aedificationem ecclesiae iam inceperunt, persistent viriliter in perficiendo usque ad finem. Si quis necessarium aliquid putat, incipiat fortiter, Dei benedictione largissima et populi adiutorio confisus nisusque eventum bonum potest expectare. Quoslibet propterea adhortamur, verbis praeclari concilii Viennensis utentes: »Adlaborandum igitur est, ut decorem domus Domini diligant fideles. Parochi satagant, ut eorum ecclesiae, quam optime fieri potest, exornentur . . . Imagines et ornamenta, quae vetustate deformata esse videntur, absque virorum peritorum consiliis non removeantur, ne contingat, ut rebus arte et industria potioribus substituantur aliae, quae nullam quam novitatis commendationem habent. In ecclesiis exornandis sive reparandis artis generi, cuius rationem constructio refert, diligenter attendatur.«¹

Quo facilius et prudentius in futuro haec fiant, monemus vos instantissime et hortamur, ut in quantum maxime fieri potest, studiis artium serio vacetis, cum hoc demum modo grave officium sacerdotale impleatis penitus. Concilium illud Tridentinum Nobis hoc imponit munus, de utilitate et praestantia operum artificiosorum ita disserens: »Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis; tum ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solum, quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur, ut pro eis gratias agant ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit, anathema sit.«²

¹ Conc. prov. Vien. tit. IV. c. 2.

² Concil. Trident. sess. 25. de invocatione Sanctorum.

Quae in seminario clericali ex archaeologia et ex artis historia et de construendis ecclesiis tractata audistis, diligenter repetatis, nec non auxilio operum recentiorum augeatis!

Pro praxi specialiter notetur sacrae rituum Congregationis edictum de die 22. Maii 1596: »Cruces ac Sanctorum imagines notabiliter laceratae aut statuæ diffractae vel deformatae ac nunquam redintegrandae in locis publicis ad christianae religionis contemptum non tolerentur.« Pariter edictum synodi dioecesanæ Argentin. anno 1549: »Procaces imagines et nimio artis lenocinio ad mundanae potius vanitatis specimen, quam ad pietatis commotionem effigiatas in templis poni omnino vetamus.«

»Qui nihil omisit eorum, quae fecisse oportuit, is iure merito corona sua dignus est.« ¹

Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.
(I. Cor. 3, 17).



Caput XI.

De confraternitatibus et sodalitatibus.

Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. (Eccl. 4, 10).



onfraternitas magna et miranda est ecclesia catholica, complectens omnes fideles christianos in terris, animas pias in purgatorio et beatos in aula coelesti: qui omnes vinculo charitatis et pietatis coniuncti constituunt illam magnam familiam Dei, quae nuncupatur communio sanctorum. Inter fideles christianos in terris degentes dantur etiam speciales piaee uniones, confraternitates et sodalitates, quarum finis est: gloria Dei et salus animarum, suntque aptissima media ad homines a peccatis arcendos et ad virtutis exercitium alliciendos.

¹ Isidorus Pelus. in epist. 82.

Hisce confraternitatibus et sodalitatibus promisit benignissimus Salvator suum singulare praesidium et tutamen, edisserens: „*Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. — Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est.*“ (Matth. 18, 19. 20).

Ecclesia catholica pias confraternitates et sodalitates approbavit, utque eo magis propagentur, multis gratiis ex indulgentiarum thesauro ditavit. Quapropter hae piae confraternitates et sodalitates animarum pastoribus quam maxime cordi esse debent, ut ita fructuosius suo munere fungentes oves sibi concreditas ex hoc calamitoso certamine secure perducant ad portum aeternae felicitatis. Sacerdotes ergo pias confraternitates et sodalitates sedulo foveant et provide dirigant, ut desideratum afferant fructum.

Hunc in finem commendantur praeprimis confraternitates et sodalitates, quae in Nostra dioecesi iam vigent et bono cum successu operantur. Ex his merentur commemorari sequentes:

A.

Tertius ordo franciscalium, qui saecularis dicitur, a s. Francisco Seraphico institutus et a sanctissimo Patre Leone PP. XIII. reformatus.¹

Haec sodalitas aptissima praebet media ad resistendum peccatis et ad virtutis exercitium promovendum. Sodales enim sese voto obstringunt, praecepta divina observandi et per opera pia salutem suam aliorumque promovendi. Eapropter haec sodalitas salutaribus regulis provisa, permultis indulgentiis et privilegiis ab ecclesia ditata, animarum pastoribus magnopere commendatur tanquam aptissimum medium promovendae vitae christianae.

¹ Constitut. „Misericors Dei Filius“ de die 30. Martii 1883. — Kirchl. Verord. Blatt Nr. 2446. VI. 1883.

Pia consociatio a sacra Familia, cuius »propositum est, ut christianae familiae sacrae Nazarethanae Familiae omnino se devoveant, eamque venerandam atque imitandam sibi proponant coram eius imagine, quotidiana prece, vitamque effingant iuxta praeclaras virtutes, quarum hominibus qualicunque conditione, sed praesertim operaria, illa exemplar fuit.«¹

Ad inflammandum corda fidelium igne divinae charitatis et ad cultum divinum promovendum permultum conducunt praeter supra iam dilaudatas associationes:² de perpetua Adoratione sanctissimi Sacramenti, de confraternitate sacerdotalis Adorationis et de associatione Perseverantiae sacerdotalis, succedentes confraternitates et sodalitates:

a) Confraternitas sacratissimi Cordis D. N. Iesu Christi. — Consodales persolvunt quotidie unum »Pater noster«, »Ave Maria« et »Credo« apposita invocatione: »Dulcissimum Cor Iesu, fac, ut magis magisque te diligam!«³

Cum ecclesia pronunciaverit, hanc devotionem modo speciali nostrorum temporum indigentis convenire, Nostraque dioecesis sollemni ritu huic piissimo Cordi die 16. Iunii 1875 dedicata et in Synodo dioecesana die 2. Octobris 1896 iterum consecrata sit, hanc confraternitatem quam maxime commendamus.⁴

b) Apostolatus orationis habet pro fine, propagationem et exaltationem ecclesiae catholicae per or-

¹ Breve apostolicum „Neminem fugit“ sanctissimi Patris Leonis PP. XIII. de die 14. Iunii 1892 et 8. Ianuarii 1893. — Kirchl. Ver. Blatt Nr. 822. II. 1893. — In Nostra dioecesi haec pia consociatio in omnibus parochiis per litt. pastor. *Prišel je zopet čas* de die 21. Ianuar. 1894 introducta laudabilem fecit progressum sub rectore R. D. Carolo Hribovšek, Canonico et Directore in clericali seminario Marburgi.

² Cap. VII. pag. 273—286.

³ In Nostra dioecesi canonice erecta est in ecclesia cathedrali s. Ioan. Baptist. et clericali seminario Marburgi die 13. Aprilis 1861, gaudetque 10.000 sodalibus.

⁴ Litterae pastorales de die 19. Maii 1875.

bem terrarum. Sodales offerunt in hunc finem preces pias et omnia opera bona cuiuslibet diei pro conversione haereticorum, infidelium et peccatorum, pro custodia innocentium et iustorum.¹

c) Honorifica custodia Cordis Iesu in sanctissimo Sacramento. — Sodales per unam horam quotidie piis affectibus prosequuntur dulcissimum Cor Iesu in sanctissimo Sacramento pro conversione peccatorum et pro expiatione iniuriarum, quae huic divino mysterio inferuntur.²

B.

In honorem beatissimae Virginis Mariae permultae piae confraternitates et sodalitates ab ecclesia approbatae et indulgentiis ditatae existunt, inter quas generatim loquendo antiquiores anteponere praestat, sed et recentiores minime sunt negligendae. In Nostra dioecesi florent, quae sequuntur:

a) Archiconfraternitas purissimi Cordis Mariae pro conversione peccatorum. — Sodales orant quotidie unum »Ave Maria« cum suspirio: »O Maria, refugium peccatorum, ora pro nobis!« Commendatur etiam oratio divi Bernardi: »Memorare, o piissima Virgo Maria!«³

b) Archiconfraternitas sanctissimi Rosarii. — Consodales venerantur beatissimam Virginem Mariam: pie orantes quavis hebdomada totum Rosarium.⁴

¹ In Nostra dioecesi institutus in clericali seminario Marburgi et archiconfraternitati aggregatus die 6. Iulii 1884. In seminario quoque puerorum die IX. Kal. Iunii 1894 introductus est.

² Canonice instituta est haec sodalitas in conventu PP. Franciscanorum Marburgi.

³ Canonice instituta in ecclesia cathedrali s. Ioan. Baptistae et in clericali seminario Marburgi die 25. Februarii 1861, ad quod etiam nomina neosusciendorum dirigantur. — Sveto Opravilo. Maribor, 1887. pag. 192.

⁴ Instituta ut supra in clericali seminario Marburgi die 10. Novembris 1886, ad quod nomina sodalium expendantur. — Sveto Opravilo. Maribor, 1887. pag. 194.

c) Confraternitas sanctissimi Rosarii vivi. Haec sodalitas in Nostra dioecesi praeprimis ad-
mata floret et late propagata est. Sodales coadunati in
rosas 15 personarum persolvunt singulis diebus totum
Rosarium, id est: omnes tres partes sacratissimi Rosarii
et quidem singuli singulas decades.

d) Archiconfraternitas Rosarii perennis
pro felici morte et in subsidium animarum fidelium de-
functorum. Sodales persolvunt quotannis semel electa hora
totum Rosarium.¹

Sanctissimus Pater Leo XIII. Rosarium marianum
summis encomiis extollit et omnibus fidelibus summopere
commendat hisce verbis:

»Huic precandi ritui nomen *coronae* communi ser-
mone adhaesit, hac etiam causa, quod magna Iesu et
Mariae mysteria, gaudia, dolores, triumphos, felicibus
reddat sertis connexa. Quae fideles mysteria augusta, si
pia commentatione ex ordine recolant et contemplantur,
mirum quantum adiumenti trahere possunt tum ad fidem
alendam et ab ignorantiae aut errorum peste tutandam,
tum etiam ad virtutem animi revelandam et susti-
nendam.«²

»Ergo Rosarium Mariae Virginis, in quo apte utili-
terque habentur coniuncta et eximia precationis formula
et idoneum fidei conservandae instrumentum et insigne
specimen perfectae virtutis, dignum plane est, quod veri
nominis christianis sit frequenter in manibus piaeque
recitatione et meditatione colatur.«³

»Quare non id nimis affirmatum videbitur, quibus
et locis et familiis et gentibus honorem pristinum ma-

¹ Canonice instituta in ecclesia s. Margaritae in Selnica supra Marburgum
et die 26. Augusti 1867 archisodalitati B. V. Mariae in Monterone Romae
aggregata, gaudet permultis sodalibus.

² Epistola encyclica Leonis PP. XIII. „Octobri mense adventante“
de die 22. Septembris 1891.

³ Epistola encyclica Leonis PP. XIII. „Magnae Dei Matris“ de die
8. Septembris 1892.

rialis Rosarii consuetudo retineat, nullam ibi iacturam fidei ab ignorantia pestiferisque erroribus metuendam.«¹

»Iam videant omnes, quod principio posuimus, quorum sit utilitatum fecunda marialis Rosarii virtus, et quam mirifice possit ad temporum sananda mala, ad gravissima civitatis damna prohibenda. — Istam vero virtutem, ut facile cognitu est, illi praecipue uberiusque percepturi erunt, qui, cooptati in sacra Rosarii sodalitia, peculiari et inter se fraterna coniunctione et erga sanctissimam Virginem obsequio prae ceteris commendantur. Haec enim sodalitia, auctoritate romanorum Pontificum comprobata, ab eisque donata privilegiis et muneribus indulgentiae, suo palam ordine ac magisterio reguntur, conventus statis habent temporibus, praesidiis optimis instruuntur, quibus sancte vigeant et ad commoda etiam societatis humanae conducant. Haec sunt veluti agmina et acies, praelia Christi per sacratissima eius mysteria pugnantes, auspice et duce Regina caelesti.«²

e) Confraternitas s. scapularis B. V. Mariae de monte Carmelo. — Sodales filiali amore venerantur B. V. Mariam tanquam matrem suam, gestant benedictam vestem scapularem in pignus singularis tutelae et praesidii B. V. Mariae, quo gaudent in vita et in morte, studentque imitari praeclarum exemplar virtutum Matris suae. — Haec sodalitas in Nostra dioecesi late propagata atque multis in locis canonice instituta, regitur per sacerdotes saeculares delegatos a Generali ordinis Carmelitarum.

f) Archiconfraternitas Dominae nostrae sacratissimi Cordis Iesu. Sodales orant quotidie

¹ Eadem epist. encyclica.

² Epistola encyclica Leonis PP. XIII. „Laetitiae sanctae“ de die 8. Septembris 1893. — Item „Supremi Apostolatus“ de die 30. Sept. 1883. — Porro „Superiore anno“ de die 30. Augusti 1884. — Demum „Fidentem piumque animum“ de die 20. Septembr. 1896. Omnes hae epistolae encyclicae abundant insigni pietate erga benignissimam Dei genitricem Mariam, reginam sacratissimi Rosarii.

mane et vespere: »Domina nostra sacratissimi Cordis Iesu, ora pro nobis!«

g) Confraternitas septem dolorum B. V. Mariae ad impetrandam felicem mortem et in subsidium animarum fidelium defunctorum.¹

C.

Inter consociationes, quae christiano Nomini propagando adiutricem praestant operam, sunt confraternitates de propaganda fide nominatae, quarum ea est ratio, ut piorum hominum precibus, eleemosynisque coniunctis, apostolicis viris in evangelii praedicatione laborantibus divinam humanamque opem concilient. Suntque in dioecesi Nostra sequentes:

a) Sodalitas immaculatae conceptionis B. V. Mariae ad sustentandas missiones catholicas in imperio Turcico et in Oriente. Sodales dant eleemosynam et orant quotidie unum »Pater noster« et »Ave Maria« cum suspirio: »O Maria, sine labe concepta, ora pro fidelibus christianis in Oriente!«²

b) Similis sodalitas B. V. Mariae existit in dioecesi Nostra ad iuvandas missiones catholicas in Africa.³

c) His affinis est sodalitas a sancta Infantia benignissimi Salvatoris in subsidium missionariorum catholicorum in regionibus orientalibus pro redimendis infantibus ab infidelibus parentibus abiectis, ut gratiam baptismi accipiant. Haec sodalitas constituitur ex iuventute christiana. Sodales orant quotidie unum »Ave Maria« et addunt: »Sancta Maria, ora pro nobis et pro infantibus paganis!« offeruntque eleemosynam pro redemptione et educatione infantium paganorum.⁴

¹ Instituta Celeiae in ecclesia parochiali s. Danielis et approbata iuxta Breve Clementis VIII. die 10. Novembris 1597, reformata die 12. Ianuarii 1856.

² Sveto Opravilo. Maribor, 1887. pag. 173 et 183.

³ Ibidem, pag. 193. — ⁴ Ibidem, pag. 184.

d) Sodalitas s. Leopoldi in subsidium missionum catholicarum in America. Sodales dant eleemosynam et orant quotidie unum »Pater noster« et »Ave Maria« cum additamento: »Sancte Leopolde, ora pro nobis, ut digni efficiamur promissionibus Christi!«¹

e) Sodalitas s. Bonifatii in subsidium missionum catholicarum in regionibus acatholicorum in Germania. Sodales dant eleemosynam et orant quotidie unum »Pater noster« et »Ave Maria« cum invocatione: »Sancte Bonifati, ora pro nobis!«

f) Sodalitas ss. Cyrilli et Methodii introducta pro conversione schismaticorum et approbata a Pio PP. IX. die 12. Maii 1852. Sodales orant quotidie in hunc finem unum »Pater noster« et »Ave Maria« cum additamento: »Sancti fratres, Cyrille et Methodi, orate pro nobis!«²

Sanctissimus Pater Leo PP. XIII. impendit magnam operam, ut schismatici in sinum matris ecclesiae revertantur, prout patet ex praeclara encyclica »Grande munus,«³ et ex allocutione ad peregrinatores Slavos die 5. Iulii 1881; qui et ad promovendum hoc opus pium instituit Romae singulare collegium Cardinalium et Athenis seminarium clericorum.⁴ Neminem latet, hanc confraternitatem quam maxime commendandam esse.

g) Sodalitas s. Michaelis archangeli instituta in subsidium romani Pontificis. Sodales dant eleemosynam saltem unum cruciferum per mensem et orant quotidie unum »Pater noster, Ave Maria, Credo« et »Gloria Patri« cum invocatione: »Sancte Michael archangele, ora pro nobis, ut digni efficiamur promissionibus

¹ Ibidem, pag. 196.

² Sveto Opravilo. Maribor, 1887. pag. 190. — Sedes huius sodalitatis est clericale seminarium Marburgi, ubi 150.000 sodales inscripti sunt, et ecclesia s. Ioseph Celeiae in conventu sacerdotum sacrarum missionum.

³ De die 30. Septembris 1880.

⁴ Epistola encyclica Leonis PP. XIII. de die 24. Decembris 1894.

Christi!« vel: »Conserva et protege Domine Pontificem nostrum N. in terris, et non tradas eum in animam inimicorum eius!«¹

h) Sodalitas s. Hermagorae. Haec sodalitas instituta est ad promovendam et confirmandam fidem catholicam in nostris regionibus per propagationem librorum sanae et probatae doctrinae. Sodales persolvunt quotidie unum »Pater noster« et »Ave Maria« cum invocatione: »Sancte Hermagora, ora pro nobis!« et conferunt quotannis unum florinum pro editione librorum sanae doctrinae et pia recreationis.²

i) In Nostra dioecesi viget inde ab anno 1813 *Societas presbyterorum saecularium* et regularium, vi cuius pro unoquoque sodali defuncto omnes sodales viventes unam s. Missam celebrant et applicant. Haec pia societas gaudet etiam favore altaris privilegiati, ut omnis sodalis, quando pro defuncto sodali sacrum peragit, pro hac vice personalis altaris privilegio fruatur.³

¹ Breve Pii PP. IX. de die 11. Martii 1869. — Litterae pastorales de die 25. Martii 1860 et festo consecrat. ecclesiarum anno 1869. — Sveto Opravilo. Maribor, 1887. pag. 194. — In Nostra dioecesi instituuntur in hunc finem collectae quotannis in singulis ecclesiis, et quidem: *a)* Dominica proxima diei 20. Februarii in memoriam electionis summi Pontificis Leonis XIII. *b)* Die 29. Iunii, festo ss. apostolorum Petri et Pauli. *c)* Dominica proxima festo s. Michaelis archangeli die 29. Septembris.

² Sveto Opravilo. Maribor, 1887. pag. 190.

³ Indultum Pii IX. de die 27. Novembris 1877, prolongatum a Leone XIII. die 16. Februarii 1895. Gaudet 430 sodalibus presbyteris.

Nota. Dantur et aliae quaedam sodalitates in Nostra dioecesi vigentes, quarum uberiori expositioni supersedemus, at illas saltem nominatim adducere liceat. Sunt vero: confraternitas s. Ioseph, sponsi B. V. Mariae, instituta in conventu ss. missionum Celeiae; associatio s. Vincentii de Paulo tam virorum quam mulierum Marburgi; confraternitas s. Ursulae et sociarum V. V. et M. M. instituta in conventu PP. Capucinarum Celeiae; sodalitas iuvenum, virginum, virorum et mulierum in permultis parochiis; associatio opificum tam magistrorum, quam adiutorum et tironum Marburgi; associatio operariorum catholicorum Marburgi, in Zalec, Konjice, Vitanje et Trbovlje; associatio de imprimendis libris probatae doctrinae et edendis ephemeridibus iuxta normam et spiritum religionis catholicae, quae habet Marburgi propriam, bene provisam typographiam; associatio pro aedificandis novis ecclesiis Marburgi, ad s. Georgium penes Ščavnica, ad s. Georgium sub Tabor, ad s. Martinum penes Paka, in Čadram, Vitanje, Poličane et Remšnik aliisque locis.

Supra nominatas confraternitates et sodalitates ob praeclarum finem, quem prosequuntur, propter spiritum charitatis christianae, quo moventur, propterque praeclaros fructus, quos iam protulerunt, clero dioecesano quam maxime commendamus et cupimus, ut magis magisque dilatentur, crescant et floreant!

D.

Ex supradictis elucet quidem utilitas permagna confraternitatum et sodalitatum, iuvat tamen in hac re, quaedam momenta addere, ex quibus illarum eminentia eo magis percipitur.

Per confraternitates excitatur orandi fervor, inducitur et nutritur frequens sacramentorum usus; imo huiusmodi sodalitatum erectio fere unicum est medium efficax, movendi fideles ad sacramenta crebrius suscipienda. Quum enim indulgentias plenarias multis per annum diebus lucrari possunt sodales, confessi et sacra communionem refecti: ideo ad confessionem et communionem frequenter accedunt; quod absque desiderio indulgentias lucrandi ab ipsis non fieret, ut experientia constat. Istorum exemplum subinde alii imitantur. Orationis autem et sacramentorum subsidiis muniti simul promptiores redduntur ad alia pietatis christianae opera suscipienda statusque sui officia sedulo adimplenda. Additur, quod ad decorem et ornatum ecclesiae procurandum, ad Dei cultum evehendum, ad scandala tollenda, piae sodalitates prudenti parochi possunt magno adiumento esse. Sicque sunt magno iuvamini et solatio animarum pastoribus. Confraternitates piae sunt testante Pio IX. exercitus ordinatus ad pugnandum contra diabolum.

Ut autem piae confraternitates et sodalitates desideratos afferant fructus, opus est, ut circumstantiis loci et indigentiis fidelium accommodatae legitime instituantur et provide dirigantur. In hunc finem observandae sunt subsequentes normae ac regulae:

1. Potestatem ordinariam erigendi confraternitates habet Episcopus, ad quem pertinet quoque examinare et approbare earum statuta, nisi iam a s. Sede fuissent confirmata.¹ Ex privilegio Pauli V. eas erigere etiam possunt Superiores ordinis. Aggregatio confraternitatis ad archiconfraternitatem fit per istius officiales, praevio Ordinarii loci consensu, in eadem constitutione requisito.

2. Piae istae sodalitates in omnibus subiacent iurisdictioni Episcopi, qui eas quoque visitare potest non tantum quoad cultum, sed etiam quoad bonorum administrationem, quamvis in ecclesiis seu capellis regularium sint erectae.²

3. Porro Ordinarius potest per se ipsum vel per delegatum assistere congregationibus sodalium, etiam pro electione officialium, licet in ecclesiis et oratoriis regularium fierent: dummodo non faciat novitates.³ Prohibere potest insolita exercitia, quae offensionem aut scandalum generarent.⁴

E.

In erectione confraternitatum observanda est norma Clementis VIII. in sua constitutione »Quaecumque« de die 7. Decembris 1604, a Pio IX. die 8. Ianuarii 1861 confirmata sub poena »nullitatis«. Observerentur ergo:

1. ut unica tantum confraternitas eiusdem nominis et instituti in eadem ecclesia et urbe vel vico instituatur et aggregetur, neque etiam in loco vicino, nisi ultra horam ab ecclesia eiusdem confraternitatis distet.⁵ In casu necessitatis impetrari potest »dispensatio a debita distantiae defectu« a Sede apostolica. Exceptae ab hac conditione inde ab antiquissimis temporibus sunt: con-

¹ Const. Clementis VIII. »Quaecumque« de die 7. Decembris 1604.

² Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. de reform.

³ S. C. C. die 16. Aprilis 1692.

⁴ S. C. Ep. die 9. Aprilis 1602.

⁵ Cfr. Decr. Cong. s. Indulg. die 31. Ianuarii 1893 et die 20. Maii 1896.

fraternitates de sanctissimo Sacramento, de doctrina christiana, de sanctissimo Corde Iesu, de congregatione mariana, et inde a tempore Pii IX. de sanctissimo corde Mariae, de fidelibus defunctis, de sacratissimo Rosario et sodalitas matrum christianarum. In eadem ecclesia tamen confraternitates diversi tituli institui possunt.

2. Ut erigatur de consensu Ordinarii, examinatis ab eo, revisis et pro ratione loci approbatis statutis datisque litteris testimonialibus.

Statuta alicuius sodalitatis erigendae possunt mutari et necessitatibus loci accomodari approbante Episcopo, dummodo solum finis firmus maneat.

3. Ut gratiae et indulgentiae confraternitatibus concessae praevia Ordinarii cognitione dumtaxat promulgentur.

Litterae facultativae erectionis vel aggregationis ab Episcopo revisae ad altare confraternitatis appendantur, ut in notitiam omnium perveniant, et transcriptae in archivo parochiali deponantur.

4. Ut confraternitates eleemosynas et alia charitatis subsidia iuxta formam ab Ordinario praescribendam accipiant, et pro arbitrio illius in utilitatem ecclesiae convertant.

5. Rector canonice erectae confraternitatis non est eo ipso parochus ratione sui muneris, sed sacerdos ab Ordinario designatus, nec etiam ut talis iam pollet facultate benedicendi coronas aut scapularia aut habitus vel imponendi eos, nec rector alium sacerdotem, si opus esset, sibi substituere potest. Quapropter petens alicuius confraternitatis erectionem semper addat verba: »ut parochum eiusque successores designes in confraternitatis directores cum facultatibus necessariis et opportunis, praesertim sibi substituendi alium sacerdotem, si opus fuerit, ad recipiendos fideles et alia munia praesidis exercenda.«

Novae confraternitates et sodalitates non instituantur, si veteres sufficiunt. Si enim facilius aures praebeantur novitati, veteres societates certo periclitabuntur, novarum successus anceps erit. Nulla nova confraternitas institutur, nisi venia accepta Episcopi, quae in scriptis dari et servari debet.

Si novas sodalitates instituere necesse sit, adhibeantur, in quantum fieri potest, veterum regulae et agendi praxis, ut indulgentias, quibus istae auctae sunt, novi sodales lucrari possint; potest etiam nova sodalitas alii archiconfraternitati aggregari, ut gratiae eiusdem acquirantur. Semper autem tales seligantur, quae fidelium indoli, indigentis temporis et circumstantis loci magis conveniunt. Similiter non instituantur multae confraternitates, sed quae existunt, eo sollertius foveantur; numerositas enim confundit et taedium parit. Neque esset opportunum, officia status negligere et privatis ac non de praecepto obligantibus devotionibus operam dare: quae praecepta sunt, primum observentur, deinde quantum occasio permiserit ea, quae sunt tantum de consilio. *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant.* (I. Cor. 14, 40).

F.

Sodales indulgentias lucrantur, »dummodo ipsi legitime inscripti fuerint in confraternitatem.«¹ Secundum decretum s. Congregationis Indulg. 28. Apr. 1761, renovatum per Leonem XIII. die 13. Apr. 1878 et declaratum per s. Congregationem Indulg. die 14. Iunii 1880, *absentes* non suscipiantur sive per litteras, sive per mediatores, salvo nonnullis exceptionibus, quae vel in institutione vel in speciali privilegio vel in dispensatione temporali, ab apostolica Sede concessa, fundatae sunt. Hoc decretum non quidem postulat, ut intraturi in locum erectionis aut

¹ C. Indulg. decr. authen. num. 298. Fr. Beringer, die Ablässe. 9 Auflage. Paderborn, 1887. pag. 605.

sedis veniant, sed ut se tali sistant, qui facultatem suscipiendi habet.

Confraternitates autem organisationis strictioris seu formae collegialis, quae cum ritu speciali et certis sollemnitatibus membra recipiunt, e. g. impositione scapularis, novitiatu, tantum praesentes recipere possunt.

Confraternitates vero et sodalitates, quae non sunt tam intime coniunctae, et quarum statuta neque certam formam externam, neque sollemnitates in recipiendis membris praescribunt, definitionem in recipiendis membris observent, in quantum fieri potest. Ut autem personalis adventus ad receptionem commodius fiat, hae sodalitates sua *centra* canonice erigendo filiales augeant et pluribus potestatem recipiendi concedant.

Sodalitates, quarum finis praecipuus charitas est, ut e. g. sodalitas missionis, vel s. Vincentii, et quae numero membrorum quam maximo tantum prosperare possunt, ex indulto apostolicae Sedis etiam per mediatores et litteras sodales recipere possunt. Spiritus vero et finis decreti de die 13. Aprilis 1878 diligentissime servandus est, ne quis inscius aut absque voluntate ac proposito officia et opera suscipiendi et indulgentias lucrandi suscipiatur.

Fideles defunctos aut vero vivos inscientes tertio tantum postulante inscribi non licet, parvulos absque rationis usu inscribi non expedit (excepta sodalitate infantiae Iesu).¹

Confratres tenentur *statuta* addiscere, cum amore et zelo congregationibus et processionibus et festis interesse, et quantum possibile, vitam secundum regulas confraternitatis componere. Statuta sub peccato quidem non ligant, sed confrater illa negligens se ipsum multis gratiis, confratres vero multis fructibus bonorum operum privat.

¹ S. C. Indulg. die 13. Dec. 1876.

Rector doctrinam et decreta, praecipue statuta confraternitatum et sodalitatum bene addiscat, et sodalibus persaepe exponat, indulgentias lucrandas annuntiet, festa huc spectantia sollemniter celebret et communionem generales instituat. Habeat specialem librum, in quo nomina sodalium confraternitatum in parochia existentium inscribantur et cum sollertia servantur, ut de iis rationem reddere et successor in cura animarum relinquere possit.

Demum, ut ad pias sodalitates et confraternitates fideles alliciantur, exteriora adhibeantur media oportet; celebrentur scilicet earum festi dies speciali cum sollemnitate; appositae illis fiant instructiones; in processionibus et aliis ecclesiae caeremoniis, quantum per rubricas licet, locus proprius illis detur; omnis tandem honoris illis deferendi occasio arripiatur. Sic enim illis dilatatis, bona obvenient quamplurima; magno vero adiumento pastoribus animarum pia illae sodalitates erunt.

Ad finem notetur monitum s. Francisci Salesii, hisce verbis sodalitates et confraternitates commendantis: »Libenter sodalitatibus loci, in quo agis, adscribi velis, iis praesertim, quarum exercitia et instituta plus fructus et boni exempli adferunt: hoc namque pacto obedientiae actum Deo gratissimum exercebis; nam licet sodalitates speciali ab eo praecepto praescriptae et mandatae non sint, ab ecclesia tamen commendantur; quae declarare cupiens, quam sibi gratum sit, plures in easdem nomina dari sodalibus earum et membris indulgentias varias et alia quaedam privilegia impertiri solet. Ad haec semper maximam charitatem redolet, cum multis simul concurrere, et aliis ad bona sua desideria executioni mandanda cooperari et auxiliari. Et quamquam fieri potest, ut tam bona quis exercitia separatim faciat, atque in sodalitatibus simul iunctimque peragantur, imo esto, fortassis longe illi gratius et suavius sit, eadem privatim et sibi soli facere, per hanc tamen operum nostrorum bonorum,

quam una cum fratribus et proximis nostris facimus, unionem et collationem Deus Optimus Maximus magis glorificatur.«¹

Fraternitatem diligite! (I. Petr. 2, 17).

Caput XII.

De sacris missionibus piisque exercitiis laicorum.

Societatem humanam, prouti hodie est, variis iisque magnis malis laborare nemo negabit. Doctrinae falsae et perversae, quae quotidie quam audacissime in ephemeridibus, in scriptis imo et in scholis traduntur, perturbant, confundunt et pro innata sibi pravitate corrumpunt eam; et quum sint ecclesiae romano-catholicae infensissimae, etiam fidelibus de die in diem maiora parant pericula, spargendo in eorum mentes praeiudicia et dubia circa fidem, fovendo erga religionem indifferentismum, laudando vitae dissolutae modum, et in quantum pares sunt, religionis actuale exercitium prae-
pediendo: revèra status societatis nimis deplorabilis.

Ast Deus, »cuius misericordiae non est numerus«² et cuius in invenienda ove perdita *viae investigabiles* (Rom. 11, 33), ecclesiam suam in mundo et humana societate militantem »miseratione continua mundat et muniat«³ eique iuxta varias temporis vicissitudines opportuna praesidia subministrat ac media ad conscientias excitandas, ad mores corrigendos, ad fidem confirmandam et ad pietatis sensum augendum.

Inter haec media teste historia ecclesiastica, quae est vitae magistra et quasi missionum historia, missiones

¹ Math. Martinez, Philothea s. Francisci Sal. II. lib. cap. 15. pag. 116. Viennae Austriae, typis Leop. I. Kalivoda. 1754.

² Orat. in sollem. grat. act.

³ Orat. in dominica XV. p. Pentecost.

et exercitia spiritualia pro populo vindicant sibi attentionem omnino primariam. Ipsae quoad originem et aetatem coevae sunt ecclesiae Dei. Quoties enim inde a rixis et scandalis tempore apostolico in ecclesia corinthiaca locum obtinentibus eamque in discrimen ducentibus mores plus aequo corrupti erant et fides labefiebat, toties piissimus Redemptor noster, ne opus eius damni quid caperet, viros ardenti Dei amore inflammatos excitavit, qui motu Spiritus sancti ad instar missionum fere hodiernarum ecclesias visitabant; et de regione ad regionem, de parochia in parochiam declinantes, verbum Dei praedicabant, populum profundiori religionis scientia imbuebant et cordibus ad compunctionem dispositis vitam spirituales restituebant.

Unde etiam sancta mater ecclesia, in continua sua sollicitudine pro salute fidelium sibi concreditorum, in re, de qua sermocinamur, per viam hanc divinitus sibi praemonstratam ingressa est et graditur: exercitia spiritualia et missiones qua remedium singulare »et fortasse unicum« ¹ malis societatem vexantibus opponendo easque aestimando tanti, ut earum promovendarum et fovendarum gratia ordines et congregationes speciales institueret: Ordinem Societatis Iesu, Congregationem sacerdotum missionum s. Vincentii a Paulo, Congregationem sanctissimi Redemptoris, s. Ioannis de Cruce.

Unde etiam summi Pontifices semel atque iterum Episcopos excitarunt et Episcopi parochis mandaverunt, ut illi pro dioecesibus suis, hi autem pro parochiis suis missiones indicerent et procurarent illasque ceu medium aptissimum ad fidei ac religionis spiritum augendum commendarent.

Sunt ergo missiones et exercitia spiritualia pro populo continuus halitus Spiritus sancti in ecclesia Dei, sunt illud fermentum, quod acceptum missionarius abs-

¹ Benedict. XIV. constit. „Gravissimum“ de die 8. Septembr. 1745.

condit in farinae satis tribus et cuius vis energica non sistitur, donec fermentatum est totum; sunt ista magna vox, de qua s. Augustinus scribit: »Quam difficile surgit, quem moles pravitatis vexat, sed tamen surgit, surgit post vocem magnam«,¹ quae penetrat corda et renes, vox ita prolata et adornata, ut singularem vim in auscultantes non possit non exercere. Ecce, concionator peregrinus, quem multi iam curiositate pulsi audiendum putant, materia concionum gravissima, ingens praesentium multitudo, lacrimae poenitentium, fletus corde contritorum, fervor missionariorum, inconsuetus numerus sacerdotum confessiones excipientium, donatorum facultate absolvendi etiam a casibus reservatis; publica Sanctissimi deprecatio, quae occasione missionum institui solet, sermo singularis de B. M. V., Missa et preces sollemnes pro animabus saeculo defunctis, erectio crucis, quae sub finem sacrarum missionum benedicitur, desiderabilis thesaurus benedictionum, misericordiarum et indulgentiarum, quas Dominus, *dives in omnes* (Rom. 10, 12), his diebus salutis per ecclesiam suam copiosissime immittit in populum suum.

Quibus omnibus corda fidelium quam vehementissime moventur et pientissimis affectibus et firmissimis propositis replentur; et ita fit, ut per exercitia spiritualia et missiones, inprimis si earum successus parochi loci et cleri constanti piaе vitae et virtutis firmæ promovetur exemplo, languentes erigantur, tepidi excitentur, frigescentes refoveantur, corda ad conpunctionem disponantur, diuturnis inimiciis separati sanctae paci reddantur, alienis proprietatibus gravati ad restitutionem moveantur, inprimis autem, prouti experientia universim docet, ut per seriem annorum prava consuetudine ligati, animum sumendo, in confessione generali semet illius exuant compedibus.

Ad tantam copiam fructuum a fidelibus in missionibus et exercitiis spiritualibus percipiendam respexit Synodus

¹ S. Augustin. in Ioan. cap. 11.

dioceseos Lavantinae, decernendo: »Ubique, inprimis autem in parochiis, ubi superabundante populi numero parochus ovibus quaerendis et pascendis sufficere nequit, ubi parochiani indifferentismo addicti publica scandala fidelibus praebent, vel ubi pietatis studium frigescere coepit, pium hoc et saluberrimum exercitiorum spiritualium opus quo maiori conatu et studio promoveatur.«¹

Eapropter magno gaudio afficimur et Deo, a quo omne bonum, intimas gratias referimus de tot et tantis fructibus decreto hoc maturatis. Piissima nempe sollicitudine obtemperantes rectores ecclesiarum tam salutare sacrarum missionum opus, lustro, quo Nos favente Dei gratia et adiutorio gregem dioeceseos Lavantinae minamus et pascimus, per plurimas parochias instituerunt.²

¹ Acta et statuta Syn. dioec. Lav. Marburgi, 1883. pag. 69.

² In dioecesi Lavantina peragebantur missiones pro populo vel earum renovationes vel exercitia spiritualia inde ab anno 1890 usque ad praesentem diem in his parochiis:

1890: Belevode, s. Barbarae in Haloze, s. Barbarae penes Wurmberg, Hajdin, Ljubno, s. Petri penes Radgona, Podgorje, Razbor, Žiće, Špitalič, Solčava, Sromlje, Trbovlje (renov.), s. Viti penes Planina, Videm, Wurmberg (renov.), Cirkovce.

1891: Kalobje, Lembah, Ruše, Marija Snežna na Velki, Medvedovo Selo, Mozirje, Preborje, Prihova, Remšnik, Slivnica penes Marburgum.

1892: s. Barbarae in Haloze, Celeiae (in eccl. B. M. V.), s. Aegidii penes Turjak, Grize, Gotovlje, s. Iacobi in Collibus slov., Črešnjice, Gornjigrad, Preborje, Ribnica, Rogatec, Skomarje, Studenice, Trbovlje (renov.), Slov. Bistrica, Selnica.

1893: s. Benedicti in Collib. slov., Dobje, Celeiae (in eccl. s. Danielis), s. Georgii ad austral. viam ferr., Podsreda, Kapele, s. Laurentii in campo Dravi, Marburgi (in eccl. cathedrali), Nazareth, s. Oswaldi in Silva Dravi, s. Petri penes Marburgum, s. Petri penes Radgona, Pišce, Ribnica, Slivnica penes Celeiam, Zetale, Sopota, Trbovlje (renov.), s. Viti penes Planina (renov.), Vitanje.

1894: s. Antonii in Collib. slov., s. Floriani in Boč, Dolič, Vransko, s. Ioannis Bapt. in Campo Dravi, s. Crucis penes Ljutomer, Ljubno (renov.), Marburgi (in eccl. s. Aloysii), s. Margaritae penes Rimske Toplice, B. M. V. in Eremo, Paka, s. Martini in Rožna Dolina, Negova, Novacerkev, Ponikva, Remšnik (renov.), Žusem, Trbovlje (renov.), Teharje, Wurmberg, s. Martini penes Wurmberg.

1895: Doberna, Cirkovce, Muta, Solčava (renov.), Vransko, Loče, Marburgi (in eccl. cathedrali renov.), Dobova, Celeiae (in eccl. B. M. V.), Marburgi (ad s. Magdalene), s. Aegidii in Collib. slov., Zabukovje, Videm, Polje, Galicija, Braslovce, Loka, s. Wolfgangi in Collib. slov., Rečica, s. Viti penes Waldegg, Pišce, s. Laurentii in Eremo, Ponikva, Marburgi (conferentiae spirit. pro viris) in eccl. cathedrali s. Ioannis Baptistae.

Gratias quam maximas agimus vobis, fratres venerabiles, qui missiones vel exercitia spiritualia in parochiis vestris celebrastis. Et in posterum memores estote rectores ecclesiarum moniti archiepiscoporum et episcoporum Austriae: »Gregibus vestris interdum singularem quoque et redintegrandi spiritum pietatis occasionem praebeatis, ad quem finem praeprimis missiones sacras aptas esse, compertum habeatis.« ¹

»Boni pastores non praetermittant omni quarto aut quinto anno missionem arcescere.« ²

Ideo non dubitamus, quin, prouti usque nunc ita et in futurum, fratres charissimi, magna industria salutem fidelium per missiones et exercitia spiritualia promoturi sitis³, ut grex Nobis divinitus in regimen demandatus *vitam habeat et abundantius habeat.* (Ioan. 10, 10).



Titulus tertius.

De clericorum vita deque eorum progressu ac profectu in via Domini.

Caput XIII.

De vita et honestate clericorum.

 uamvis fideles omnes ad honestam vitam servandam teneantur, tamen clerici, in sortem Domini vocati, sanctioris vitae obligatione constringuntur. Ad omnes enim ecclesiasticos viros spectat, quod Tito

1896: Zagorje, Vransko (renov.), Konjice, Celeiae (in eccl. s. Danielis renov.), Marburgi (in eccl. s. Magdalenae), s. Crucis penes Slatina, Schoenstein, Razbor, s. Georgii sub Tabor, Monsberg, Gornjigrad, Medvedovo Selo, Videm, Fram, Poličane, Kapele, Sromlje, Marburgi (in eccl. s. Aloysii renov.), s. Mariae in Eremo.

¹ Archiepisc. et episc. litt. pastoral. de die 19. Novembr. 1891.

² Alphons. Liguor. hom. apost. tract. 7. n. 3.

³ Consilia opportuna et normae practicae pro feliciter instituendis missionibus sacris et exercitiis piis reperiuntur in folio: XLIV. Schluss-Protokoll über die im Jahre 1892 in der Lavanter Diocese abgehaltenen Pastoral-Conferenzen de die 31. Decemb. 1892. Pag. 1—9.

praecipit apostolus: „*In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate . . . ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*“ (Tit. 2, 7. 8). Vocati igitur in sortem Domini, intelligant clerici, se spectaculum factos esse mundo et angelis et hominibus, ut mundum doctrinis illuminent, homines exemplis instruant, angelos virtutibus aemulentur.¹ Praebeant sese oportet moribus atque honestate vitae gentem sanctam et genus electum et lucernas positas super candelabrum, ut qui »in eos tanquam in speculum oculos coniiciunt, ex eis sumant, quod imitentur«.² Quum igitur vita clericorum ornari debeat ecclesia³, hinc diligentius etiam observanda sunt, quae eorum vitam honestatemque spectant. Quapropter quae a sanctis Patribus, a sacris Conciliis, summorum Pontificum constitutionibus et ordinationibus Nostris praedecessorumque Nostrorum de clericorum vita et honestate »copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iis poenis vel maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, observentur«,⁴ statuimus et mandamus.

1. Sicut „*omnis gloria filiae regis ab intus est*“ (Ps. 44, 14), sanctificationem internam ante omnia clero commendamus.

Monemus igitur charissimos in Christo cooperatores Nostros, ut resuscitent saepius gratiam Dei, quae est in eis per impositionem manuum episcopalium, et in memoriam iterum iterumque revocent verba, quibus Pontifex recenter ordinatos alloquitur: »Filii dilectissimi, diligenter considerate ordinem per vos susceptum ac onus humeris vestris impositum. Studete sancte ac religiose

¹ Constitutiones et canones s. synodi Montis Libani 1736. Par. III. cap. 2. — Coll. Lac. T. II. col. 258.

² Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. de reform.

³ Constitutiones synodi prov. Neapolitanae 1699. Tit. IX. cap. 5. — Coll. Lac. T. I. col. 225.

⁴ Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. de reform.

vivere atque omnipotenti Deo placere». ¹ Vitam omnem regula certa et fixa dirigant, memores huius verbi: Qui regulae vivit, Deo vivit. Ut fervor pietatis in eorum animis amplius in dies exardescat, praeter devotam divini officii recitationem nunquam curent negligere frequentem usum sacramentorum, quotidianum examen conscientiae piisque meditationes ac lectiones. Singulis annis ne praetermittant spiritualibus exercitiis operam dare, ut, si quae maculae ipsis adhaeserunt, abstergi possint, neque se propter suorum munium sollicitudines aut labores a tam utilibus exercitiis excusatos habeant. ² His enim armis vitia comprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur. „*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*“. (Matth. 26, 41). „*Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar*“. (I. Cor. 9, 27). „*Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis*“. (Gal. 5, 24).

Haud minus instant clerici studio litterarum. Munia enim ecclesiastica nequeunt, nisi cum iniuria in Deum, salutis detrimento et ecclesiae dedecore ab ignaris exerceri. ³ Omnibus igitur clericis strenue demandamus, ut attendant lectioni et doctrinae, ac scientiae sacrae acquirendae perseveranter se tradant. Sacerdotes nullatenus sibi persuadeant, obligationem vacandi studiis ecclesiasticis pro ipsis cessare simul atque a seminario egrediuntur, quasi absque studio diuturno difficultates ministerii sui fere quotidianas possint solvere cum discretionem, concionari cum effectum, absolvere cum fructu, vel etiam retinere, quae in scholis didicerant. Abiecta autem semel scientia omnia iudicant ex proprio ingenio et in

¹ Decreta Concilii prov. Remensis 1857. cap. 15. — Coll. Lac. T. IV. col. 240.

² Decreta Concilii prov. Senonensis 1850. Tit. IV. cap. 4. — Coll. Lac. T. IV. col. 903.

³ Decreta Concilii prov. Remensis 1849. Tit. XII. cap. 1. — Coll. Lac. T. IV. col. 128.

gravissimos errores incidunt, de quibus apud summum iudicem strictissimam rationem reddere oportebit. »Sciant igitur sacerdotes scripturas sacras et canones meditentur, ut omne opus eorum in praedicatione divina consistat, atque aedificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina«. ¹

Pietas et scientia ut duae sorores aut duae virtutes coniunctissimae in vobis foedus indissolubile ineant. Devotio et studium sic inter se concordent, ut nunquam sibi invicem obsint, sed contra sibi mutuo plurimum prosint. Devotio studium foveat et accendat; studium devotionem illuminet et illustret. ² Hinc studeant sacerdotes quam maxime vitam moresque instituere iuxta decreta ecclesiastica desuper lata, atque scientiae studio assidue vacare. Tali enim modo facillime tollent de medio errores aevo nostro tam late diffusos, illam nempe in iis, quae ad religionem et pietatem pertinent, exitialem indifferentiam et in clerum ipsum resque sacras inve-recundum contemptum.

2. Internae autem sanctitati externa quoque honestas omnino respondeat. »Incompositio enim corporis«, ut ait s. Augustinus, ³ »inaequalitatem indicat mentis.«

Praecipue clerici castitatem tanquam singulare eorum decus servant studiosissime. »Continenter et caste vivere studeant universi clerici . . . ab omni libidinis vitio praecaventis . . . quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde ac mundo corpore valeant ministrare.« ⁴ »Sit humilis sacerdos, sit devotus — si non est castus, nihil est.« ⁵

¹ Concilium Toletanum IV. cap. 25. — c. 1. D. 38.

² Joseph Schneider S. I., Manuale sacerdotum. Editio 10. minoris formae 9. Cura et studio Augustini Lemkuhl S. I. Coloniae, 1885. Sumptibus et typis Ioannis Petri Bachemii. pag. 204.

³ In ep. 109. ad monachas habetur sensus. — c. 8. D. 41.

⁴ c. 13. X. III. 1.

⁵ S. Thomas a Villanova.

Meminerint sacerdotes, clericis ex lege canonica prohiberi non solum peccatum formale¹ contra castitatem, sed etiam ea, quae suspicionem² vel occasionem³ incontinentiae secum ferunt. Hinc interdicitur ipsis cohabitatio et conversatio habitualis *cum foeminis quibuscunque de continentia suspectis*.⁴ Nullas igitur secum degere permittant mulieres, nisi illas, in quibus »naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari«,⁵ scilicet consanguineas et affines usque ad secundum gradum, »aut etiam eas idoneas personas, quae fugiant suspensiones«,⁶ id est extraneas quoque mulieres maturae aetatis et bonae famae. Nimiam familiaritatem cum mulieribus, ne modo dictis quidem exceptis, devitent, nec quidquam patiantur, unde scandali oriri possit occasio. „*Nemo potest ignem in sinu suo abscondere, quin ardeant vestimenta eius; aut ambulare super prunas, quin comburantur plantae eius*“. (Prov. 6, 28). Cum foeminis quoque pietatis studio deditis nulla sit clerico consuetudo, quam non charitas aut officii ratio postulet. Sermo cum mulieribus sit rarus, brevis et rigidus. »Caveto omnes suspensiones, et quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante devita.«⁷

Ne sinant sacerdotes foeminas ullo modo, sive directo sive indirecto, sese sacris muneribus gerendis aut rebus ecclesiae administrandis immiscere. Pari modo iterum severe prohibemus, ne coquae et oeconomae cum parochis et illorum cooperatoribus ad eandem mensam ad prandium et coenam assideant, et sic testes sint omnium, de quibus parochi cum cooperatoribus necessario quandoque colloqui debent. Haud minorem repre-

¹ c. 9. X. III. 1. in parte decisa.

² c. 10. C. 12. q. 1.

³ c. 9. X. III. 1. in parte decisa.

⁴ Initium c. 1. X. III. 2.

⁵ c. 9. X. III. 2.

⁶ c. 16. D. 32.

⁷ S. Hieronymus in ep. ad Nepotianum. Ed. Migne T. XXII. col. 532.

hensionem meretur animarum pastor, imo scandalum praebet fideli populo, si in uno eodemque curru cum sua coqua et oeconomia publice vehitur, illamque semper in suo comitatu habere non erubescit.

Cum igitur hic perversus usus dignitati, honori et reverentiae status sacerdotalis multum deroget, multa scandala et offendicula provocet et innumeris statui nostro nocivis loquelis ansam praebeat, ac demum multarum quaerelarum causa, inprimis autem iuniori clero offendiculo sit; propterea parochos cum omni charitate et etiam auctoritate provocamus hortamurque, ut hunc abusum, ubi existit, illico tollant et suas domos parochiales ita ordinent, prout dignitas et reverentia domus sacerdotalis exposcit, seque erga famulitium muliebre ita gerant, prout prudentia pastoralis suadet et docet.¹

Memores autem mandati summi Pontificis Innocentii III. in Concilio oecumenico Lateranensi IV. his verbis expressi: »Ne facilitas veniae incentivum tribuat delinquendi, statuimus, ut qui comprehensi fuerint incontinentiae vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius et districtius praecipimus observari; ut quos divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem poena cohibeat a peccato«;² et obsequentes hortationibus Patrum Concilii Tridentini:³ »Quum proprie episcoporum munus sit subditorum omnium vitia redarguere, hoc illis praecipue cavendum erit, ne clerici, praesertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis conniventibus ducant«: renovamus et omni clero in memoriam revocamus dispositiones et poenas sacrosancti oecumenici Concilii Tridentini.

Quoad clericos beneficium aut pensionem possidentes et beneficio et pensione carentes praelaudatum Conci-

¹ Decretum Episcopi Lav. ad s. Andream die 8. Ianuarii 1845.

² c. 13. X. III. 1.

³ Concil. Trid. sess. 14. in prooemio de reform.

lium haec decernit: »Prohibet sancta Synodus quibuscunque clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant; alioquin poenis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis puniantur.¹ Quod si a superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque et pensionum ipso facto sint privati,² quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia foemina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius, etiam uti Sedis apostolicae delegatus, arbitrabitur, suspendantur; et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuo priventur,³ atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in posterum reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si, postquam eas semel dimiserint, intermissum consortium repetere aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, praeter praedictas poenas excommunicationis gladio plectantur. Nec quaevis appellatio aut exemptio praedictam executionem impediat aut suspendat, supradictorumque omnium cognitio non ad archidiaconos nec decanos aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu et figura iudicii et sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici vero beneficia ecclesiastica aut

¹ Totus tit. X. III. 2.

² c. 4. et 6. X. III. 2.

³ c. 2. et 3. X. III. 2.

pensiones non habentes iuxta delicti et contumaciae perseverantiam et qualitatem ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis iuxta sacros canones puniantur.«¹

Quoad parochos vero turpiter et scandalose viventes eadem statuit Synodus: »Eos vero, qui turpiter et scandalose vivunt, postquam praemoniti fuerint, coërceant ac castigent (episcopi), et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis iuxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.«²

3. Sicut castitatem, ita temperantiam quoque clericis impensissime commendamus. „*Sicut in die honeste ambulemus, non in commensationibus et ebrietatibus.*“ (Rom. 13, 13). „*Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.*“ (Eccl. 19, 2). „*Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu sancto.*“ (Ephes. 5, 18). Ebrietatem s. Petrus Chrysologus³ vocat in alio crimen, in sacerdote sacrilegium; quam ne auditu quidem attingere debet, ne, qui est forma virtutum, vitiorum inde fiat et inveniatur exemplum.

Abstineant ergo clerici a crapula et ebrietate, id est ab immoderato ciborum et potus usu. Utrumque enim turpe vitium est, et clericali statu indignum atque vitam moresque corrumpit. Lex ecclesiastica utrumque vitium vehementer abhorrens, contra clericos transgressores, si admoniti non abstineant, statuit poenam suspensionis ab officio vel etiam a beneficio per superiorem applicandam.⁴

Ne clerici facile incidant in vitium crapulae et ebrietatis, prohibentur ingredi tabernas.⁵ »Clerici taber-

¹ Concil. Trid. sess. 25. cap. 14. de reform.

² Concil. Trid. sess. 21. cap. 6. de reform.

³ Sermo 26. Ed. Migne T. LII. col. 273.

⁴ c. 14. X. III. 1. — ⁵ c. 2. et 4. D. 44. — c. 53. ex apostolicis.

nas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.«¹ Concilium Tridentinum severe monet: »Ab illicitis venationibus, aucupiis, *tabernis* lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito ecclesiae senatus dici possit.«² Concilia provinciae Salisburgensis, quorum statuta clerum Lavantinum speciali titulo obligant, iterum iterumque hanc legem ecclesiae universalem inculcarunt sub poenis suspensionis et privationis officii.³

Ex quibus Concilium XLVI. in constitutione XXVII. de disciplina, vita, honestate et moribus clericorum cap. XIV. haec decrevit: »Ut causa amputetur, quae saepius presbyteris et caeteris clericis occasionem dedit, ut crapulae dediti etiam nimio vino perfunderentur, praesertim vero in popinis atque tabernis publicis . . . tam sanctorum canonum quam etiam antecessorum archiepiscoporum Salisburgensium statuta et ordinationes sequentes, mandamus, ut presbyteri, diaconi et subdiaconi, monachi vel quicumque ecclesiastici edendi vel bibendi causa et omnino sine causa *evidenter rationabili* et *honeste* tabernas publicas aut loca vicina tabernis servientia vel alias publica, nisi *peregrinationis necessitate compulsi*, non ingrediantur. Quod si fecerint, iuxta arbitrium Ordinariorum secundum gravitatem delicti puniantur, ita tamen, quod Ordinarii in puniendis ebriis non sint nimium remissi. Quod si quis deprehensus consuetudinem hanc malam non deserat, per sententiam sui Episcopi *privetur beneficio*, si quod habet; si autem non habeat, *carcere puniatur*; neque ad exercitium ministerii sui admittatur, donec spem et fidem dederit, se in posterum abstinere velle.«⁴

In dioecesi etiam Nostra, frequentare tabernas, imo nocturno etiam tempore; vetitis interesse lusibus et eius-

¹ c. 15. X. III. 1. — ² Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.

³ Concilia Salisburgensia: XXIII. an. 1274. cap. XII. de tabernis; XXXV. an. 1420. cap. III.; XLVI. an. 1569. cap. XIV. — ⁴ Dalham, op. cit. pag. 444.



modi sectari consortia, a quibus tum ingenua morum honestas, tum clericalis ordinis dignitas et existimatio non potest non grave pati dispendium, sacerdotibus severe vetitum esse, neminem latet.¹ Praevaricatio legis huius suluberrimae vulnus grave et insanabile infert disciplinae status ecclesiastici.

Praeter causam itineris hodie etiam aliae causae rationabiles adeundi tabernam possunt occurrere e. gr. interesse congressibus occasione electionum vel adire congregationes societatum catholicarum; sed istae causae non pro lubitu uniuscuiusque sed ex mente Ordinarii sunt diiudicandae.

Illud ergo iam antiquum et saepius repetitum statutum, quo sacerdotibus saecularibus et regularibus visitatio tabernarum publicarum ad bibendum aut merae distractionis causa interdicitur, hisce renovamus, ac sacerdotibus dioecesanis cuiuscunque gradus et dignitatis frequentationem diversoriorum cauponarumque omnium ad bibendum vel ludendum vel qualicunque demum modo ad oblectandum fieri solitam, etiamsi id fuerit in sic dictis cubiculis separatis, serio denuo interdiciamus, atque excepto solo casu, si id in exequendo munere pastoralis vel ex necessitate fieri debeat, ut in itineribus, omnino prohibemus.

Executionem huius statuti parochis et Decanis iniungimus. Parochus cooperatorem visitantem tabernas severe admoneat, statutis dioecesanis visitationem tabernarum prohibitam esse, atque procuret, ut cooperator subscribat testimonium de correctione facta. Hoc idem iterandum secunda vice. Emendatione non secuta, tertia vice deferat parochus causam ad Decanum ac transmittat testimonium de bina admonitione a se facta. Si a Decano facta admonitio sine emendationis fructu manserit,

¹ Decretum Episcopi Lavant. Salisburgi de die 10. Februarii 1767. Sammlung spezieller Disciplinar- und Pastoral-Vorschriften für die Lavanter Diöcese.

nomen cooperatoris ad Ordinarium deferatur. Parochum admoneat Decanus eodem modo bina vice; tertia vice nomen ad Episcopum deferat. Decani, qui minus vigiles sunt, imo qui in tali transgressione deprehenduntur, munere suo decanali indigni declarabuntur.¹

4. Praeterea evitent clerici ludos ad aleas et taxillos² et generatim ludos, quorum eventus magis a fortuna quam ab industria pendent, nec huiusmodi lusibus intersint. Delinquentes poena excommunicationis plectuntur,³ nec se tueri possunt praetextu consuetudinis.⁴

Severiore adhuc censuram incurreret sacerdos, si immemor salutaris exempli, quo fidelibus praelucere tenetur, non dedignetur in nuptiis aut in publicis tabernis aut quavis alia occasione saltare. Talem agendi rationem pro sacerdote inhonestam, indecentem ac sub certo respectu periculosam esse, patet ex rei natura. Ideo s. mater ecclesia clericis in sacris constitutis choreas per plura decreta prohibuit,⁵ atque haec decreta in sacrosancta Synodo Tridentina⁶ renovans luxum, comessationes, aleas, lusus et choreas interdicat clericis sub poenis veterum canonum, vel etiam maioribus arbitrio Ordinarii imponendis, ita ut appellatio executionem decreti episcopalis non suspendat. Hinc sequentia observanda statuimus:

Quam primum a sacerdote quodam, cuiuscunque ille sit dignitatis, compertum fuerit, eum sive in tabernis sive quacunque occasione saltasse, illico a Decano citetur, qui eum semel peremptorie admoneat cum comminatione, secunda vice eius nomen ad Ordinarium deferendum fore.⁷

¹ Decretum Episcopi Lavant. ad s. Andream de die 5. Februarii 1858. Nr. 272. Sammlung, ut supra. — ² c. 15. X. III. 1. — ³ c. 1. D. 35. — ⁴ c. 11. X. V. 31. — ⁵ in genere c. 3. D. 23. — c. 19. D. 34. — ⁶ Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. et sess. 24. cap. 12. de reform. — ⁷ Decretum Episcopi ad s. Andream de die 22. Ianuarii 1812. Sammlung, ut supra.

5. Quia nihil magis in contemptum status sacerdotalis vergit, quam labes avaritiae, clerici serio monentur, ut »amorem pecuniae, quasi materiam cunctorum criminum fugiant,«¹ et ut, rerum temporalium amore deposito, sicut clericos decet, soli Domino adhaereant. »Qui Dominum possidet, et cum propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest.«² Agant igitur clerici vitam modestam et frugalem iuxta illud s. Pauli: „*Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem*“ (I. Tim. 6, 8. 9); abstineant a negotiis saecularibus, maxime vero inhonestis,³ et semper memores sint, superflua bonorum ecclesiasticorum in pios usus esse eroganda.⁴

Sed e contra neve prodigant levi animo bona ab ecclesia percepta, quod s. Bernardus⁵ rapinam et sacrilegium vocat. »Non sunt illa nostra sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus.«⁶ »Admonet« quoque »sancta Synodus quoscunque ecclesiastica beneficia saecularia seu regularia obtinentes, ut hospitalitatis officium, a sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum proventus licebit, prompte benigneque exercere assuescant, memores eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere.«⁷

6. Verissimum quidem est, habitum non facere monachum,⁸ attamen haud minus verum, illum, qui posthabita veste statui clericali et conditioni congruente laicorum morem in vestitu sectetur, ad minimum semet reddere suspectum, quod abiecto habitu clericali sensum quoque clericalem deposuerit atque induerit sensum terrenum et profanum, quae suspicio absque gravi scan-

¹ c. 3. D. 23. — ² c. 5. C. 12. q. 1. — ³ c. 15. et 16. X. III. 1. — ⁴ c. 8. C. 12. q. 1. — ⁵ Ep. 2 et 42. — ⁶ c. 3. C. 23. q. 7. — ⁷ Concil. Trid. sess. 25. cap. 8. de reform. — ⁸ c. 13. X. III. 31.

dalo vix esse possit. Quam suspicionem haud parvi pendendam clericus omni quo potest meliori modo effugere tenetur monente divo Paulo apostolo: „*In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.*“ (Tit. 2, 7).

Huicce adhortationi conformiter summi Pontifices¹ diversaue concilia² ediderunt opportuno tempore saluberrima decreta de vestitu clericali in ecclesia et extra illam deferendo. His iuris dispositionibus et consuetudini fere universali inhaerentes mandamus, ut clerici vestem talarem i. e. vestem oblongam et ad talos usque se extendentem deferant in obeundis sacris functionibus ac praesertim in celebranda sacra Missa; extra ecclesiasticas functiones aliis quoque vestibus uti licet, sed decentibus, modestis et nigri vel saltem obscuri coloris. Gestent insuper coronam in vertice conspicuam et collare.

Quae intuitu vestitus clericalis iure communi ad amussim non sunt definita, Concilium Tridentinum³ episcopis determinanda reliquit; ex quo sequitur, unumquemque adstringi ad ea, quae lege dioecesana praecipiuntur. Qua ex causa in Nostra dioecesi Lavantina permulta decreta edita sunt circa habitum clericalem, iterum iterumque promulgata. Ita publicatum est die 15. Maii 1805 decretum de vestitu clericali, quod de super hoc statuit:

Ut omnes illae functiones ecclesiasticae, quae iuxta rubricas in superpelliceo fieri debent, exceptis solummodo provisionibus infirmorum in parochiis, in quibus sunt alti montes et viae lutosae, in veste talari peragantur. Quapropter quilibet sacerdos propriam habeat vestem talarem, si ecclesia tali caret.

¹ Sixtus V. in constitutione „Cum sacrosanctum“ de die 9. Ianuarii 1589 et in constitutione „Pastoralis“ de die 31. Ianuarii 1589, Benedictus XIII. in constitutione „Catholicae ecclesiae“ de die 2. Maii 1725. — Fr. Santi, Praelectiones iuris canonici. Sumptibus et typis Friderici Pustet. Ratisbonae, 1886. Lib. III. pag. 14 sq. — ² c. 8. D. 41. — c. 15. X. III. 1. — c. 2. Clem. III. 1. — ³ Sess. 14. cap. 6. de reform.

Ut omnes honestas statui sacerdotali convenientes vestes, prout etiam tonsuram et collare deferant, et vestitum penitus laicalem, honori et dignitati sacerdotali indecentem, deponant et devitent.¹

Item anno 1852 respectu vestitus clericalis determinatum est, ut sit vestis superior longior, genua tegens, saltem obscuri coloris; femoralia vero et colobia, ad collum usque clausa, ut non sint nisi nigri coloris. Insuper ut clerici semper deferant collare et tonsuram, et ut pro ornatu sollemni inserviat vestis talaris cum mantelleta.²

Porro summo perevitandus est usus cuiuscunque indumenti ad peculiarem formam compositi, quatenus ex eo vel variae laicorum sodalitates dignoscuntur, vel profanae certi generis intentiones et factionum studia manifestantur. Cum vero haec omnia saluberrime decreta aliqui sacerdotes hisce infaustis temporibus, ubi morum gravitas eo maior desideratur in clericis, quo maior invaluit morum licentia in permultis laicis, nonnunquam negligant, clerus dioecesanus in Domino paterne monetur et obsecratur eique in virtute sanctae obedientiae imponitur, ut in vestitu evitet tam nimiae elegantiae quam sordium et negligentiae suspicionem et omnia illa, quae hac de re salubriter sancita atque statuta sunt, fideliter observet ac sua sponte et libenter, nulla exspectata coactione aut comminatione poenarum a Concilio Tridentino in immorigeros latarum, praestet, quod praestare tenetur.³

Nulli sacerdoti licet uti ficta caesarie vel comis adscititiis seu fictitiis (vulgo perucca). Super hac prohibitione gestandi comam fictitiam ad commoditatem et non ad luxum extra Missae celebrationem dispensat Episcopus.⁴

¹ Sammlung spezieller Disciplinar- und Pastoral-Vorschriften für die Lav. Dioecese. pag. 1 sq.

² Conferenz-Schlussprotokoll Nr. 6. pag. 10. n. 6.

³ Acta et statuta synodi dioecesanae Lavantinae anno 1883 celebratae. pag. 78.

⁴ Argumento c. 7. X. III. 1., in quo coërcitio clericorum nutrientium comam Ordinario tribuitur.

Facultatem autem gestandi comam fictitiam concedit sacerdoti celebranti vel ministro assistenti romanus Pontifex¹ vel nomine ipsius Nuntius apostolicus.

Quibus veluti cumulum addimus sanctionem Concilii Tridentini: »Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant; tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes ecclesiasticae personae quantumcunque exemptae, quae aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si postea, quam ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et iuxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio, et beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum huiusmodi coërceri possint et debeant, constitutionem Clementis V. in concilio Viennensi editam, quae incipit »Quoniam«, innovando et ampliando.«²

7. Omnibus animarum pastoribus incumbit cura suis fidelibus invigilandi. „*Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple.*“ (II. Tim. 4, 5). Clericus enim, publice deputatus ad ministerium sacrum, vocationi suae non satisfaceret, nisi

¹ Argumento c. 57. de consecr. D. 1. — S. rituum Congregatio die 31. Januarii et 24. Aprilis 1626. — Dr. Simon Aichner, Compendium iuris ecclesiastici ad usum cleri. Editio 8. Brixinae. Typis et sumptibus Wegerianis. 1895. pag. 254. n. 4.

² Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. de reform.

diligenter ministerio fungeretur. Certissimum sane est, non admitti pastoris excusationem, si lupo oves comedit, et pastor nescit; sanguis eorum requiretur de manu pastoris a supremo iudice.¹ Hinc omni meliori modo prospiciant animarum curatores salutis gregis sibi concrediti et servant cum parochianis bonum pacis, memores: Episcopo ex iuris dispositione² et ex praxi sacrae Congregationis Concilii Tridentini competere facultatem de uno loco ad alium transferendi personas, vel quia minus idoneae sunt ad praestanda munera beneficii, vel ob scandalum in populo causatum, vel propter inimicitias capitales.³

»Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum praeceptorum memores factique forma gregis in iudicio et veritate pascant et regant.«⁴ His praeceptis sanctae Synodi Tridentinae obsecundantes, obsecramus charissimos in Domino pastores animarum, ut ministerium suum impleant et »in officiis ecclesiasticis, et aliis bonis studiis se exerceant diligenter.«⁵

¹ Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. de reform.

² Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut, quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere. (c. 5. X. III. 19). — Plurimorum utilitas unius utilitati praeferenda est atque pro bono pacis relaxanda sunt iuris praecepta. (c. 35. C. 7. q. 1).

³ Archiv für katholisches Kirchenrecht. 77. Band. (3. Folge 1. Band.) I. Quartal-Heft. Mainz, Verlag von Franz Kirchheim. 1897. pag. 124—130. — Dr. Simon Aichner, op. cit. pag. 303 et 774.

⁴ Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform. — ⁵ c. 15. X. III. 1.

Innovantes, quae per antiquos canones¹ et praesertim a Concilio Tridentino² sancita sunt de residentia clericorum, monemus ac mandamus, ut ea ab omnibus, quos attingunt, religiosissime observentur. Cooperatoribus, inscio et invito parochi, nunquam licet peregrinari. Si cooperatores vel parochi diebus dominicis vel festivis in parochia sua non adsunt, curam gerant, ne officia divina hanc ob causam detrimentum aliquod patiantur. Si vero animarum pastores per octo dies peregrinari volunt, a Decano, si autem per plures dies per officium decanale ab Ordinario petant necessariam licentiam³, quae non ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa concedetur, prius cognita et approbata causa et vicario, ab Ordinario approbando, cum debita mercedis assignatione constituto.⁴

8. Omni ardore commendamus insuper sacerdotibus charitatem in unitate. Unanimes enim et fraternitatis amatores sibi invicem erunt in adversis solatio, in arduis praesidio, fidelibusque bonum charitatis exemplum praebeunt.⁵ Infirmiores in fide et pietate relevent et sustineant, afflictos consolentur, delinquentes blande ac suaviter admoneant.⁶ Nimiam familiaritatem cum laicis ususque mundanos inter se vitantes, se mutuo et reve-reantur et honore praeveniant et charitate diligant,⁷ fugientes colloquia detractoria tum inter se tum maxime coram laicis. „*In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*“ (Ioan. 13, 35). „*Charitas patiens est, benigna est. Charitas non aemulatur,*

¹ c. 20 sq. C. 7. q. 1. — tot. tit. X. III. 4. et III. 3. in VI.

² Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. de reform et sess. 23. cap. 1. de reform.

³ Decretum Episc. de die 15. Decembris 1847 Nr. 2412/8.

⁴ Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.

⁵ Decreta concilii prov. Tolosan. 1850. Tit. IV. cap. 4. n. 131. — Coll. Lac. T. IV. col. 1069.

⁶ Decreta concilii prov. Senonensis 1850. Tit. IV. cap. 4. — Coll. Lac. T. IV. col. 95.

⁷ Decreta concilii prov. Burdigalensis 1859. Tit. III. cap. 6. — Coll. Lac. T. IV. col. 762.

non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum.“
(I. Cor. 13, 4).

Quoniam »deceat maximopere, ut qui mensae coelestis dulces simul capiunt cibos et in domo Domini cum consensu ambulant, eiusdem tecti habeant consortium et refectionis corporalis communionem«, ¹ commendatur et praecepitur parochis eorumque adiutoribus mensa communis. ² Parochi dent cooperatoribus victum statui clericali convenientem, ³ et servant quoad horam prandii et coenae rectum ordinem, ut cooperatores non habeant ullum praetextum, sese a mensa communi cum parochio suo separandi. Cooperatores vero meridie et vespere ad mensam communem statuto tempore compareant, sub nullo praetextu motu proprio a mensa vespertina sive coena se retrahant, eo minus abscedant a mensa parochiali in genere, et ne quid petant ultra aequitatem quoad mensam sibi competentem. Quod si putaverint, se habere sufficientes rationes a mensa parochiali recedendi, pandant id Ordinario et acquiescant ipsius sententiae. ⁴

Monentur insuper clerici, ut exitus tempore vespertino omnino devitent, exceptis necessitatum casibus ad implenda muneris sui officia. Sacerdos enim seris vespers extra domum propriam longas trahens moras suae salutis et bonae famae male prospicit, amittit pedetentim orandi studendique amorem, perdit tempus ac pecuniam, fidelibus facile scandalum parit multisque aliis officiis deest. ⁵

¹ Concilium provinciale Pragense. Tit. IV. cap. 8. pag. 238.

² Cooperarii cum parochis habitare et victum competentem cum iisdem sumere iubentur. Concil. prov. Salisburg. 1569 in Aichner op. cit. pag. 447. n. 15. — Conferenz-Schluss-Protokoll Nr. XXVIII. de die 27 Decembris 1875. pag. 4. — Acta et statuta synodi dioecesis Lavantinae 1883. pag. 65. 81.

³ Conferenz-Schluss-Protokoll Nr. XXVIII. de die 27. Decembris 1875. pag. 4 sq.

⁴ Conferenz-Schluss-Protokoll Nr. XXVIII. de die 27. Decembris 1875. pag. 4.

⁵ Conferenz-Schluss-Protokoll Nr. XXVIII. de die 27. Decembris 1875. pag. 4. 6—11.

Inprimis cum Episcopo, cui subsunt sicut membra capiti, coniuncti sint clerici triplici vinculo reverentiae, obedientiae et dilectionis. Obedientiae et reverentiae, quas sacratissimo die ordinationis vel etiam serius in ingressu beneficii sui professi sunt, memores: litteras, citationes et mandata episcopalia, ea qua par est reverentia filialique obsequio suscipiant atque exequantur; in dubiis difficilioribusque casibus ab Episcopo regulam agendi requirant; nec ullus ab hoc officio se exemptum putet; eo enim magis decet quemque Episcopo adhaerere et obedire, quo in sublimiori loco et gradu sit constitutus. Abstineant proinde clerici quilibet ab omni censoria reprehensione in disciplinam seu praescripta Ordinarii, et meditentur haec Gregorii XVI. verba: »Nefas esset atque ab eo venerationis studio prorsus alienum, quo ecclesiae leges sunt excipiendae, sancitam ab ipsa disciplinam, qua et sacrorum procuratio et morum norma et iurium ecclesiae ministrorumque eius ratio continentur, vesana opinandi libidine improbari, vel ut certis iuris naturae principiis infestam notari, vel mancam dici atque imperfectam.« ¹

Cum omni ergo benignitate singulis clericis obedientiam et reverentiam Episcopo in ordinatione vel etiam serius promissam in memoriam revocamus. Memores huius obedientiae, cooperatores absque gravi et iusta causa stationes assignatas non recusent suscipere, confidentes, illos ex corde obedientes in stationibus a superioribus assignatis fructuosius salutem propriam et fidelium procuraturos esse, quam in alia ipsis exoptata statione. „*Melior est enim obedientia, quam victimae.*“ (I. Regg. 15, 22).

Si unquam, certo certius nostris turbulentis temporibus clero, tot odiis et insectationibus obnoxio, non est alia salus, quam ista omnium inter se et inprimis

¹ Decreta concilii prov. Burdigal. 1850. Tit. III. cap. 12. n. 6. — Coll. Lac. T. IV. col. 589.

cum Episcopo intima coniunctio iuxta haec sacrae Scripturae verba: „*Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.*“ (Prov. 18, 19).

In memoriam denique revocamus praedilecto clero monitum Patrum sacrosancti Concilii Tridentini: »Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Quum enim a rebus saeculi in altiore sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex eisque sumunt, quod imitentur. Quapropter, sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.«¹

De caetero fratres, quaecunque sunt vera, quaecunque pudica, quaecunque iusta, quaecunque sancta, quaecunque amabilia, quaecunque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate. (Philipp. 4, 8).



Caput XIV.

De colendo studio sacrae scientiae.



um persuasissimum Nobis sit, studium sacrae scientiae sacerdotibus esse necessarium ad propriam salutem iuxta illud prophetae: „*Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*“ (Osee 4, 6); cum porro perspectum habeamus, salutem fidelium detrimentum capere e defectu scientiae sacerdotum, docente sacra Scriptura: „*Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius*“ (Mal. 2, 7); cum

¹ Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. de reform.

demum cleri commissi excolendi cura inter primaria Episcopi officia reputetur, monente Papa Leone XIII. episcopos Austriae: „*Item cleri instituendi excolendique cura, qua nulla Episcopo maior neque uberior, suum in consultationibus (episcopalibus) locum habebit*“¹, propterea quoad cultum sacrae scientiae pro clero Nobis commisso sequentia in plena hac Synodo decernere statuimus:

Vi sacrae obedientiae praecipimus sacerdotibus dioecesis Nostrae omnibus et singulis, quibus committitur quotannis elaboratio propositionum theologicarum in actis Nostris officialibus statuto tempore publicandarum, ut quaestiones propositas religiose et diligenter exarent, consulendo auctores probatos, non eos spoliando, easque compositas infra tempus statutum ad Decanum transmittant.²

Sacerdotes Nostros obsecramus et monemus ipsisque iniungimus, ut quotidie in scientia theologica in seminario comparata progrediantur. Sit sacerdoti cuicumque regula indeclinabilis: Nulla dies sine studio. „*Plane quidem intelligis, quod saepe Nos et non sine causa diximus, summa esse contentione et assiduitate enitendum, ut clericorum ordo quotidie magis doctrinarum cognitione floreat. Cuius necessitatem rei maiorem efficit natura temporum: propterea quod in tanto ingeniorum cursu tamque inflammato studio discendi, nequaquam posset clerus in muneribus officiisque suis cum ea, qua par est, dignitate atque utilitate versari, si quae ingenii laudes tanto opere expetuntur a caeteris, eas ipse neglexerit*“.³

Praecipue autem commendamus:

1. *Studium theologiae dogmaticae, moralis et pastoralis pro concionibus et institutione catechetica parvulorum;*

¹ Litt. de die 3. Martii 1891. Cfr. Kirchl. Verordnungsbl. für die Diöcese Lavant. 1891. Nr. 552. p. 2.

² Acta et statuta synodi dioec. Lav. 1883. pag. 59.

³ Litterae apost. P. Leonis XIII. ad cardinalem Parocchi d. d. 20. Maii 1885. Kirchl. Verordnungsbl. 1885. Nr. 2435. IV. p. 2.

ne audeat sacerdos sine praeparatione vel praedicatoris vel catechetae munere fungi. S. Concilium Tridentinum sacerdotibus praescribit non tantum quae, sed etiam quomodo praedicent: „*docendo*“, inquit, „*quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat; ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant.*“¹

Confessionibus quoque excipiendis sacerdotes continuo studio se praeparent, considerantes, esse sententiam communem: »Confessarius, qui ex ignorantia graviter culpabili consilium dat nocivum, tenetur ad reparandum damnum inde secutum.«²

2. *Studium philosophiae christianae.*

„*Quoniam apostolo monente per philosophiam et inanem fallaciam (Coloss. 2, 8) christifidelium mentes decipi solent, et fidei sinceritas in hominibus corrumpi, idcirco supremi ecclesiae Pastores muneris sui perpetuo esse duxerunt, etiam veri nominis scientiam totis viribus provehere, simulque singulari vigilantia providere, ut ad fidei catholicae normam ubique traderentur humanae disciplinae omnes, praesertim vero philosophia, a qua nimirum magna ex parte pendet caeterarum scientiarum recta ratio . . . Vos omnes Venerabiles Fratres quam enixe hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream s. Thomae sapientiam restituatis et quam latissime propagetis.*“³

Huic sanctissimi Patris desiderio obsecundantes curavimus, ut amplificetur studium philosophiae christianae, quae in seminario Nostro clericali iam dudum traditur; ab ineunte enim anno scholari 1897/98 erigetur cathedra

¹ Sess. V. cap. 2 de reform. Cfr. quoque instructionem de s. praedicatione a s. Congreg. episc. et regul. iussu P. P. Leonis XIII. emanata 1895.

² Cfr. s. Alphonsi lib. 4. num. 564.

³ Encycl. Leonis P. XIII. „Aeterni Patris Unigenitus“ de philosophia christiana d. d. 4. Aug. 1879. Kirch. Verordnungsbl. 1879. Nr. 2823. V. pag. 2 et 11.

propria pro hac disciplina in seminario clericorum dioecese-
sano.¹ Privatum studium philosophiae christianae com-

¹ Princ. episc. Ordinarius caes. reg. Ministerio pro cultu et instructione supplicavit, ut in Instituto studiorum theologicorum dioeceseano fundetur cathedra philosophiae christianae, per litteras de die 21. Augusti 1895 Nr. 2550, quae sunt huius tenoris:

„Die theologische Diöcesan-Lehranstalt in Marburg erhielt bei ihrer Gründung mit Beginn des Schuljahres 1859/60 in Uebereinstimmung mit der hohen Ministerial-Verordnung ddo. 29. März 1858 R.-G.-B. Nr. 50 sieben ordentliche Lehrkanzeln, von denen jedoch im Sinne des hohen Ministerial-Erlasses ddo. 2. November 1859 Z. 16025 nur sechs als systemisiert anzuerkennen sind, nämlich: jene für das Bibelstudium des alten Bundes, für das Bibelstudium des neuen Bundes, für die Dogmatik, für die Moralthologie, für die Kirchengeschichte und das Kirchenrecht und für die Pastoraltheologie.

Hat diese Einschränkung schon im Allgemeinen viel Missliches an sich, so musste dies noch umsomehr seit der Neuorganisierung der Mittelschulen empfunden werden, insoferne die Philosophie, deren Absolvierung zuvor jedem Candidaten der Theologie zur Voraussetzung diente, nunmehr im Rahmen des Gymnasialstudiums auf die formelle Logik und empirische Psychologie reducirt erscheint.

Um dem Mangel philosophischer Vorbildung, der ohne Zweifel auch in anderweitigen Berufsstudien zu Tage trat, in der Theologie einigermaßen abzu-
helfen, mussten die Fachlehrer für Dogmatik und Moral ab und zu Bruchstücke aus der Metaphysik und Ethik einzufügen suchen; andere, nicht minder wichtige Theile der Philosophie, wie die Noetik, Ontologie etc. blieben jedoch ganz bei Seite, und es fehlte eine systematische Behandlung der Philosophie als Ganzen, welche jedem wissenschaftlichen Streben doch erst die nöthige, vertiefende Grundlage geben soll.

Unser glorreich regierender Hl. Vater Papst Leo XIII. hat es den Ordinarien mit der Encyclica vom 4. August 1879 in sehr nachdrücklicher Weise ans Herz gelegt, dafür zu sorgen, dass der theologische Studienplan durch Angliederung der Philosophie vervollständigt werde.

Diesem Rufe der gottgesetzten Auctorität sowohl, als der sachlichen Nothwendigkeit folgend, hat sich der hochselige Fürstbischof Dr. Jakob Maximilian Stepischnegg verpflichtet gesehen, bereits mit Beginn des Schuljahres 1883/4 an der theologischen Diöcesan-Lehranstalt in Marburg einen Docenten für die christliche Philosophie zu bestellen, wofür das hohe k. k. Ministerium für Cultus und Unterricht mit Erlass ddo. 30. August 1894 Z. 8708 in hochherziger Weise eine Jahresremuneration von 200 fl. bewilliget hat.

Diese precäre Stellung der Philosophie kann jedoch der Zeitforderung nicht genügen und erscheint für die Dauer unhaltbar.

Soll es dem Bischöfe möglich sein, für diese so wichtige Disciplin eine geeignete Lehrkraft zu gewinnen, so muss die Philosophie als ordentlicher Lehrgegenstand dem theologischen Studium angegliedert und hiefür eine ordentliche Lehrkanzel mit dem gleichen Gehalte der übrigen Theologie-Professoren an der Diöcesan-Lehranstalt systemisiert werden.

Wenn Universitäten solcher Lehrkanzeln sich bereits in vollem Masse erfreuen, so kommt dies bisher den wenigsten theologischen Diöcesan-Lehranstalten zu Gute. Im fraglichen Punkte könnte dem Bedürfnisse der Diöcesan-Seminarien wenigstens theilweise in der Art entsprochen werden, dass die

mendamus omnibus sacerdotibus, praesertim eis, quibus concredita est cura animarum, doctrina falsa et philosophia inani imbutarum.

3. *Studium sacrae Scripturae.*

Sacra Scriptura est cum Traditione divinae revelationis fons: qui ergo divinam revelationem docet et explicat, ad sacram Scripturam accedat necesse est. „*Per exempla Christi Domini et apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, quanti faciendae sint divinae litterae, et quo ipsi studio, qua religione ad eadem veluti ad armentarium accedere debeant. Nam catholicae veritatis doctrinam qui habeant apud doctos vel indoctos tractandam, nulla uspiam de Deo summo et perfectissimo bono deque operibus gloriam charitatemque ipsius prodentibus, suppetet eis vel cumulator copia vel amplior praedicatio. De Salvatore autem humani generis nihil uberius expressiusve quam ea, quae in universo habentur*

Philosophie und die Fundamental-Theologie, welche Disciplinen so viele Berührungspunkte mit einander haben, zu einer Lehrkanzel vereinigt würden, während die specielle Dogmatik für sich als eigene Lehrkanzel fortbestehen bliebe. In diesem Sinne sind bereits von Männern der Wissenschaft Anträge unterbreitet und vom Episcopate warm befürwortet worden.

Das ergebenst unterzeichnete Ordinariat stellt daher mit vollem Vertrauen die Bitte: Ein hohes k. k. Ministerium für Cultus und Unterricht geruhe an der theologischen Diöcesan-Lehranstalt in Marburg zu den sechs systemisierten Lehrkanzeln noch eine siebente ordentliche Lehrkanzel für die Fundamental-Theologie und Philosophie neu zu errichten und zu dotieren.“

Ad praecitas litteras supplices a Locumtenente Graecii die 5. Augusti 1896 Nr. 22290 haec rescripta sunt:

„Laut des Erlasses vom 17. Juli 1896 Z. 11187 hat das k. k. Ministerium für Cultus und Unterricht auf Grund Allerhöchster Ermächtigung Seiner k. u. k. Apostolischen Majestät für die röm.-kath. theologische Diöcesan-Lehranstalt in Marburg die Systemisierung einer neuen, siebenten Lehrkanzel für Fundamental-Theologie und Philosophie mit Beginn des Studienjahres 1897/8 zu genehmigen gefunden.

Demgemäss wurden von Seite des genannten k. k. Ministeriums in das Präliminar pro 1897 eingestellt: an Remuneration für die Vorträge über thomistische Philosophie für drei Quartale des Jahres 1897 150 fl. und an Bezügen der neuen Lehrkanzel der auf das 4. Quartal des Jahres 1897 entfallende Betrag von 300 fl.

Hievon wird dem hochwürdigen fürstbischöflichen Ordinariate mit Bezugnahme auf die geschätzte Zuschrift vom 8. April 1896 Z. 673 die Mittheilung gemacht“.

Biblicorum contextu; recteque affirmavit Hieronymus: ignorantiam scripturarum esse ignorantiam Christi“.¹ Et in instructione supra memorata de praedicatione verbi divini legimus: „*En igitur sacrae eloquentiae potissimus fons: sacra Biblia*“.

Sacerdos qua custos sacrae doctrinae, sit quoque defensor sacrae Scripturae, in quam impie vehuntur plurimi aperte et fallaciter. „*Optamus nimirum et cupimus, ut plures patrocini divinarum litterarum suscipiant teneantque constanter; utque illi potissimum, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impendant*“.²

Hoc desiderium summi Pontificis implentes sacerdotes Lavantini quotidie unum caput e sacris litteris legant meditando consulendoque probatos commentatores. »*Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad corripiendum, erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*«. (II. Tim. 3, 16. 17).

4. *Studium sacrorum canonum.*

Quivis officia et iura sui status noverit oportet, et non dari ignorantiam invincibilem quoad officia muneris suscepti, omnes doctores docent. Unde autem novit sacerdos sui muneris iura et officia? Ex iure canonico. Propterea studium sacrorum canonum gravissime inculcamus, in memoriam vocando *canonem 1. D. 38*: „*Sciant . . . sacerdotes Scripturas sacras et canones*“. et *canonem 4. D. 38*: „*Nulli sacerdotum liceat canones ignorare*“.

5. *Studium sacrorum rituum.*

Neminem latet, quantum ad aedificationem fidelium et excitandam eorum pietatem, ad conciliandam Sacris reverentiam conducant externi sacri ritus et cultus pub-

¹ Encycl. P. Leonis XIII. „Providentissimus Deus“ de studiis sacr. Scripturarum de die 18. Nov. 1893. Kirchl. Verordnungsbl. 1893 Nr. 3445. VII. pag. 2. — ² Encycl. de stud. sacr. Script. I. c. pag. 2.

lici, si exacte et ad certas regulas observentur. Qua de causa editionem novam Ritualis dioecesanī procuravimus eiusque usum sub obedientia canonica praecepimus¹. Enixe etiam desideramus, ut quilibet sacerdos Lavantinus quotannis perlegat rubricas Missalis romani.

6. *Studium historiae ecclesiasticae et patrologiae.*

Omnes catholici fere quotidie experiuntur, inimicorum ecclesiae conatus multa cum vi et calliditate in historiam christiani nominis esse conversos. Plurimi historiographi non historiam scribunt, sed historiam faciunt, cum scienter fallant; et fere innumerabilia circumferuntur sic dicta mendacia historica quoad ecclesiam eiusque institutiones. Idcirco impense desiderat P. Leo XIII., „*ut quam plurimi excitarentur veri investigandi cupiditate et inde utilia ad recordationem documenta caperent.*“²

Sanctissimus Pater etiam studium patrologiae commendavit in epistola supra citata ad cardinalem Parocchi.

Valde quoque commendamus lectionem foliorum periodicorum, quae scientifice tractant doctrinam sacram, quorum numerus Deo favente in dies crescit.

Parati igitur estote semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quae in vobis est, spe. (I. Petr. 3, 15).



Caput XV.

De spiritualibus exercitiis clericorum.

Sacerdotis dignitate, qui vi sacramenti divinitus instituti eo caractere eaque potestate insignitur, quae omnem angelicam eminentiam superat, certe nihil est praecellentius. Ipse enim sacrosanctum et im-

¹ Epist. Leon. XIII. „Saepenumero“ de die 18. August. 1883 de studiis historicis. — Kirchl. Verordnungsbl. 1896. Nr. 1709. IV. pag. 8.

² Epist. ss. D. n. Leonis P. XIII. ad S. R. E. cardinales Ant. de Luca, Ioan. B. Pietra et Ios. Hergenröther de die 18. Aug. 1883. — Kirchl. Verordnungsbl. an. 1883. Nr. 5583. VII. pag. 5.

maculatum Deo offert sacrificium, propriam habet atque exercet potestatem: homines per baptismum Christo inserendi, peccata remittendi, evangelium praedicandi et mysteria Dei dispensandi.

Restat ergo, ut, quia in tam alto gradu positus est, etiam in sublimi virtutum culmine sit evectus. Decet igitur sacerdotem ex ipso suo officio maior virtutum abundantia et perfectio, »ut sit devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior, in cibo et potu parrior, in duris patientior, in risu rarior, in conversatione suavior, in vultu, gestu et habitu gravior, in verbis moderatior, in lacrimis fusior, in charitate ferventior«¹; *ut sit exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate, . . . ut is, qui ex adverso est . . . nihil habeat malum dicere* de illo (Tit. 2, 7. 8), sit coram fidelibus *lucerna ardens et lucens* (Ioan. 5, 35), *ut videant opera eius bona et glorificent patrem, qui in coelis est.* (Matth. 5, 16).

»Si autem, dum carnis fragilitate austerior observantia relaxatur, dumque per varias actiones vitae huius sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere«², non est qui dubitet, quin sacerdos in tam alto et sublimi gradu virtutum firmus stare atque vitae sanctitatem illibatam conservare possit, mediis utatur hunc in finem conducentibus.

Nihil autem magis ad animum sacerdotis restaurandum, confortandum, reficiendum et sanctificandum conducit, quam reverti certis vicibus ad piam mentis solitudinem, in qua admissa damna resarciuntur et zelus sacerdotalis de novo accenditur. Ea profecto fuit et est omnium piorum virorum sententia, quod in sacra solitudine Deus ad cor hominis propius loquitur, sancta consilia et proposita manifestius et firmitus suggerit, maiorem cordis sui cognitionem donat atque coelestium

¹ Petrus Blossius de instit. Episc. — ² S. Leonis I. sermo 4. de quadragesim. ordine.

gratiarum largiorem fontem aperit. *Ducam eam* (animam) *in solitudinem et loquar ad cor eius.* (Osee 2, 14). Haec erat etiam Salvatoris nostri ad informandos ac confortandos discipulos suos pia exercitatio, qui eos a praedicatione evangelii revertentes in solitudinem duxit, dicens: *Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum.* (Marc. 6, 31). Et ipse Redemptor noster secessit in montem ibique oravit *solus* (Matth. 14, 23), ut nos suo sanctissimo exemplo erudiret: laboribus pastoralibus et curis quotidianae vitae succedere debere recollectionem animae, ne pulveres de squalore saeculi huius menti nostrae adhaerentes cor nostrum obruant.

Unde pia mater ecclesia, sollicita de sancta ministrorum suorum conversatione, nullo non tempore hoc insigne sanctificationis medium sacerdotibus suis quam impensissime commendabat. Inprimis P. Pius IX. felicitis recordationis suis apostolicis litteris »Qui pluribus« sacrorum exercitiorum causam praecipua laude prosequens, admonet episcopos: »Cum compertum sit, ad ecclesiastici ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam et conservandam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali zelo vestro tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere hortarique ne intermittatis, ut saepe in opportunum locum aliquem iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis sepositis ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes et contractas de mundano pulvere sordes detergere et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque *expoliantes veterem hominem cum actibus suis novum induant, qui creatus est in iustitia et sanctitate.*¹ Et rursum in suis apostolicis litteris de die 17. Martii 1856 Praesules austriacos ita alloquitur: »Quam vehementer ad ecclesiasticum spiritum tuendum et fovendum atque ad salutarem constantiam retinendam conferant exer-

¹ Pii IX. apost. litt. »Qui pluribus« de die 9. Novembr. 1846.

citia spiritualia, innumeris idcirco per romanos Pontifices, praedecessores Nostros, ditata indulgentiis, quisque vestrum optime noscit. Ea proinde cunctis ecclesiasticis viris vestris etiam atque etiam commendare et inculcare ne desinatis, quo ipsi certo dierum spatio in opportunum aliquem locum saepe secedant, ubi quavis humanarum rerum cura abiecta, omnia sua facta, dicta, cogitata coram Deo quam diligentissime reputantes et annos aeternos assidua meditatione habentes in mente, ac maxima beneficia sibi a Deo collata recolentes, studeant contractas de mundano pulvere sordes abluere et *resuscitare gratiam, quae ipsis data est per impositionem manuum*.¹«

Propter grave momentum exercitiorum spiritualium etiam norma eorum per s. Ignatium de Loyola redacta non potuit non disertam accipere summorum Pontificum approbationem. Iam Paulus, Papa huius nominis tertius, istam positiva approbatione sequentibus munivit: »Nos igitur, qui documenta et exercitia huiusmodi examinari fecimus et quae testimonio ac relatione dilecti filii Nostri Ioannis tit. s. Clementis Presbyteri Cardinalis . . . Nobis desuper facta, pietate ac sanctitate plena, ad aedificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus; debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius et ab ipso instituta Societas in ecclesia Dei ubique gentium producere non cessant; et ad maximum adiumentum, quod ad id praedicta exercitia attulerunt, non immerito habentes: huiusmodi supplicationibus inclinati exercitia praedicta et omnia et singula in eis contenta tenore praesentium ex certa scientia Nostra approbamus, collaudamus ac praesentis scripti patrocinio communimus, hortantes plurimum omnes et singulos . . . christifideles, ubilibet constitutos, ut iam piis exercitiis uti et illis instrui devote velint . . . mandantes et singulis locorum Ordinariis . . . quatenus ipsi . . . cuivis de Societate

¹ Pii IX. litt. encycl. ad Episc. austriac. de die 17. Mart. 1856.

praedicta vel aliis, quorum intererit, in praemissis spiritualibus exercitiis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate Nostra illos dicta concessione et approbatione pacifice frui et gaudere: non permittentes eos . . . molestari; contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo¹. Alexander vero, Papa huius nominis septimus, omnibus clericis et laicis, qui similibus sacris exercitiis uti et illis devote instrui velint, plenarias indulgentias concessit.²

Item concilia quaeque, ubique gentium celebrata, nimis honorificam sacrorum exercitiorum mentionem faciunt. Inter caetera patres concilii Auscitani, anno 1851 habiti, adnotant gravissime ac verissime: »Post saluberrimum seminariorum institutum, quod providente Domino in ordinis Levitici informationem decrevit ss. Tridentina Synodus, nihil certe clero utilius esse potest, quam recessus ecclesiastici annuales. Ambo haec optime cohaerent: quod prius format, posterius fovet, conservat aut collapsum instaurat. Providebit dein Episcopus, ut quotannis seminarii aedes presbyteris ex dioecesi convenientibus pateant, ut ibi per aliquot statos dies sacris vacent exercitiis in silentio et quiete. Imo et enixe hortamur in Domino presbyteros omnes, ut cessantibus negotiis quibuscunque annualis recessus fiant participes; dies tot curis et officiis oneratos coram Domino recogitent; si quid saecularis contagionis ipsis adhaeserit, hoc totum abluant, ut resuscitata gratia, quae ipsis data est, immaculatum deinceps ministerii sui donum custodiant. Cum autem non raro contingat, quod tempore praefixo quidam impediti fuerint, postea privatim, quo

¹ Pauli III. litt. apost. „Pastoralis officii cura“ de die 31. Iul. 1548. — Cfr. Exercitia spiritualia s. P. Ignatii de Loyola cum versione litterali ex autographo hispanico notis illustrata editio in Germania prima iuxta editionem romanam quartam recognitam et auctam recusa. Ratisbonae, 1855. pag. XVIII sqq.

² Alexandri VII. Breve apost. de die 12. Oct. 1657.

meliori poterunt modo, annuali recollectioni vacent, ne ullus labatur annus, de quo rationem non referant coram Domino, ante diem districti iudicii.«¹

Salutarem horum sacrorum exercitiorum fructum abunde docuit ac docet experientia in tot piorum virorum sanctificatione, qui eis usi viam perfectionis ingredi conati sunt vel in ista constanter perstiterunt. In sacris etenim exercitiis, quae pia cum animi recollectione instituuntur, excitatur et perficitur sacerdotalis vocationis sensus, reassumuntur sancta proposita, accedit accuratior sui ipsius cognitio atque exempli energica vis promanat in fratres, imo in ipsos quoque fideles, quae commoda spiritualia Clemens, Papa huius nominis undecimus, in compendio complectens asserit: »Cum diuturna experientia compertum sit, ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam magnopere conducere, ut ecclesiastici viri exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere contractum est, commode detergitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur vel confirmatur.«²

Inter documenta, quae P. Schneemann S. I. in opere »Acta et decreta ss. Concilii Vaticani« edidit, multa inveniuntur »schemata« a theologis et iuris ecclesiastici doctoribus concinnata ac Concilii Patribus ad approbationem proposita. Inter quae schemata nonum, agens »de vita et honestate clericorum«, de exercitiis spiritualibus haec habet: »Quoniam in medio corrupti saeculi facile evenit, ut de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescant, ad ecclesiastici vero ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam ac fovendam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducit, omni studio curent episcopi, ut clerici, praesertim parochi et confesarii sin-

¹ Conc. Auscit. (Auch, civitas in Gallia) tit. 4. cap. II.

² Clementis XI. litt. apost. de die 1. Febr. 1710.

gulis saltem trienniis vel quadrienniis certo dierum spatio in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis sepositis ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes ecclesiasticum spiritum renovare possint. « ¹

Postulatum episcoporum neapolitanorum poscit, ut clerici quotannis saltem exercitiis spiritualibus vacent et poenis afficiantur, qui sine iusta causa illis se subtrahant. » Quoties non ex sancita causa praefatis piis desunt exercitationibus poena afficiendi sunt, quae poena esset suspensio a divinis per quinque et decem dies. « ² Postulatum multorum Galliae episcoporum sic sonat: » Omnes ubique episcopi curare debeant, ut exercitia spiritualia quotannis per aliquot dies . . . habeantur; idque quantum fieri potuerit communiter sive in seminarii maioris aedibus sive in quovis alio loco, qui ad hunc finem aptior videbitur. « ³

Episcopi Germaniae desiderant hoc: » Quia omne verum et sincerum reformandi studium a semetipso informando incipit, ante omnia alia petimus, ut s. Synodus tam episcopis quam omnibus clericis ea, quae ad vitam sanctae suae vocationi congruam et ad muneris sui officia gravissima fideliter implenda spectant, serio inculcet, in specie ut episcopis et sacerdotibus exercitiorum spiritualium usus singulis vel binis annis repetendus . . . praescribatur. « ⁴

Nuperrime demum sanctissimus Dominus noster Leo XIII. excellentiam et efficaciam exercitiorum spiritualium collaudans, ait: » Sacerdotes quotannis per aliquot dies spiritualibus exercitiis vacent: quo adiumento, si rite adhibeatur, nullum fortasse est aliud utilius ad spiritum in clero resuscitandum et roborandum. Id autem, quo melius exequi possint, episcopi quolibet anno sa-

¹ Op. cit. pag. 659. — ² Op. cit. pag. 810. — ³ Op. cit. pag. 834. — ⁴ Op. cit. pag. 873.

cerdotes omnes, et si videatur, etiam singulos exhortentur vel vocent in seminarium aliamve piam domum, ubi per aliquot dies spiritualibus commentationibus animum excolant et propriae salutis et sanctificationis grande negotium agant.«¹

Hisce omnibus mature perpensis mandamus atque in Domino admonemus omnes et singulos sacerdotes dioecesanos, ut in quantum per adiuncta licuerit, saltem omni triennio ad sacra exercitia communia in loco a Nobis destinato celebranda studiose ac pie confluant. Quodsi quis, hoc paternum mandatum spernens, per longius tempus a communibus exercitiis clericorum abfuerit, quod Deus avertat, hunc in Domino admonere et impellere volumus, imo ipsi sub poena suspensionis praecipiemus, ne exercitiis spiritualibus se subtrahat.

Si autem ob infirmam valetudinem aut sat protractam aetatem aut aliam gravem causam interesse eis quis prohibitus fuerit, attamen annualem recollectionem non omittat, sed sive domi sive in aliqua pia domo, ad id rite praestandum accomodata, per duos aut tres dies, rei de qua sermo quam industriosissime operam det, ita quidem ut desuper interroganti Episcopo aut eius Vicario de peracta recollectione rationem reddere possit.

Per exercitia spiritualia recte et pie peracta sacerdotes »spiritu mentis suae renovabuntur et induentur virtute ex alto, ad ea impensius perficienda, quae suarum partium sunt, pro divini Numinis gloria et spirituali proximorum utilitate et salute.«²

Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia

¹ Sacr. Congr. episc. et regul. ad regni Hung. Archiepisc. et Episc. caeterosque Ordinarios. — Kirchl. Verord. Blatt für die Lav. Dioec. 1896 Nr. VIII. punct. 3. pag. 6.

² Benedicti XIV. litt. apost. de die 3. dec. 1740.

utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. (I. Tim. 4, 7—9).

Caput XVI.

De collationibus sive de conferentiis pastoralibus cleri et de elaborationibus theologicis.

ollationes istae habent quamdam cum synodis analogiam, suntque eius quasi surrogatum et substitutum. Dicuntur etiam synodi partiales, utpote quae sunt coetus parochorum et aliorum animarum curae incumbentium clericorum, quae diriguntur a praeside ab Episcopo ad hoc munus delegato, plerumque Decano. Collationes legum condendarum ius non habent, sed congregantur ad deliberandum, quid hic et nunc ex mente legum agendum sit.

A. Huiusmodi coetus iam ab antiquis temporibus in ecclesia celebrabantur.

»Indubium est, theologiae moralis studium ad confessarii munus rite obeundum omnino requiri . . . Itaque ad profectum in theologia morali, ut par est obtinendum, maxime sane adiumentum ex eo dimanat, si ad explicandos conscientiae casus frequenter coetus habeantur. Illud pro certo asserimus, conventus eiusmodi iam pridem in hac dioecesi (Bononiensi) fieri consuevisse, frequenter instituendos fore, et maximam inde utilitatem derivari. Semel per mensem habebantur . . . Nunc vero in civitate huiusmodi coetus octies dumtaxat, rarius autem in dioecesi indicuntur . . . Nihil ex his immutandum volumus, sed praesentem rerum statum modo permittimus. Universos solum animarum curae praepositos, etiam regulares, cappellanos quoque et confessarios saeculares monemus, ut coetus eiusmodi frequentent sub poenis olim constitutis, quas impraesentiarum renovamus.« ¹

¹ Properi Card. Lamberti. Institutionum Synopsis. Instit. 32.

Die 22. Novembris anni 1731 idem Eminentissimus Prosper Cardinalis Lambertinus scripsit epistolam encyclicam archipresbyteris et parochis dioecesanis huius tenoris: Singulos archipresbyteros teneri indicare coetum, in quo morales quaestiones examinandae proponantur. Omnes autem parochos et confessarios ad eosdem coetus convenire debere.

»Archipresbyter eos nominabit, qui ad coetus non convenerunt, ut poenas arbitrio nostro decernamus et salutarem quoque medicinam adhibeamus. Nam confessarios pro facultate proroganda severiori examine excipiemus: parochos autem, si pervicaces fuerint, ad novum examen vocabimus . . . Iam vero huiusmodi coetibus interesse debent, primo parochi omnes sive saeculares sive regulares sint . . . Ita declaravit sacra Cong. Congr. die 3. Sept. 1650 . . . Disputatum fuit, an confessarii regulares eosdem coetus adire teneantur. Card. Columna ipsos ad conveniendum impulit . . . Caeterum ex iure communi id necessario ab ipsis praestandum affirmari nequit, licet in monasteriis Episcopi ditioni subiectis immorentur. Nonnulla regularium monasteria episcopis subiiciuntur eam ob causam, quod praescriptus ab Innocentio X. religiosorum numerus in illis non habeatur . . . Quare Episcopus Foro-Sempronensis die 12. Maii 1685 petiit a sacra Congregatione, an praedictos regulares cogere posset, ut congregationi casuum conscientiae interessent. Sacra Cong. respondit: Negative. — Idem petatum fuit ab Episcopo Asculano. Sacra Cong. die 12. Martii 1718 decretum in causa Foro-Sempronensi editum servandum esse respondit. Postremo, neque sacerdotes, qui confessarii munus non exercent, neque reliqui ex clero saeculari huiusmodi coetibus adesse tenentur: id tamen ipsis perutile erit, nec Episcopus omittere debet, ut eos ad conveniendum hortetur, quod hisce litteris intelligimus.«¹

¹ Prosperi Card. Lamberti. op. cit. Institut. 102. et 103.

Pius PP. IX. indulto 2. Maii 1851 Episcopo Leodiensi concessit, ut in locum synodi, ad mentem Concilii Tridentini annuatim habendae, decanorum congregatio substitui posset. In Brevi de die 5. Novembris 1855 Pius PP. IX. ad similes favores concedendos sese paratum declaravit, quoties Episcopi austriaci eos singillatim postularent.

Concilium romanum sub Benedicto PP. XIII. anno 1725 habitum conferentias semel quavis hebdomada haberi voluit. Quamvis vero in nostris regionibus hi coetus adeo frequenter haberi non possint, tamen ut saepius in anno celebrentur, a sacra Congregatione Concilii cunctis orbis catholici episcopis inculcari solet. In encyclica, die 17. Martii anni 1856 ad Episcopos Austriae data, Pius PP. IX. tum ad synodos tum ad collationes pastorales celebrandas exhortatur.

In dioecesi Lavantina collationes pastorales praeceptae sunt litteris circularibus de die 11. Aprilis 1847 Nr. 958/7. Protocollum finale de die 30. Novembris 1847 de iisdem feliciter absolutis refert. Protocollo finali de die 31. Decembris 1894 pag. 28—30 secuta est republiatio eorum, quae de collationibus pastoralibus seu decanalibus quotannis celebrandis statuta sunt.

Religiosos ordines quod attinet, iuvabit adhuc ea allegare, quae a sanctissimo Patre nostro Leone XIII. hac de quaestione constituta sunt: » » Quamobrem in praesenti etiam ecclesiae catholicae apud Britanos conditione declarare non dubitamus regulares, qui in residentiis missionum commorantur, exemptos esse ab Ordinarii iurisdictione, non secus ac regulares intra claustra viventes, praeterquam in casibus a iure nominatim expressis, et generatim in eis quae concernunt curam animarum et sacramentorum administrationem.

Praecipuam hanc, quam definivimus controversiam, altera excipiebat affinis, de obligatione, qua tenentur rectores missionum creditam habentes animarum curam, eorumque vicarii, aliique religiosi sodales, facultatibus

praediti, quae missionariis conceduntur, ut intersint iis cleri conventibus, quos collationes seu conferentias vocant, neque non synodis dioecesanis. Cuius quaestionis vis et ratio ut intelligatur, praestat memorare, quod in concilio Westmonasteriensi provinciali IV. praecipitur his verbis: »Si duo vel plures sint sacerdotes in eadem missione, unum tantum primum designandum, qui gerat curam animarum et administrationem ecclesiae . . caeteros omnes curam, quam habent animarum, cum dependentia a primo exercere.«

Comperta itaque natura facti, de quo agitur, et semota tantisper ea quaestionis parte, quae synodos respicit, ambigi nequit, quin rectores missionum adesse debeant eis cleri coetibus, qui collationes dicuntur . . . Aliter dicendum videtur de vicariis aliisque religiosis viris apostolica munia obeuntibus. His enim integrum quidem est de iure constituto a memoratis collationibus abstinere, prout alias fuit a sacra Congregatione Concilii declaratum. At nos minime praeterit, concilium romanum habitum anno 1725 auctoritate Benedicti XIII. iussisse confessarios omnes etiam ex ordinibus regularibus intra fines provinciae commorantes coetus illos celebrare, »dummodo morales in eorum conventibus lectiones non habeantur.« Quum autem, quod sine effectu geritur, id geri nullo modo videatur, sacrum concilium christiano nomini propagando merito existimans domesticas regularium collationes in quibusdam missionum locis parum fructuosas ob exiguum sodalium numerum futuras, cunctis et singulis illic munere perfurgentibus imperavit, ut cleri conventibus interessent. Hisce igitur rationibus permoti declaramus, omnes missionum rectores cleri collationibus adesse ex officio debere, simulque decernimus ac praecipimus, ut iisdem intersint vicarii quoque, alique religiosi viri missionariis facultatibus concedi solitis instructi, qui hospitia parvasque missionum domos incolunt.«¹

¹ Constitutio „Romanos Pontifices“ Leonis PP. XIII. octavo Idus Maii 1881.

B. Litteris circularibus de die 20. Novembris 1844 Nr. 1901 elaboratio s. d. quaestionum theologicarum in dioecesi Nostra praescripta est.¹ Litteris circularibus pr. ep. Ordinarius Lavantini de die 3. Martii 1852 Nr. 380/2 ordinatio ista germanica lingua sub I. pag. 1. et 2. republicata est; anno 1879 in 32. Protocollo finali pag. 16. de novo in memoriam revocatur.

Studium theologicum est sacerdotis strictissimum officium, et tempore libero optima relaxatio. Sicut enim ex una parte summam scientiarum amplificat, iam acquisitas conservat et magis firmare iuvat; ita alia ex parte nobilitat cor, et removet moralia pericula otiositatis. Ut igitur Nobis amoenam procuremus persuasionem, sacerdotes omnes vivo zelo incumbere perfectioni suae theologiae, illis autem omnibus praebeamus convenientem annis pastorationis occasionem, huius zeli permanentia quotannis monstrandi argumenta, renovamus in legitima hac Synodo attentis temporum adiunctis decreta defunctorum antecessorum: principis-episcopi Leopoldi II. (1800—1822), Ignatii Francisci (1824—1843), Francisci Xaverii (1843—1846), Antonii Martini (1846—1862) et Iacobi Maximiliani (1862—1889), quibus statuitur: ut quotannis a sacerdotibus dioecesanis elaborationes quaestionum theologicarum ad Ordinariatum mittantur.

Hoc tamen fiat sub sequentibus modalitatibus:

1. Ad elaboranda pensa theologica obligantur omnes in cura animarum constituti sacerdotes, exceptis Consiliariis Episcopi et illis parochis, qui iam per 12 annos in cura animarum laborant.

2. Qui ad elaboranda pensa non obligantur, sunt, absque discrimine dignitatis, censores unius aut plurium elaborationum sui decanatus.

3. Decanis incumbit, quaestiones datas statuto tempore promulgare, elaborata colligere, et dein una cum

¹ Sammlung specieller Disciplinar- und Pastoral-Vorschriften für die Lavant. Dioecese. Marburg 1850. n. VII. pag. 7 et 8.

censuris ad Ordinariatum mittere. Propter multa sui officii negotia sunt decani a censura dispensati, si tamen ex speciali amore de re participare, et sibimetipsis unius alteriusve pensi censuram reservare voluerint, illis pro singulari merito praecipui zeli adscribetur.

4. Sacerdotes, qui ab elaborandis pensis theologicis vel eorum censuris pro semper aut ad unum annum dispensari cupiunt, libellos supplices certis innixos argumentis officio decanali tradant, quod dein una cum suo superarbitrio huc expediendos curabit.

5. Quaestiones datae amplectentur omnes studii theologici partes, exceptis linguis orientalibus, quae multa alia requirunt studia, tractabunt etiam de indigentis et diversis relationibus curae pastoralis, proponentur partim in slovenica, partim in germanica et partim in latina lingua, in quibus et respondendum erit.

6. Cuilibet licet ad libitum in suo habitaculo laborare et omnibus ad rem spectantibus libris uti.

7. Optandum est, ut bibliothecae decanales per collectas voluntarias cleri semper magis augeantur, sicque facilius subsidiarii libri suppetant. Ideo de tempore ad tempus consignatio praecipuorum operum theologicorum ab Ordinariatu promulgabitur, ut vel a singulis, vel a pluribus in communi procurari possint, et per mutuam communicationem cum clero vicini decanatus multi ex illis procuratori librorum magni pretii supersedere valeant.

8. Elaborationes non sint in longum et latum extenti tractatus, sed nec nimis breviter conceptae. Censura non absolvatur paucis verbis, sed accuratius notet et diiudicet detectos errores.

9. Elaborationes cum censuris ab Ordinariatu denuo censurabuntur et suo tempore cum necessariis notatis, singulis per officium decanale remittentur.

10. Ne quis de nimia oneratione iure conqueri possit, quaestiones statim ab initio cuiusvis anni promulgabuntur,

et erit tempus pro elaboratione concessum usque *finem mensis Iulii*, ubi officium decanale elaborata pro censuris distribuet et dein una cum censuris usque *finem mensis Octobris* huc transmittet.

Ne quis statutum terminum pro tradendis pensis transgrediatur, imponitur decanis, ut illos sacerdotes, qui ad elaborationes quaestionum theologicarum tenentur, elaborationem hanc tamen usque ad finem mensis Iulii negligunt, vel censuras usque finem mensis Octobris non transmittunt, ad curiam decanalem propriis expensis citent, ibique neglecta pensa ab ipsis elaborari curent.

Stricte ergo servanda ab omnibus, quae pro totius cleri bona disciplina et scientifica eruditione salubriter constituta sunt. Iustis ex causis, quae in singulis casibus a praeside collationis ponderari debent, dispensatio ab Ordinariatu non denegabitur. Dispensationis ab elaborandis pensis theologicis pro casu concedendae iam supra sub numero 4. mentio facta est.

De caetero fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Iesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis et abundetis magis. Scitis enim, quae praecepta dedero vobis per Dominum Iesum. Haec est enim voluntas Dei: sanctificatio vestra. (I. Thess. 4, 1—3).



Caput XVII.

De conditionibus et praecautiōibus, sub quibus curatores animarum in statum quiescentiae transire possunt.



bvenit non raro, quod presbyteri, etiam beneficiati, praemature transeant in statum quiescentiae, parum aestimantes ipsius Principis pastorum verba: „*Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis, ut mittat opararios in mes-*

sem suam.“ (Luc. 10, 2). Non frustra igitur nostris temporibus saepe conquerimur de paucitate sacerdotum, curam animarum gerentium. Pro futuro conticescant istae querelae, et nomina eorum, qui ante tempus aciem fugiunt, in qua praelia Domini praeliantur, passim evanescant e schematismo dioecesano.

Dari quidem interdum iustas causas et existere aliquando tales circumstantias, quae exigunt quiescentiam, nemo aequus est, qui non videt. Eapropter Pius V. in constitutione »Quanta ecclesiae« de die 1. Aprilis 1568 § 3. ait: »Episcopi eorum duntaxat resignationes accipere et admittere possint, qui aut senio confecti aut valetudinarii aut corpore impediti sunt.« Iuxta haec verba illi tantum pastori permittitur abire de loco suo, qui fractus sive corpore sive animo omnino inhabilis fit, ut in posterum provideat gregi, et illorum etiam admittatur quiescentia, qui tantum ad tempus a cura pastoralis recedunt, ut reparatis viribus eam eo avidius arripiant.

Sed et negari nequit, inveniri s. d. pensionistas, quibus vires corporis et animi minime adhuc desunt ad laborandum, si vellent, in vinea Domini, qui tamen postpositis his apostolicis constitutionibus praemature requiem quaerunt. „*Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.*“ (I. Cor. 11, 22). Talem agendi modum et voluntati Dei non respondere, et menti et praxi ecclesiae omnino contradicere, facillime probari potest.

Perscrutantibus sacras litteras occurrunt nobis verba Salvatoris: „*Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit*“ (Matth. 10, 22), quae valent praeprimis etiam de sacerdotibus in animarum cura constitutis. Et de Moyse, „*qui erat servus Dei in omni domo eius fidelissimus*“ (Num. 12, 7), loquitur s. Scriptura, quod, cum iam fuerit grandaevus, nempe „*centum viginti annorum, neque potuerit ultra egredi et ingredi*“ (Deut. 31, 2), sermonem tamen adhuc fecit ad populum, confortans eum in viis Domini.

Attendentibus ad mentem et praxin ecclesiae apparet nobis talem morem esse etiam contra omnia vetustatis exempla, imo esse nonnunquam peccaminosum. Divus apostolus Paulus beatum Timotheum est adhortatus, ut propter „*frequentes eius infirmitates*“ (I. Tim. 5, 23) vino uteretur, nequaquam autem consilium ei dederat infirmæ valetudinis causa animarum curae valedicendi. Sed et ipse s. Paulus indefessus laborabat, usquedum consummavisset cursum. Simili modo ex traditione constat de s. apostolo Ioanne, eum in extrema senectute non dereliquisse oves suas neque deposuisse curam earum, sed aliorum humeris utentem venisse adhuc in ecclesiam, ibique sermonem fecisse brevem quidem sed gravem sensu, cum diceret: »Filioli, diligite alterutrum!« Similiter et s. Martinus, episcopus Turo-nensis, cum in gravem incidisset febrim, orabat: »Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.« S. Vincentius de Paulo, annos natus octoginta quinque, pariter pondus diei et aestus portabat usque ad extremum diem.

Ne dimittatis ergo, fratres in Domino dilectissimi, propter qualemcunque causam animarum curam, ne in vacuum gratiam Dei recepisse videamini, „*sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in seditionibus, in longanimitate.*“ (II. Cor. 6, 4 sqq).

Quaedam igitur causae, ex quibus nonnulli curam animarum dimittunt, nequaquam sunt laudandae. Exempli gratia si sacerdos, postquam sibi bonis huius saeculi bene et satis providit, laboris pertaesus fit, cogitans: „*Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.*“ Caveat, ne et ipsi aliquando dicatur: „*Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem parasti, cuius erunt?*“ (Luc. 12, 19—20).

Alium taedet difficultatum curae animarum aut curae quoad temporalia, quae annexa sunt beneficio,

quod possidet. Ast non licet tibi talentum, quod accepisti, eapropter abscondere in terra. Videas, ne respondeat tibi Dominus in die rationis, quod legitur in evangelio: „*De ore tuo te iudico, serve nequam; sciebas, quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi; et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?*“ (Luc. 19, 22. 23).

Adhuc magis vituperari debet, qui aëgre ferens auctoritatem ecclesiasticam discedit a loco sibi assignato, ut facilius inpune vivat ibi ubi iuxta beneplacitum suum. Neque mitius iudicari potest, qui propterea statum quiescentiae aut pensionistae appetit, quia murmurans putat, ipsius merita a superioribus haud iuste aestimari et remunerari. Solus omniscius Deus potest reddere et revera „*reddet unicuique secundum opera eius.*“ (Rom. 2, 6).

Quid dicendum, si quis infirmitatem solummodo simularet eum in finem, ut ab onere curae animarum liberaretur? Patet satis, hoc absque culpa fieri non posse. Scimus enim, Christum aperte dixisse: „*Negotiamini, dum venio*“ (Luc. 19, 13), i. e. usque ad mortem, non autem, quamdiu placuerit tantum.

Videtur interdum sufficiens causa dimittendi locum assignatum, si pastor bonus, cuius facies est euntis in Ierusalem (Luc. 9, 53), incassum laborat, cum grex perversus omnes eius intentiones laboresque frustretur. Sed minime! Talem pastorem increparet Iesus, dicens: quod nesciat, cuius spiritus sit. (Luc. 9, 55). Exeat quidem forte ex ista parochia et etiam pulverem excutiat super illam de pedibus suis, ast requiem non quaerat, sed multo magis aliam stationem petat: „*Amen, dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis*“ (Matth. 10, 23), i. e. non consummabitis omnes stationes tam amplae dioecesis.

Pensionista robustus assimilatur sacrae imagini, quae sumitur de altari et sub tecto reponitur. Tali imagini,

quamquam benedictae, nemo se amplius inclinat, sed et ipsa citius decoloratur.

Episcopis ad tempus etiam conceditur a s. Sede facultas, censuris cogendi sacerdotes viribus pollentes ad curam animarum. S. Congregatio Conc. enim die 31. Ianuarii 1891 inquirebat de dubio, quod ei a quodam Episcopo est propositum: »An et quomodo concedenda sit facultas cogendi sub praecepto obedientiae adhibitis etiam, si opus fuerit, censuris sacerdotes viribus pollentes et a quocunque officio liberos ad curam animarum alique munera pro regimine animarum necessario suscipienda in casu?« Respondit: Affirmative in terminis rescripti in Tolosana ad tertium, dummodo eaedem circumstantiae concurrant.

Rescriptum autem sacrae Congr. Conc. ad archiepiscopum Tolosanum de 9. Maii 1884, quod hic commemoratur, idem dubium, an nimirum Episcopus etiam censuris posset tales sacerdotes ad animarum curam cogere, enodans respondit ad III.: Affirmative vigore facultatum, quae approbante sanctissimo Domino nostro Em. Archiepiscopo idcirco tribuuntur ad septennium.¹

Itaque sacerdotes in cura animarum constitutos paterne hortamur, ne absque legitima causa, a s. canonicis admissa, discedant de loco suo; illos autem pensionistas, si qui adhuc possent laborare in cura animarum, rogamus, ut respicientes sacerdotum paucitatem redeant ad munus, ad quod et propter quod sacros ordines susceperant. *Non enim misit nos Christus ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina, non ad honores, sed ad despectiones, non ad otium, sed ad labores, non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia. Horum memento, fili mi, verborum.*²

¹ Kath. Kirchenzeitung. Salzburg, 1891 Nr. 57.

² De Imitat. Christ. lib. III. cap. 30.

Caput XVIII.

De testamentis clericorum.

Mominis christiani est, ut in condendo testamento non solum attendat, quid sit iuris, sed etiam quid rationes conscientiae et religionis dictent ac suadeant. In illo ergo omnis affectus improbus secludatur et saluti animae provideatur. Vae illis, qui in hoc gravissimo negotio vel animum implacabilem ostendunt vel inordinatum amorem produnt. Homo christianus curet, ut post eius mortem alii sine intermissione habeant eius memoriam in orationibus suis. » *Viventes enim sciunt, se esse morituros, mortui vero . . . non habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum*«. (Eccle. 9, 5).

Sacerdotes autem eo maiori studio et zelo religionis in condendo testamento utantur, quo sanctor est substantia, de qua disponunt, graviorque ipsis incumbit obligatio, post mortem etiam aedificationem corporis Christi continuandi bonumque ecclesiae promovendi.

Novimus quidem, leges ecclesiasticas circa testamenta variis temporibus ob hominum improbitatem et legum civilium in testamentis clericorum influxum varias subiisse mutationes, spiritus tamen ecclesiae idem semper manet, bonaque et proventus ecclesiasticos considerare oportet ceu vota fidelium, pretia peccatorum et patrimonia pauperum. Hinc sacrosanctum Concilium Tridentinum episcopis omnino interdicit: »ne ex redditibus ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et apostolorum canones prohibeant (can. ap. 39), ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuunt.« — »Quae vero de episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque beneficia ecclesiastica tam saecularia quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari . . . decernit.« ¹

¹ Sess. XXV. cap. 1. de reform.

Iure ecclesiae antiquissimo clerici solummodo de bonis patrimonialibus sive ante sive post ordinationem acquisitis et de bonis industrialibus non titulo ecclesiastico sed privato comparatis, nec non de bonis parsonialibus, quae clericus ex redditibus ecclesiasticis subtrahit de sua sustentatione, parcius vivendo, quam honeste vivere potuisset, per testamentum libere disponere valebant;¹ ast de bonis mere ecclesiasticis. partis ex proventibus beneficii ecclesiastici, id facere *omnino vetabatur*.² Et concilium Carth. (385) dicit canone 49: »Placuit, ut episcopi, presbyteri, diaconi vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur et tempore episcopatus vel clericatus sui agros vel quaecunque praedia nomine suo comparant, tamquam rerum dominicarum invasionis crimini teneantur, nisi admoniti ecclesiae eadem ipsa contulerint«. Idcirco bona profana a bonis per ecclesiam acquisitis separari oportebat. Si autem dubium existeret, quo titulo post ordinationem quidpiam acquiserint, profano an sacro, totum ab ecclesia acquisitum praesumebatur.³ Haec iuris statuta valorem habebant usque ad saeculum 12. vel 13., cum Concilium Lateran. sub Alexandro III. (1180) adhuc statuatur: »De his (bonis), quae consideratione ecclesiae (sacerdotes) perceperunt, nullum de iure possunt facere testamentum«. ⁴

Mox vero invasit ecclesiam praxis, quae minus placuit eius spiritui. Ex consuetudine universali nempe clericis concessum est, ut dein et de bonis ex beneficii fructibus comparatis testarentur, sed ad *pias causas* tantummodo et servatis sollemnitatibus pro testamentis praescriptis. »Licet autem mobilia per ecclesiam acquisita de iure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen non est improbandae, ut de his pauperibus et religiosis loci et illis, qui viventi servierant,

¹ c. 9. 12. X. de testamentis et ultimis voluntatibus III. 26. — ² c. 7. 12. de testamentis I. c. — ³ c. 1. de testamentis I. c. — ⁴ Ueber Testamente der Geistlichen und Laien. Paderborn, 1884. 2. Aufl. pag. 4.

sive consanguinei sive alii sint, aliqua iuxta servitii meritum conferantur.«¹ Haec ultima verba canonis uberius explicantur statuto concilii Prov. Viennensis:² »Merito vir ecclesiasticus providet, ne post eius excessum egestate opprimantur, qui sine reprehensione diuturnum ipsi fidelemque famulatum exhibuerint. Itaque si bonis sat valeat, pensionem eis ad vitae dies percipiendam statuatur«.

Demum in multis orbis catholici partibus et in nostris quoque regionibus immemorialis temporis consuetudo invaluit, ut quaecunque clericorum testamenta in *foro externo* robur habere censeantur, etsi de bonis etiam ecclesiasticis ad causas profanas testentur, propterea quod bona intuitu ecclesiae et aliunde comparata discernere saepe impossibile est, nec statim semper clarum, num facta dispositio causae piae rationem habeat, nec ne. Huic consuetudini patrocinator et potestas civilis. Articulus XXI. Concordati austriaci enim audit: »In cunctis Imperii partibus archiepiscopis, episcopis et viris ecclesiasticis omnibus liberum erit, de his, quae mortis tempore relicturi sint, disponere iuxta sacros canones, quorum praescriptiones et a legitimis eorum heredibus ab intestato successuris diligenter observandae erunt.«

Ast pro *foro interno* beneficiatus testari ad causas profanas non potest de bonis ecclesiasticis in notabili quantitate, neque vi consuetudinis, quia solida ratio assignari nequit, ob quam beneficiati per actus mortis causa possint bona ecclesiastica superflua ad causas profanas applicare, non vero etiam per dispensationem inter vivos. Unde talis consuetudo, cum sit contra *invariantam* indolem bonorum ecclesiasticorum et contra ius naturalis iustitiae, non est rationabilis, nulloque temporis cursu induci potest. Testamenta igitur ad causas profanas de

¹ c. 12. X. de testamentis III. 26.

² Acta et decreta concilii provinciae Viennensis anno Domini 1858 celebrati. Vindobonae, 1859. Tit. VII. cap. 4. pag. 178.

bonis ecclesiae facta illicita ad minimum sunt, etiamsi in foro externo ad maiora mala et continuas lites evitandas tolerentur.

Quem in finem clerici de bonis ex redditibus ecclesiasticis comparatis testamenta condituri observent subsequentes normas.

1. Quisque clericus habeat confectum testamentum formis legalibus instructum. Obsequatur voluntati Spiritus sancti: „*Praeceptum domui tuae, morieris enim tu et non vives.*“ (IV. Regg. 20, 1). In hora mortis curam habeat potius animae et non rerum temporalium. Haec simplex oculus s. Francisci satis intellexit, qui sodalibus etiam laicis, tertium ordinem ingredientibus, officium condendi statim testamentum iniunxit.

Si enim clericus ab intestato occubuerit, triste damnum capient bona eius et litibus dabunt nutrimenta; certissime vero detrimentum patietur anima clerici, cum nihil saluti suae providerit. In nostris nempe regionibus ex consuetudine vetusta et ex legis etiam civilis determinatione hereditas clerici ab intestato defuncti in tres dividitur partes aequales, quarum una competit ecclesiae, cui defunctus beneficii nomine inservivit, licet usque ad vitae finem ministerium non protraxerit, altera pauperibus, tertia propinquis cedit. Consanguinei valde egentes portionem quoque pauperum, proin duas tertias e bonis relictis, si specialiter supplicent, impetrare possunt.¹ Deficientibus e sanguine heredibus, pars, iis assignanda, ad ecclesiam perveniat.²

2. Ne scribat heredes propinquos, cum s. Synodus Trid. moneat, »ut (clerici) omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in ecclesia seminarium extat, penitus deponant.«³

¹ Decr. aul. die 6. Febr. 1792.

² Acta et decreta concilii provinciae Pragensis anno Domini 1860 celebrati. Pragae, 1863. Tit. VIII. cap. 5. pag. 272. — ³ Sess. 25. cap. 1. de reform.

3. Sollerter caveat, ne coquam seu ancillam heredem scribat, quod sine scandalo vix fieri potest.¹

4. Si quis pudor manet in sacerdote, si qua suae salutis cura, nunquam concubinam aut filium spurium scribat heredem, nec illis quidquam leget.²

5. Curet in testamento, ut statim post mortem pro salute eius Missae celebrentur. Ad cautelam persolvantur nonnullae Missae in modum restitutionis ad intentionem, ad quam forte omiserat celebrare in vita.

S. Augustinus, testante Possidio, testamentum nulum fecit, quia unde faceret, pauper Dei non habuit.³ Sanctus ille Levita autem de se testatur: »Facultates meas, quas requiris, in coelum manus pauperum deportaverunt.« En, testamenta Sanctorum! — Obtestamur igitur per sanctimoniam status sacerdotalis omnes in sanctuario Domini servientes, ut concessa libertate testandi, in spiritu dumtaxat ecclesiae et iuxta sacros canones utantur; inhibemus proinde, ne clerici unquam testamenta contra sacros canones condant, aut redditus ecclesiasticos congruae suae sustentationi superfluos in usus manifeste profanos, vel sanctitati et bonae famae status clericalis adversantes, relinquunt.

Utinam saperetis et intelligeretis, ac novissima provideretis! (Deut. 32, 29). *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut spiritus vester et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur!* (I. Thess. 5, 2. 3).

¹ Acta et decreta concilii provinciae Viennensis anno Domini 1858 celebrati. Vindobonae, 1859. Tit. VII. cap. 4. pag. 178.

² Conc. Prov. Prag. 1605.

³ Vita s. Aug. c. 31.

Titulus quartus.

De regimine ecclesiastico.

Caput XIX.

De iuribus et officiis decanorum.

Qui bene praesunt presbyteri,
duplici honore digni habeantur.
(I. Tim. 5, 17).



nter episcoporum adiutores, qui per minores dioecesis regiones dispositi curam animarum exercent, eminent vicarii foranei, decani rurales nuncupati. Horum officium est: Episcopum in fide catholica propaganda, in disciplina ecclesiastica conservanda, in errorum correctione et defectuum emendatione adiuvere; quapropter decani quasi oculi et aures et calamus Episcopi nuncupari solent.

Decano ergo gravitate vitae et morum integritate insigni, prudentia ac zelo et dexteritate in rebus ecclesiasticis gerendis bene versato, parochiae cum capellis et oratoriis, unacum clero et ministris ecclesiasticis eo fine subiiciuntur, ut in clericorum subiectorum et aliorum ecclesiasticorum ministrorum doctrinam, vitam et mores, nec non in executionem statutorum tam generalium quam specialium, personas vel ecclesias concernentium, diligenter intendat, et omni conatu procuret, ut ecclesiae et ministrorum ecclesiasticorum habitacula sarta et tecta conserventur. Quapropter decanis specialiter incumbit:

1. Officium invigilandi, ut omnes clerici vitam agant sua vocatione dignam, suisque muneribus rite fungantur. Quamprimum igitur opus fuerit, illos admoneant ac consiliis adiuvent, delinquentes vero et negligentes non emendatos tempore opportuno ad Episcopum deferant.

2. Parochi, cooperatores aliique sacerdotes intra decanatus limites commorantes tenentur suas petitiones, relationes, gravamina et cuncta negotia, disciplinam, curam animarum, administrationem bonorum ecclesiae, beneficii

ac parochialis instituti pauperum concernentia ad Decanum dirigere, cui incumbit, ea aestimare, et si aliquo defectu laborant, remittere ad corrigendum, et deinde, si rem minoris momenti attingunt, de illis iudicare et de iure decernere, secus autem sine mora appposito maturo iudicio ad Ordinariatum deferre. Eximuntur tantum causae et negotia, quorum periculum in mora est, et quae dilationem non patiuntur.

3. Solliciti sint decani et invigilent, ne in districtu decanali irrepant abusus, et ut existentes de medio tollantur. Accusationes et dissidia inter laicos et sacerdotes summa prudentia ex aequo et bono animo componere studeant, caventes, ne inaudita altera parte quidquam decernant, aut ad aures Ordinariatus deferant res non satis investigatas, ne de auctoritate sacerdotum leviter quid detrahatur.

4. Cooperatores et alii sacerdotes in decanatum venientes cum intentione ibidem commorandi, sistant se Decano, cuius est illorum adventum Ordinariatus notificare. — Prorogatio iurisdictionis cooperatorum invigilanda et a Decano tempore praefinito examen instituendum est.

Iuxta statuta etiam curet Decanus, ne sacerdos extraneus aut vagus in districtu nisi litteris debite exhibitis Sacrum celebret, nec ultra octiduum sine licentia Ordinariatus ibidem commoretur.

5. Decani est, clericum, qui praeceptum de non frequentandis tabernis negligit, iuxta statuta dioecesana admonere; deinde clericum, qui cum muliere eam ineat consuetudinem, quae merito in suspicionem venit, continuo monere, et non statim morem gerentem Ordinario denuntiare.¹

6. Decanis incumbit, de omnibus rebus gravioribus Episcopum certiore reddere, eius mandata ad clerum

¹ Acta et statuta synodi dioecesanae Lav. Marburgi, 1883. pag. 63.

deferre, et vice versa, quae clerus cum Episcopo tractare voluerit, ad hunc transmittere et procurare, ut relationes ab Ordinariatu requisitae tempore praescripto effectui dentur tenore obedientiae et reverentiae in ordinatione promissae, atque iuramenti a parochis praestiti: »Spondeo et iuro, ubi ex officio ad me devenerint litterae, citationes et mandata, quod ea cum omni fidelitate, obedientia et reverentia recipere et fideliter exequi velim.«

7. Decanorum est, congregationibus clericorum, quae dicuntur conferentiae pastorales, praesidere et casuum discussionem dirigere; protocollum desuper concinnatum adpositis resolutionibus participantium nec non sua relatione ad Ordinariatum transferre.

Illorum est, instructioni et educationi iuventutis in scholis elementaribus quoad religionem catholicam iuxta normas ab Ordinariatu praescriptas invigilare, eas visitare et quotannis desuper in protocollo speciali relationem reddere.

Illorum est, bonorum ecclesiasticorum in suo territorio iuxta normas, in Normali die 22. Septembris 1859 Nr. 1599 praescriptas, administrationi invigilare, annuas rationes revidere et examinare, atque adposito suo iudicio ad Ordinariatum dirigere. Similiter invigilent administrationi instituti parochialis pauperum, rationesque annuas usque ad diem 1. Aprilis cuiuslibet anni collectas ad Ordinariatum expediant.¹

Illorum est, elenchos parochorum et provisorum iura stolae piasque foundationes concernentes respectu fassionum beneficii et rationis intercalaris corroborare, copias matricularum parochialium colligere, examinare, defectus emendare illasque ad Ordinariatum dirigere.

¹ Kn. šk. Lav. konz. dne 20. febr. 1895. št. 632. — Conc. Trid. sess. 23. c. 1. de reform. — Kirchl. Verord. Bl. an. 1865. Nr. 2388; an. 1868. Nr. 2799; an. 1886. Nr. 2870; an. 1891. Nr. 317.

Decanorum est, quotannis exemplarium directorii et schematismi dioecesani numerum et statum animarum ex singulis parochiis summam Consistorio episcopali notificare, cunctaque negotia, quae in fine schematismi dioecesani consignata sunt, praescripto tempore procurare et exequi.

8. Quum experientia docet, quantum valeant Decani studiosissimi conatus, ut fides in decanali districtu per charitatem operetur, eius est, parochos caeterosque animarum rectores ad opera pia, quae ab Ordinariatu commendantur, adhortari et curare, ut collectae statuto tempore ad locum praefinitum deferantur.¹

9. Distributio sacrorum oleorum fiat certo tempore a Decano indicando, aut in ecclesia ipsa, aut in alio loco decenter ornato; cui interesse tenentur, si possibile, aut sacerdotes missi, aut viri graves ad id deputati cum litteris a paracho exaratis, quibus ss. olea petant. Decanus sacros liquores distribuat superpelliceo et stola indutus, duobus cereis accensis. Laicis cursoribus semper pyxis sigillo munita genuflectentibus imponatur, qui eam reverenter et sine mora ad suum locum servatis legitimis consuetudinibus deferant.

10. Decanus singulis annis omnes ecclesias saltem curatas districtus sui iuxta caeremoniale praescriptum sollemniter, pluries vero, si opportunum visum fuerit, absque sollemnitate visitet, ac relationem de statu decanatus et aliam de vita et moribus clericorum praefinito tempore Ordinariatui exhibeat.

De visitatione canonica *per decanos facienda.*

1. *In dioecesi Lavantina decanis munus demandatum est, parochias districtus eis assignati quotannis visitandi eum in finem, ut de earundem statu ad Antistitem accurate referre queant.*

¹ Personalstand des Bisthumes Lavant. Marburg, 1897. pag. 173 sqq.

2. Decano adventante, campanae pulsantur. Parochus cum sacerdotibus cooperatoribus, stola et superpelliceo ipse, superpelliceis tantum caeteri induti, eum ad ecclesiae ostium excipient. Ibi primo claves ecclesiae tangit, ipsi super cussino praesentatas, dein accepto aspersorio se et omnes aspergit aqua benedicta.

3. Tum ad altare maius deductus, genuflexis omnibus, pro invocatione sancti Spiritus insonat: **Veni sancte Spírítus. vel: Veni Creátor Spírítus**, cum reliquis ut in *Collectione rituum dioecesis Lav. Marburgi*, 1896. pag. 433. Quibus peractis, ducitur in sacristiam, ubi, quoties hora antemeridiana advenerit, ipseque voluerit celebrare, paretur pro Missa; secus superpelliceum stolamque sumet, et Missae a parocho celebrandae intersit. Post Missam, vel si hora pomeridiana venerit, statim tunc ss. Sacramentum a parocho exponatur, incenset ipsum Decanus, et hymno sacro pro more decantato, benedictionem det populo.

4. Quo facto, diligenter examinet altare primum maius, tabernaculum, ostensorium, ciborium, caetera postmodum altaria, fontem baptismalem, sacrarium, confessionalia omnemque ecclesiae apparatus. Ad sacristiam se conferens calices, pyxidem portatilem, casulas, linteamina, et quaecumque cultui divino inserviunt, diligenter inspiciat.

5. Hoc absoluto negotio, cum populo pias preces fundente coemeterium adibit, cum aliis, qui adsunt, sacerdotibus, postquam incepit Antiphonam: Si iniquitates, recitans Ps. 129: De profundis, etc. cum tota Antiphona: Si iniquitates in fine, ut habetur in citata *Collectione rituum* pag. 139. Quibus dictis, cum fuerint in medio coemeterii, subsistunt suo ordine, et chorus cantat Responsorium: **Libera me Dómine**, ut in *Collectione rituum* pag. 146. Dum repetitur Responsorium, Decanus imponit incensum cum benedictione more consueto, et cantat:

Kyrie eléison. Christe eléison. Kyrie eléison. Pater noster. reliqua secreto.

Interim vero aspergit, et incensat hinc inde coemeterium. Quo facto, dicit:

Ÿ. Et ne nos indúcas in tentatiónem.

R. Sed libera nos a malo.

Ÿ. In memória aetérna erunt iusti.

R. Ab auditióne mala non timébunt.

Ÿ. A porta inferi.

R. Erue Dómine ánimas eórum.

Ÿ. Réquiem aetérnam dona eis Dómine.

R. Et lux perpétua lúceat eis.

Ÿ. Dómine exáudi oratióem meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

Ÿ. Dóminus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Orémus.

Fidélium Deus ómnium Cónditor et Redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissióem cunctórum tribue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatióibus consequántur. Qui vivis et regnas in saécula saeculórum. R. Amen.

Ÿ. Réquiem aetérnam dona eis Dómine.

R. Et lux perpétua lúceat eis.

Ÿ. Requiéscant in pace. R. Amen.

Si autem coemeterium longius distet, vel inclementia coeli non concedat exitum; praedicta fiant in ecclesia ad tumbam ibidem erectam.

6. *E coemeterio redux, ecclesiae fabricam, quantum fieri potest, attente examinet. His peractis pueri et puellae de eis, quae in doctrina religionis didicerint, coram eo tentamen faciant.*

7. *Domum dein parochialem visitet: an reparationibus minoribus debite sit provisum, an maiores quaedam requirantur, diligenter investiget; et an beneficii bona iuxta sanctiones ecclesiasticas administrentur, quantum res sinat, exploret. Denique parochus et ecclesiae vitricis advocatis, perquirat de eis, quae ad administrationem bonorum ecclesiae pertinent, libros parochiales inspiciat, et illorum, qui ipsi praesentari cupiunt, praesertim officialium civilium et communalium, vota excipiat.*

8. *Caeterum omnibus aditu facilis, quaecumque de rebus ecclesiasticis ipsi significantur, patienter audiat et prudenter ponderet, de omni autem visitationis negotio iuxta schema ad hoc editum ad Antistitem fideliter referat.*

Inquirat Decanus, an bona ecclesiae, beneficii et parochialis instituti pauperum iuste administrentur, et an decreta, quae respectu vinearum et silvarum tam ecclesiae quam beneficii die 18. Aprilis 1865 Nr. 948, et in Normali die 22. Septembris 1859 Nr. 1599 sancita sunt, rite observentur; inquirat etiam, an administratores laici seu vitrici ecclesiae de administratione et statu horum bonorum sufficienter instructi sint. De his

omnibus in sua relatione visitatoria Ordinariatum certiore reddat.¹

Nervus ecclesiasticae disciplinae haec visitatio est, nec ullo anno omittatur. Memor sit Decanus, se hoc in opere Episcopi personam gerere, ideo absque ullo respectu personarum officium suum perficiat, quasi supremo iudici ea de re rationem redditurus.

11. Quamprimum innotuerit, parochum aut alium sacerdotem periculose decubuisse, Decanus sedulam curam illius agat, aegrotum visitando, sacramentis, si placuerit, providendo ac hortando, ut disponat iuxta leges canonicas testamentaliter de domo sua, imprimis quod attinet stipendia Missarum non persolutarum.

Decani est, parochos sui districtus sepelire; invigilare, ut defuncto rectore registeria parochialia, acta et documenta caetera diligenter collecta conserventur ac successori tradantur. Quapropter declusioni inventarii adscito ecclesiae patrono auctoritate Ordinarius interveniat et intendat, ut fundi instructi obiecta a massa defuncti segregentur; defectus in fundo instructo, peculio ecclesiae et piarum foundationum observati e massa defuncti compensentur; neglectae reparationes, aut respectivae deteriorationes in aedificiis parochialibus, silvis et vineis, quae defuncti negligentiae adscribi possent, rite aestimentur, in statum massae passivum inferantur et exinde redimantur.

Decani est, providere ecclesiae viduatae, ac protocollum de bonis ecclesiae beneficii et instituti parochialis pauperum diligenter conficere. In hoc protocollo respectu habito ad inventarium, rationem bonorum ecclesiae ultimi anni, alias adnotationes defuncti parochi, documenta parochiam et foundationes pias tangentia, signanter instrumenta fundationalia et syngrapha, item protocolla et matricas ecclesiae, nec non omnia

¹ Schlussprot. der Pastoral-Conf. vom 23. Dez. 1879. num. XXXII.

ad iura et officia parochiae pertinentia acta consignet; arcam ecclesiasticam et foundationum piarum in praesentia vitricorum ecclesiae et constituti administratoris parochiae revideat, et integram summam erga reversales deductis stipendiis Missarum non persolutarum constituto administratori exhibeat. Protocollum hoc adposita annotatione de statu vinearum et silvarum ecclesiae et beneficii requisito desuper maturo iudicio virorum peritorum in duplo exaretur, quorum unum reservetur, aliud autem adposita relatione Decani ad Ordinariatum dirigatur.¹

Constituto novo rectore seu paroco, Decanus eum adhibitis praescriptis sollemnitatibus speciali mandato aut installet vel introducat, et postea exarato in duplo novo protocollo bonorum ecclesiae, beneficii et instituti parochialis pauperum servatis servandis, ea neoconstituto rectori parochiae praesentibus testibus vitricis tradat et desuper Ordinariatum apposito nominato protocollo certiore faciat.²

12. Curam gerat Decanus, ut archivum decanale ab archivo parochiali distinctum, in quo registeria decanalia, relationes status ecclesiarum, acta et documenta ad decanatus administrationem pertinentia, una cum scriptis ab Ordinariatu acceptis, aut de illuc missis concepta diligenter asserventur. In causis gravioribus consilium ab Ordinario petat, aut ubi periculum in mora, si expedit, a duobus decanatus parochis, quos noverit ad rem elucidandam magis aptos, exquirat.

13. Ad officia omnia accurate adimplenda decani diligenter legant ac perpendant sacros canones, statuta dioecesana, constitutiones et decisiones in conferentiis pastoralibus factas, quibus publicandis et observandis

¹ Schlussprot. der Past.-Conf. vom 23. Dec. 1879. num. XXXII. pag. 11.
— Normale vom 22. Sept. 1859. num. 1599. § 13.

² Normale vom 22. Sept. 1859. num. 1599, et Schlussprot. der Past.-Conf. vom 23. Dez. 1879. num. XXXII.


omnem operam dabunt, et refractarios atque culpabiliter negligentes ad Ordinariatum deferant.

14. Ut meliori dioecesis regimini provideatur, conceditur Decano facultas: benedicendi paramenta et ornamenta sacerdotalia, ecclesias, sacella, oratoria et coemeteria, cruces et statuas, imagines, vexilla et alia utensilia; absolvendi a casibus Ordinario reservatis; dandi licentiam a residentia abscedendi sacerdotibus per octo dies; dispensandi ab una promulgatione nuptiarum, nec non omnia et singula provisorio modo in districtu decanatus providendi, quae recursum ad Ordinariatum non patiuntur.

Tanti officii gratia etiam conceditur decanis, ut in decessione ex hac vita mortali in omnibus ecclesiis decanatus per dimidiam horam omnibus pulsetur campanis.

Cum ergo decani vicarii Episcopi censendi sint, omnes sacerdotes, ministri ecclesiastici ac fideles in virtute et sub merito sanctae obedientiae obstringuntur, ut constitutos decanos qua superiores suos agnoscant, eisque debitam observantiam exhibeant.

Vicissim et meminerint decani, se esse in episcopalis muneris partem vocatos; quapropter concpresbyteros obsecrent ut patres, moneant ut filios, arguant ut subditos, prout in Domino iudicabunt, nec terminos auctoritatis sibi concessae excedant. Decani tanquam seniores in districtu suo: *pascant gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit Princeps pastorum, percipient immarcescibilem gloriae coronam.* (I. Petr. 5, 2—4).



Caput XX.

De sollemnitate anniversarii creationis et coronationis summi Pontificis obeunda.

Pei Filius omnibus quidem apostolis parem tribuit potestatem, dicens: „*Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*“ (Ioan. 20, 21); attamen Petro speciale commisit munus: pascendi agnos et oves. (Ioan. 21, 16. 17). Ipsum ecclesiae petram constituit. (Matth. 16, 18). Ipsum iussit confirmare fratres suos. (Luc. 22, 32). Hac ratione unitate constituta, eiusdem unitatis originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.¹

Atqui Petrus ad hoc usque tempus et semper in successoribus suis, romanis Pontificibus, vivit et iudicium exercet², ac pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam sibi a Domino nostro Iesu Christo traditam plenam potestatem exequitur.³

Hinc beatissimo principis apostolorum heredi, Pontifici romano, totius ecclesiae capiti, summo Christi in terris vicario, omnium fidelium in orbe terrarum patri, et apostolicae Sedi omnium ecclesiarum matri, inconcussam subiectionem et obedientiam, filialem reverentiam, dilectionem ac pietatem ut fideles, ita etiam eorum pastores exhibere et inviolabiliter servare tenentur.

Huius vero filialis reverentiae, dilectionis et pietatis ratio imprimis postulat, ut, quemadmodum olim pro Petro, ita nunc pro summo Pontifice, eiusdem successore, *oratio fiat sine intermissione ab ecclesia ad Deum*. (Act. apost. 12, 5).

Quapropter insistentes rubricae speciali Missalis romani mandamus, ut ipsa dies creationis et coronationis

¹ S. Cyprianus de unit. eccles. c. 4. — Corpus script. ecclesiast. latin. Vol. III. part. 1. Ed. Academia litterarum caesarea. Vindobonae, 1868. Pag. 213.

² Conc. Ephes. (Act. III.) — Enchirid. theol. dogm. gen. auctore Dr. Fr. Egger. Edit. 2. Brixinae, 1895. Pag. 494.

³ Conc. Florent. — Op. cit. pag. 483.

summi Pontificis eiusdemque diei anniversarium quotannis per totam dioecesim speciali sollemnitate celebretur.¹


In ecclesia Nostra cathedrali nec non in eis omnibus ecclesiis, in quibus quotidie Missa choralis aut conventualis cantari assolet, non obstantibus rubricis, diebus praefatis celebretur Missa votiva sollemnis iuxta rubricam supra memoratam, cum cantu Ambrosiano et Oratione finali: »Deus omnium fidelium pastor«. In reliquis vero ecclesiis parochialibus sollemnitas isthaec fiat dominica anniversarium sequente, cum Sacro sollemni (de dominica aut de festo occurrente) unacum cantu Ambrosiano, cuius Orationi addatur Oratio pro Papa: »Deus omnium fidelium pastor.«

Proinde dies anniversaria creationis et coronationis summi Pontificis in directorio dioecesano suo loco notetur; item dominica anniversarium ipsum praecedente fideles de hac sollemnitate praemoneantur, et ad preces pro incolumitate et salute summi Pontificis fundendas invitentur atque inducantur.

Insuper sacerdotes et omnes fideles sollicitudini Nostrae commissos obtestamur in Christo, ut his potissimum temporibus, quum ecclesia gravioribus quassatur tempestatibus, oculos indesinenter convertant ad cathedram s. Petri, unde unitatis vigor per totum ecclesiae corpus effunditur salusque singulis filiis eius praestatur, et sine intermissione ac toto cordis affectu Nobiscum orent pro sanctissimo Domino nostro Leone Papa XIII., ut *„Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum eius.“*²

¹ In die creationis et coronationis Papae et eiusdem diei anniversario, dicitur Missa ut in Cathedra B. Petri, die XVIII. Ianuarii, cum Orat. „Deus omnium fidelium“, omissis Orationibus ss. Petri et Pauli, et dicitur „Credo“. (In fine Missae pro eligendo summo Pontifice).

² Litaniae omnium Sanctorum.



Caput XXI.

De anniversario pro Episcopo proxime defuncto celebrando.

Eximia est in ecclesia episcopalis dignitas, imo culmen dignitatum¹; a Christo Domino instituti et a Spiritu sancto positi sunt episcopi, ut praesidente summo Pontifice eique quoad usum suae potestatis subiecti regerent ecclesiam Dei (Act. apost. 20, 28), dioeceses scilicet sibi commissas. Gravissimum item ac vere angelicis humeris formidandum est munus, quo funguntur, quippe qui tamquam patres et pastores pervigilant gregi suo, quasi rationem reddituri pro animabus. (Hebr. 13, 17).

Tam eximiae excellentiae et dignitati ac sanctae muneris gravitati certe consonum est, ut Episcopo tum a clero ipsi subiecto, tum a populo fidei debitus honor tribuatur atque filialis exhibeatur reverentia et obedientia iuxta monitum sancti Ignatii Episcopi et Martyris²: »Bonum est, Deum et Episcopum honorare. Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est«; imo ut ipsius, etiam cum vita functus fuerit, pia grataque memoria habeatur.

Qua de causa mandat Caeremoniale episcoporum³: »Episcopus vivens, Praedecessoris sui proxime ante ipsum defuncti memoriam habere debet, et pro eius anima singulis annis in die obitus anniversarium celebrare, vel saltem Missae pro eius anima, ab aliqua Dignitate seu Canonico celebrandae, praesens assistere et in fine absolvere«.

Hoc itaque mandatum pie exsequentes statuimus, ut pro Episcopi proxime defuncti anima quotannis in die obitus seu depositionis in ecclesia Nostra cathedrali

¹ c. 37. X. III. 5.

² Ep. ad Smyrn. c. 9. — Carol. Ios. Hefele, Patrum apostolicorum opera. Ed. quarta. Tubingae, 1855. Pag. 229.

³ Lib. II. cap. 36. — Edit. typ. Ratisbonae, 1886. Pag. 272.

anniversarium celebretur iuxta rubricas »de anniversario defunctorum celebrando«. Quapropter in directorio dioecesano ante diem 1. Iulii inseratur sequens nota: Cras est anniversarium depositionis Celsissimi ac Reverendissimi Domini Iacobi Maximiliani Principis-Episcopi Lavantini. In ecclesia cathedrali post Nonam dicitur Missa sollemnis de Requie ut in Commemoratione omnium fidelium defunctorum cum Oratione: »Deus, qui inter apostolicos sacerdotes«, quae est secunda inter Orationes diversas pro defunctis.

Caeteri autem sacerdotes in hac dioecesi celebrantes Eius saltem commemorationem faciant, addendo in Missa festi occurrentis post Orationes in directorio praescriptas Collectam: »Deus, qui inter apostolicos sacerdotes«, atque devote orent pro anima eius, memores mandati apostolici: *„Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem“!* (Hebr. 13, 7).

Caput XXII.

De precibus pro Imperatore et Rege.



Ab antiquis inde temporibus in imperio austriaco publicae preces pro augustissimo Imperatore peragi consueverunt tam in Missis sollemnibus per annum, quam in Litiis Sanctorum et in aliis quibusdam ecclesiasticis functionibus. Quas preces, ad certam fixamque methodum redactas, summus Pontifex Pius Papa IX., supplicibus Imperatoris austriaci votis libenti animo annuens volensque singularis suae ac vere paternae benevolentiae tanto Imperatori, veluti piissimo sibique charissimo filio, tradere pignus, sacrae rituum Congregationis decreto »Fulget« de die 10. Februarii 1860 ratas habuit et confirmavit, atque in omnibus et singulis ecclesiis latini ritus intra fines imperii austriaci con-

stitutis recitari mandavit¹. Praeclarum sacrae rituum Congregationis decretum sonat, ut sequitur:

«Fulget iam in ecclesiae fastis, atque in aevum magna circumdatum gloria fulgebit augustum **Francisci Iosephi I.** Austriae Imperatoris nomen, quod domestica sanctorum decessorum suorum Stephani Ungarici et Henrici cognomento Pii imitatus exempla, omnem curam cogitationemque suam, Imperio vix inito, illuc potissimum intenderit, ut iura catholicae ecclesiae inter subditos sibi populos inviolabilia conclamaret, ac discretis Dei Caesarisque rationibus, omnipotenti Deo, per quem reges regnant et legum conditores iusta decernunt, quae Dei forent, prompto hilarique animo redderet. Insignis adeo in Deum eiusque ecclesiam pietas, quam ingenti cum plausu totus, qua late patet, catholicus orbis exceperit, eiusmodi profecto est, ut apostolica Sedes non modo de tanto Imperatore veluti de piissimo sibique charissimo filio glorietur, sed oblatas sibi occasiones eidem gratificandi, quantum in Domino possit, libentissime arripiat.

Cum itaque augustissimus idem Imperator vehementer cupiat, publicas, quae a vetustissima aetate in universa Ditione austriaca pro supremo Imperante consueverunt hactenus adhiberi preces, tam in Missis sollemnibus per annum, non exclusa Missa Praesantificationum feria VI. in Parasceve, quam in Praeconio paschali die sabbati sancti, atque in Litaniis Sanctorum, ab apostolica Sede ratas haberi, ut eius auctoritate accedente omnimodam firmitatem accipiant, et ad certam fixamque methodum redigantur; supplicia ea de re vota sua per suum in Urbe Legatum ssmo. Domino Nostro Pio PP. IX. exhiberi curavit. Hac porro occasione, cum per eundem Legatum suum enixe postulaverit, ut nomen supremi Imperantis in Canone Missae amodo adiciatur ad normam potius usus, qui ab austriaco Imperio constituto invaluit,

¹ Kirchl. Verordnungsblatt für die Lav. Diöcese ddo. 6. Juni 1860. IV. (Nr. 1474) I. pag. 1 sqq.

quam anterioris privilegii a summo Pontifice Clemente XIII. Imperatrici Mariae Theresiae eiusque successoribus indulti, apostolicis litteris sub annulo Piscatoris datis anno 1761. diebus V. et VI. Maii, Sanctitas Sua, matura deliberatione praemissa, volens singularis suae ac vere paternae benevolentiae tanto Imperatori tradere pignus, porrectis ab Eo votis de benignitate apostolica annuere dignata est, praefatasque publicas preces sub modo et forma infradicendis ratas habuit et confirmavit, atque in omnibus et singulis ecclesiis latini ritus intra fines Imperii austriaci constitutis recitari mandavit, contrariis quibuscunque, ipsisque superioribus Clementis XIII. apostolicis litteris, quibus ad effectum dumtaxat praesentis Indulti expresse derogavit, minime obstantibus.

Methodum autem in istiusmodi precibus usurpandam, atque indeclinabiliter ab omnibus et singulis latini ritus ecclesiis in universa Ditione austriaca servandam hanc esse voluit:

In Missae Canone nomen Imperatoris adiicietur hac adhibita formula — Et pro Imperatore Nostro N. — quae dicenda erit post mentionem factam romani Pontificis et Episcopi dioecesani.

In singulis per annum Missis vel sollemnibus vel parochialibus, diebus tamen quibus per rubricas licebit, sequens addetur pro Imperatore Collecta:

ORATIO.

Quaesumus omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Imperator Noster, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, vitiorum monstra devitare, hostes superare, et ad Te, qui via, veritas et vita es, gratosus valeat pervenire. Per Dominum etc.

SECRETA.

Munera, Domine, quaesumus, oblata sanctifica, ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant; et Imperatori Nostro ad obtinendam animae corporisque salutem, et peragendum iniunctum officium, Te largiente, usquequaque proficiant. Per eundem Dominum etc.

POSTCOMMUNIO.

Haec Domine oblatio salutaris famulum tuum N. Imperatorem Nostrum ab omnibus tueatur adversis, quatenus et ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem, et post huius temporis decursum ad aeternam perveniat hereditatem. Per Dominum etc.

Quibus vero in dioecesibus viguit hactenus consuetudo, canendi insuper in Missa sollemni sive post antiphonam Communionis sive post ultimum Evangelium, versiculum: Domine salvum fac Imperatorem Nostrum N. et exaudi nos in die, qua invocaverimus te — firma eadem consuetudo perstabit.

In Missa Praesantificatorum feria VI. in Parasceve inter Orationem pro cunctis ecclesiae ordinibus et aliam pro catechumenis haec pro Imperatore dicitur: Oremus et pro gloriosissimo Imperatore Nostro N., ut Deus et Dominus noster det illi sedium suarum assistricem sapientiam, qua populum sibi commissum gubernet in omni iustitia et sanctitate ad divinam gloriam et nostram perpetuam pacem. Oremus. *Ÿ.* Flectamus genua. *R.* Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus aeterna potestate dominaris, respice ad austriacum benignus Imperium, ut et Imperator iuste imperando, et populus fideliter obediendo, ad gloriam tui nominis et regni tranquillitatem unanimi pietate conspirent. Per Dominum etc.

Praeconium Paschale sabbato sancto hac ratione concludetur: Precamur ergo te, Domine, ut nos famulos tuos omnemque clerum et devotissimum populum una cum beatissimo Papa Nostro N. et Antistite Nostro N. nec non gloriosissimo Imperatore Nostro N., quiete temporum concessa, in his paschalibus gaudiis assidua protectione regere, gubernare et conservare digneris. Per Dominum etc.

In Litaniiis Sanctorum cum deventum fuerit ad preces, inter versiculum: Ut inimicos sanctae ecclesiae etc. — et alium: Ut regibus et principibus — etc. addetur: *Ÿ.* Ut Imperatorem Nostrum custodire digneris. *R.* Te rogamus audire nos. — Item post psalmum: Deus in adiutorium etc. dicto versiculo: Oremus pro Pontifice Nostro N. *R.* Dominus conservet etc. illico subiungetur: *Ÿ.* Oremus pro Imperatore Nostro N. *R.* Domine salvum fac Imperatorem et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. — Denique, absolutis precibus, immediate post Orationem pro Papa adiicietur Oratio pro Im-

peratore superius notata: Quaesumus Omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Imperator noster etc.

Has itaque pro Imperatore augustissimo preces sanctissimus Dominus Noster ratas habuit et confirmavit, easque in omnibus latini ritus ecclesiis, intra Ditionem austriacam sitis, recitari voluit, omni in superioribus formulis variatione prohibita; salva tantum consuetudine, ubi hactenus vigit, Imperatorem in publicis precibus semper decorandi duplici titulo Imperatoris et Regis.

Cum autem constitutionibus apostolicis cautum sit, ne, quae ex singulari sanctae Sedis privilegio uni alterive tantum dioecesi, provinciae vel regno concessa fuere, in corpus Missalis et Breviarii romani inserere liceat; ut generali huic praescriptioni omnes in Imperio austriaco fideliter obtemperent, iussit Sanctitas Sua, preces ipsas una cum praesenti decreto adiici solum debere in appendice Missalis et Breviarii romani pro diversis locis destinata, vel in supplemento Missarum atque Officiorum uniuscuiusque dioecesis proprio.

Quo tandem Episcopi caeterique Ordinarii, in locis degentes austriacae Dominationi subiectis, certam de his omnibus habere possint notitiam, ac pro sollicitudine muneris pastoralis, plenam perfectamque superiorum quarumcumque ordinationum executionem curare, idem sanctissimus Dominus Noster praesens voluit a S. R. Congregatione ferri decretum, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae die X. Februarii 1860.

C. Episcopus Albanensis Card. **Patrizi**,

S. R. C. Praefectus.

L. S.

H. Capalti, S. R. C. Secretarius.

Itaque haec summi Pontificis mandata renovantes et venerabili clero dioecesano pie observanda in memoriam revocantes, pro Nostra dioecesi specialiter adnotanda censemus, quae sequuntur:

1. Oratio pro Imperatore (cum Secreta et Post-communione) habetur in additamento Proprii Missarum Lavantini, vel in Missali romano inter Orationes diversas sexta. Quodsi ex Missali sumitur, in ea loco «Rex» dicatur «Imperator», ante verba «vitiis monstra devitare» omittatur «et», ac post haec verba inseratur «hostes superare». Oratio autem haec dicenda est in singulis per annum Missis, vel sollemnibus (etiamsi canantur sine ministris),¹ vel parochialibus (i. e. quas diebus festis etiam abrogatis tenentur applicare pro populo, sive sint sollemnes sive simpliciter lectae),² vel conventualibus (quae in cathedralibus ecclesiis et collegiatis celebrantur, sive sint cantatae sine ministris,³ sive simpliciter lectae)⁴, diebus tamen, quibus per rubricas licet.

2. Feria VI. in Parasceve post Orationem pro cunctis ecclesiae ordinibus, omissis, quae in Missali »Pro Imperatore romano« continentur, dicatur Oratio pro Imperatore austriaco ex additamento Proprii Missarum Lavantini.

3. Sabbato sancto praeconium paschale, omitta conclusionem in Missali occurrente, concludatur ut in eodem additamento.

4. In precibus publicis Imperator semper decoretur duplici titulo Imperatoris et Regis, ubi mos invaluit.

5. In die natali et onomastica augustissimi Imperatoris omnes et singuli sacerdotes in Missa addant Collectam: «Quaesumus, omnipotens Deus», et devote orent pro Eo. Insuper ad utramque diem istam digne celebrandam in omnibus parochialibus ecclesiis fiat sollemne Sacrum (de Officio occurrente) una cum hymno »Te Deum«, cuius *Ÿ.*, *R.* et Orationi adiungatur:

¹ S. R. C. 3. Iun. 1892. Cfr. Iosephi Erker, *Enchiridion liturgicum*. Labaci, 1896. Pag. 211. num. 204.

² S. R. C. 28. Nov. 1884 — Op. cit. pag. 110. num. 203.

³ S. R. C. 3. Iun. 1892 — Op. cit. pag. 211.

⁴ S. R. C. 7. Dec. 1888 — Op. cit. pag. 211. nota 5.

Ÿ. Domine, saluum fac Imperatorem nostrum N.

R. Et exaudi nos in die, qua invocaverimus te. —
et Oratio: »Quaesumus, omnipotens Deus«. In ecclesia cathedrali atque in eis locis, ubi sunt c. r. magistratus sive civiles sive militares, sollemnitas isthaec in die ipsa, in reliquis vero ecclesiis parochialibus dominica sequente celebretur, et magistratibus loci notificetur. Dominica autem, sollemnitatem memoratam praecedente, fideles de ista e suggestu praemoneantur, et ad preces pro Imperatore fundendas invitentur¹. Hunc in finem dies natalis et onomastica augustissimi Imperatoris etiam in directorio dioecesano adnotetur congruo loco.

De caetero nos omnes, pastores cum fidelibus, pio animi affectu, prout decet bonos subditos, oremus pro salute et incolumitate piissimi ac praedilecti Imperatoris nostri iuxta mandatum principis apostolorum: *Deum timete, regem honorificate* (I. Petr. 2, 17), et iuxta monitum doctoris gentium: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* (I. Tim. 2, 1—3).



Caput XXIII.

De Seminario puerorum episcopali.

Eccllesia Christi nullis in terra magis quam vivis columnis innitur et lapidibus, neque hi aliunde nisi ex promptuario eruuntur scholarum atque officina. Quare inter multa et gravia episcoporum officia nec minima est nec ultima cura eis exhibenda prae-

¹ Cfr. Kirchl. Verordnungsblatt für die Lav. Diöcese ddo. 24. Dez. 1857 Nr. 2548/5. I. et ddo. 2. Juli 1873. III. (Nr. 1557) I.

sertim scholis, quae illis operam navant erudiendis, qui divinitus vocantur, ut ministerium suscipiant reconciliationis et pro Christo aliquando legatione fungantur. (II. Cor. 5, 18 sq).

Neque ideo quisquam mirabitur, quod sacra concilia et summi Pontifices magnam pro illis curam episcopis frequenter commendent. Sic ss. Patres Tridentini,¹ »Cum adolescentium aetas«, inquiunt, »nisi recte instituat, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totum hominem possideat, numquam perfecte ac sine maximo ac singulari prope modum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret: sancta Synodus statuit, ut singulae cathedrales, metropolitanae atque his maiores ecclesiae pro modo facultatum et dioecesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis vel eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere et religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur.« S. P. Gregorius XVI. vero² episcopos iubet, »omnem impendere industriam, quo sacrae militiae tirones a teneris annis in ecclesiastica seminaria recipiantur, atque ibi tamquam novellae plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur.«

Quocirca episcopi ampliori in dies sollicitudine eo connituntur, ut, si in qua dioecesi huiusmodi collegia vel seminaria non existant, quam primum erigantur; in qua vero iam adsint, amplientur et perfectiori modo instruantur. In quantum dioecesim Lavantinam attinet, initia quaedam puerorum Seminario Celeiae, auctore potissimum fel. mem. praedecessoris Nostri Antonii Martini

¹ Sess. 23. cap. 18. de reform.

² Litt. encycl. de die 8. Dec. 1840.

Slomšek, anno 1847 data sunt; anno 1853 vero speciali eiusdem epistola, die 15. Augusti clero ac populo Lavantino missa, proprie Seminarium nomine Maximiliani Celeiae conditum est, atque anno 1861 gravi epistola eiusdem Ordinarii, die 16. Augusti Nr. 2390, Marburgi Victorini nomine fundatum est. Utrumque paucis post annis coniunctum Celeiae usque ad annum 1871 mansit, donec d. Kal. Maii 1878 Marburgi novae aedes Seminario Maximilianum-Victorinum vocato, unitis cleri et plebis Lavantinae viribus exstructae, sollemniter aperirentur. Denique excellenti fel. record. antecessoris Nostri Iacobi Maximiliani munificentia¹ ac cura Nostra anno 1893 eadem aedes denuo adaptatae et magna e parte auctae sunt, ut in hac sua forma plures 70 adolescentes excipere possint.²

Iam qui seminariorum finis ex ecclesiae ordinatione sit, ipsa Concilii Tridentini verba dicunt, et quae eorundem utilitas, ne dicamus, necessitas sit, tristi experientia docemur. »Diffiteri enim«, concilium provinciale Coloniense³ inquit, »in domibus privatis pietatis exercitia iam minus coli . . . maximam esse opinandi licentiam, quae ephemeridibus quotidie augetur, magnumque inde iuvenum imminere intellectus depravandi periculum; auctoritatem tum civilem tum ecclesiasticam parvi pendi, in eamque passim exerceri effrenem diiudicandi et carpendi pruritum.« Ad haec praeterea, ut S. P. Leo XIII. loquitur⁴, »accedunt vitiorum illecebrae ac perniciosae invitamenta peccandi: ludos scenicos intelligimus impie ac licenter apparatus; volumina atque ephemerides ludificandae virtuti, honestandae turpitudini

¹ In testamento suo, die VII. Kal. Sept. 1886 subscripto, Seminarium puerorum, alias etiam sibi charissimum, bonorum suorum heredem universalem instituit, et pater Seminarii iure dici consuevit.

² Quoad fata Seminarii cfr. folii periodici „Slovenski Gospodar“ ex anno 1878. num. 15 sq.

³ Coll. Lacens. Tom. V. tit. 2. cap. 25. col. 367.

⁴ Litt. encycl. „Exeunte iam anno“ de die natali D. N. Iesu 1888.

composita . . . Nec licet sine metu futura prospicere, quia nova malorum semina continenter velut in sinum congeruntur adolescentis aetatis.« Ad scholas vero ne quis provocet, quasi tanto malo illae mederi possint. »Nostis«, sanctissimus Pater prosequitur, »nostis morem scholarum: nihil in eis relinquitur ecclesiasticae auctoritati loci, et quo tempore maxime oporteret tenerrimos animos ad officia christiana sedulo studioseque fingere, tum religionis praecepta plerumque silent. Grandiores natu periculum adeunt maius, scilicet a vitio doctrinae, quae saepe est eiusmodi, ut non ad imbuendam cognitione veri, sed potius ad infatuandam valeat fallacia sententiarum iuventutem.« Quae saeculi nostri mala cum a quovis alio, ac maxime a viro ecclesiastico longissime abesse debeant, idcirco summo opere exoptandum est, ut talis sacerdotii alumni provideatur educatio, qua a contagioso illo morbo praeserventur.

Quae cum ita sint, de eximia praedecessorum et cleri Nostri libenter gloriamur liberalitate, qua Seminarium puerorum in dioecesi Lavantina erectum est et fundatur, atque etiam futurum esse speramus, ut id fructus uberiores ferat et in dies meliores, bonos scilicet milites Christi atque operarios in vinea Domini „*dignos mercede sua*“. (I. Tim. 5, 18). Quod ut evenire possit, plurimum refert, quales pueri in Seminarium suscipiantur educandi, neve idcirco alios Nobis suscipiendos commendent, omnes, ad quos pertinet, in Domino hortamur, nisi quorum, ut ss. Patres Tridentini¹ praeciipiunt, »indoles ac voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros esse.« Accedit, ut pueri corpore etiam sani sint neque natu iusto maiores; ad quod pertinet, ut studia sua in gymnasio vel anno vitae suae vicesimo vel certe vicesimo primo absolvant, ne forte vi legis, etiam inviti, stipendia publica triennio mereantur, signa vero Christi in perpetuum deserant.

¹ Sess. 23. cap. 18. de reform.

Quoniam creatura rationalis intellectu ac voluntate quasi alis, quibus in aëra elevatur, instructa est, in sacerdote doctrina requiritur et pietas. Haec sine illa parum ei prodest neque illa sincera est, nisi ipsum, ut in omni doctrina progrediatur, continuo impellat. Unde ne in Seminario quid, qui praesunt, unquam negligant, quo alumni et ad Dei amorem et ad profectus spiritualis desiderium efformentur. Illi contra »eo adnitantur, ut adolescentes sibi commissi non externa tantum disciplina contineantur, vel quasdam tantummodo habilitates clericali statui proprias acquirant, sed id totis viribus agent, ut ad pietatem veram studiumque gloriae divinae et salutis animarum accendantur; ut spiritum abnegationis vocationi ecclesiasticae suapte natura congruentem, pectore concipiant et in solidis virtutibus quotidie magis adolescant.« ¹ Effectus comprobat conatus.

Exercitia enim pietatis, cum mentem alunt, non impediunt scientiae culturam, sed fructus eius multiplicant. Igitur nisi Christum, qui „a Deo venerat magister“ (Ioan. 2, 3), laborum suorum habeant ducem ac magistrum alumni Seminarii secundum illud: „Qui non colligit mecum, dispergit“ (Luc. 11, 23), parum proficient, atque ideo ad eum semper recurrere debent, ut qua vocati studiorum via incedunt, eius gratia adiuti perseverent sicque digni suo tempore reperiantur, quibus „manus cito imponantur“ (Tim. 5, 22) et „ministerium reconciliationis“ (II. Cor. 5, 18) detur „ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.“ (Ephes. 4, 12).

¹ S. Congregationis episc. et regul. instructio „Quibus Hungaria“ de die 28. Maii 1896.



Caput XXIV.

De Libris chronicis parochiarum.

Permagni refert . . . videre, ne diutius in materiam ingentis . . . mali ars historica, quae tantum habet nobilitatis, traducatur. Viri probi, in hoc disciplinarum genere scienter versati, animum adiiciant oportet ad scribendam historiam hoc proposito et hac ratione, ut quid verum sincerumque sit appareat, et quae congeruntur, iam nimium in Pontifices romanos iniuriosa crimina docte opportuneque diluantur. leiunae narrationi opponatur investigationis labor et mora: temeritati sententiarum prudentia iudicii, opinionum levitati scita rerum selectio. Enitendum magnopere, ut omnia ementita et falsa, adeundis rerum fontibus, refutentur; et illud in primis scribentium obversetur animo: *primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat; deinde ne quid veri non audeat*, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simultatis ¹.

In Nostra quoque dioecesi studio historiae ecclesiasticae pro viribus provisum est, ut ex sequentibus patebit.

»Historia est magistra vitae, fons iurium et officiorum nostrorum, gubernatrix futurorum temporum tam pro qualibet natione et regno, quam pro singulis locis, familiis et hominibus. Propterea gratias maximas debemus illis praedecessoribus, qui historica indicia describendo, monumenta exstruendo vel inscriptionibus historiam antiquitatis nobis conservaverunt; sed et simili modo nostrum est, historiam nostrorum temporum, rerum gestarum gloria insignem, posteris nostris conservare: componendo et diligenter continuando Libros chronicos singularum parochiarum, nostrae curae subditarum».

Praemissis verbis usus est praedecessor Noster piae memoriae, Antonius Martinus Slomšek in litteris suis

¹ SS. Pater Leo XIII. in epistola die 18. Augusti 1883 data, qua historicis operibus adornandis patere iussit tabularia pontificia.

de die 19. Decembris 1855 ad clerum dioecesis Lavan-
tinae directis, iniungens ei, in qualibet parochia »Chro-
nica« vel »Libros memorabilium parochiales« inchoan-
dos, et in quantum iam incepti inveniuntur, diligentissime
continuandos esse. Hoc modo nempe non tantum multa,
quae pro parochia et locis adhaerentibus magni mo-
menti esse possunt, et quae decursu temporis verosi-
militer in perpetuum deleantur, conservantur, sed et
successoribus in cura animarum erit hoc aptissimum
medium: via brevi cognoscendi conditionem nec non
varias mutationes concreditae sibi parochiae.

Donum subtilium studiorum historiae tantum non-
nullorum est; idcirco magna laude dignos aestimandos
pronuntiat praelaudatus Antistes illos sacerdotes, qui
tempore, officiis sui status non occupato, historica data
ac vetera documenta cum studio et amore colligunt at-
que non solum historiam propriae parochiae componunt,
sed et confratres vicinos hac in re adiuvere non de-
ficiunt.


Non potest esse intentio et scopus Synodi dioe-
cesanae, cuius est, in memoriam revocare et renovare
vetera et fluxu temporis iam oblitterata decreta nec
non dare nova mandata, tam idoneam et salubrem
ordinationem et institutionem, quae praesertim nostris
temporibus, in quibus non raro iura ecclesiae histo-
ricis argumentis defendenda ac evincenda sunt, fere
prorsus necessaria est, negligere aut essentialiter re-
laxare.

Proinde in futurum quoque praescriptum de com-
ponendis Chronicis seu Libris memorabilium, prouti
constitutione de die 15. Decembris 1855 Nr. 2297 ema-
naverat, omnem suum vigorem retinere et valere decla-
ramus, insuper et decanis Nostris mandamus, ut occa-
sione annuarum visitationum etiam Chronica parochialia
diligenter perspiciant atque de eorum statu ad Nos
referant.

De reliquo vero desideramus, ut Chronica quoad materiae dispositionem componantur modo solito,¹ quo Admodum Rever. Dom. Ignatius Orožen in suis praeclaris, ad historiam Nostrae dioeceseos spectantibus et iam in lucem editis libris usus est.

Compositio ipsa fiat in omnibus et singulis sine studio alterius partis. Historia enim nobis referre debet vera tantum et integra momenta ac facta absque omni levitate iudicandi. Praesertim vero vitandum est, ne iniuriosis consignationibus, insectationibus atque contumeliis laedatur fama viventium; sed et quoad defunctos generatim valeat axioma: De mortuis nil nisi bene! Semper autem obversetur scribentium animo, primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat. »Clamat quodammodo omnis historia, Deum esse, qui rerum mortalium varios perpetuosque motus providentissime regit eosque vel invitis hominibus ad ecclesiae suae incrementa transfert²».

Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis. (Is. 8, 1). Quod vides, scribe in libro. (Apocalyp. 1, 11).



Caput XXV.

De Museo dioecesano.

Sancta ecclesia catholica in construendis aedibus suis, in variis, praesertim cultui divino destinatis utensilibus quovis tempore cum magna industria colebat artes, non tantum, quia ut magistra humani generis providit cultui operibus artefactis, sed etiam, quia artes, suflatae spiritu ecclesiastico, fieri possunt gravia

¹ Prolixior instructio de inchoandis et continuandis Libris chronicis reperitur in Curenda Princ. Episc. Ordinariatus Lav. de die 19. Decembris 1855 Nr. 2297/5.

² Epist. SS. Patris Leonis XIII.: „Saepenumero considerantes“ de die 18. Augusti 1883.

media, externo aspectu magnificorum operum excitandi et confirmandi sublimes piosque sensus nec non percipiendi persuasionem de maiestate et indole fidei nostrae, inducendo spiritum, ut a pulchritudine terrestrium operum elevetur ad maiorem venustatem coelestium rerum.

Sub salutari ecclesiae catholicae influxu veram receperunt artes pulchritudinem, qua verae ac propriae, κατ' ἐξοχήν, artes factae sunt. »Ars christiana indissolubili vinculo cum ecclesia catholica colligata existit, cuius doctrina eam novis vivificat inspirationibus. Romani Pontifices nullo non tempore arti christianae aere suo succurrere in votis habuere. Perlustranti has ipsas aedes Vaticanas ubique occurrit veritas catholica perfecta arte fideliter adumbrata¹.

Inveniuntur in Nostra quoque dioecesi permulta antiqua artificia, neque datur ulla aetas, in qua magnifica opera ecclesiasticae artis *perfecta non fuerint*. Praesertim vero *iniuria diffamatum*, quia non cognitum medium aevum progeniuit nobis varia, minora et maiora ecclesiastica artificia, adnumeranda pretiosissimis operibus, quae praeterita fide plena aetas successoribus reliquit in admirationem et institutionem.

Praeclara aedificia, divino cultui dedicata, e romana et gotica periodo cum diverso ornatu in altaribus, cum picturis in muro, ligno et linteo, cum figuris et ornamentis perpulchre sculptis, cum pretiosis ecclesiasticis libris testantur nobis intelligentiam artificiosam illius periodi nec non beneficientem liberalitatem permagnam fidelium.

Et haec monumenta, ob antiquitatem et eo magis etiam ob saepe insuperabilem artificiosam constructionem ac formam veneranda, nobis relictæ, servandi et posteris conservandi: est nostrum pium officium.

¹ Allocutio SS. Patris Leonis XIII. occasione restaurationis salae Borgiae, a Ludovico Seitz anno 1890—1897 feliciter consummatae.

Cum autem tempore elapso multae artificiose confectae et vilipensae res ecclesiasticae proprio motu amotae vel in damnum ecclesiae et dioecesis peregrinantibus mercatoribus praeparvo pretio venditae vel rebus nullius valoris permutatae sint, idcirco decernimus et statuimus:

1. Veteres imagines, pictae vel sculptae, temere non amoveantur; interrogetur prius intelligens artis quoad essentialem valorem, et proinde cognito valore renoventur per artificem, non autem per hominem imperitum.

2. Antiquae ecclesiasticae res, ad usum ineptae, non vendantur, sed expediantur in Museum dioecesanum, quod Marburgi instituendum proposuimus.

3. Museum dioecesanum erit locus, collectioni et conservationi antiquorum artificiosorum operum dioecesis Nostrae destinatus. Quem in finem curandum erit, ut in civitate Nostra residentiali adaptetur quamprimum locus congruus.

